Var.

Krebs, Joa. Tob.

Disp. 1662..

(Ist bereits specialisirt.

IOANNIS TOBIAE KREBSII

ILLVSTRIS MOLDANI RECTORIS

OPVSCVLA

ACADEMICA

ET

SCHOLASTICA

DENVO RECOGNITA.

LIPSIAE

APVD FRID. GOTH. IACOBAEER et FIL.

MDCCLXXVIII.

BIBLIOTHECA
REGIA

PERILLVSTRI

AC

GENEROSISSIMO DOMINO

PETRO

L. B. DE HOHENTHAL

SVMMI SENATVS ECCLESIASTICI

PROPRAESIDI GRAVISSIMO

DYNASTAE CLIENTELARVM

FALKENBERGAE, DOEBERNITII

REL.

PATRONO SVO OPTIMO

D. D. D.

VIR PERILLVSTRIS

AC

GENEROSISSIME

PATRONE OPTIME!

Cum de veriſſimo veteris cuiusdam viri ſapientiſſimi iudicio non magis NEGOTII, quam OTII noſtri rationem

tionem extare oporteat, ego autem vtriusque rei rationem nulli alii facile, quam TIBI, VIR PERILLVSTRIS, reddere et malim, et debeam: non mihi vllam temeritatis, audaciaeque ſuſpicionem pertimeſcendam putaui, qui haec Opuſcula mea inſcribere auſus ſim GENEROSISSIMO NOMINI TVO. Nam cum, de Sapientiſſimo OPTIMI PATRIS PATRIAE noſtri conſilio, ſapientiae, prudentiae, vigilantiae, curae, fideique TVAE inter

alia

alia grauiſſima munera commiſſum ſit et hoc, vt Academiarum, Scholarumque Prouincialium praecipuam curam agas: officii mei eſſe putaui, quemadmodum TIBI, aliquoties hic Grimae praeſenti, NEGOTII, ita et nunc abſenti rationem OTII mei, h. e. temporis, a laboribus ſcholaſticis publicis vacui, reddere rationem. Neque vero haec vna cauſa fuit, quae me ad haec Opuſcula PERILLVSTRI NOMINI TVO inſcribenda pepulit: ſed acceſ-

ſit et haec, quod mihi ſaepe clementiſſime iniunxiſti, vt, ſi quam Prolusionem ſcholaſticam in lucem, adſpectumque eruditorum emiſiſſem, eam TIBI transmitterem, atque adeo ea re mihi non obſcure ſignificaſti, earum lectionem non penitus exactiſſimo iudicio diſplicuiſſe TVO. Quas igitur ſingulas ante TIBI transmiſi, eas iam, in vnum veluti corpuſculum redactas, ſumma cum animi pietate offerendas exiſtimaui. In magna felicitatis meae

parte

parte ponam, ſi cognouero, has Commentatiunculas meas, in otio literario partas, politiſſimo iudicio TVO ſeſe quodammodo commendaſſe: in maiori autem, ſi intellexero, me meam erga TE obſeruantiam, hoc pietatis in TE meae monimento literario publice ponendo, TIBI probaſſe. Caeterum, humillimis, obnixiſſimisque precibus, TE, VIR PERILLVSTRIS, rogo, vt in poſterum etiam ampliſſimo Praeſidio, Patrocinioque TVO complecti

haud dedignere et Scholam noſtram Prouincialem, et me

PERILLVSTRI NOMINI TVO

VIR GENEROSISSIME!

Scrib. in Illuſtri Moldano
a. d. XIV. Septembr. ipſo die
Natali Moldani Noſtri,
A. R. S. cIↃ IↃcc LXXVIII.

deditiſſimum, addictiſſimumque
clientem,

IOANNEM TOBIAM KREBSIVM.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO

S.

IO. TOBIAS KREBSIVS.

Cum de more recepto aliquid praefationis his Opuſculis ſit praemittendum: non multis verbis aures Tuas, Beneuole Lector, obtundam, ambitioſe iactando et mentiendo, horum Opuſculorum Editionem crebras Virorum doctorum adhortationes, aut aſſiduas, importunas-

tunasque amicorum preces mihi quodammodo extorſiſſe. Impudens ſim, et vanus, ſi talè quid, non dicam in oratione mea ponam, ſed in ſuſpicione tantum cuiusquè relinqui velim. Quodſi dicendum, quod res eſt: mihi ingenue eſt confitendum, non conſilium meum, neque ineptum quoddam inclareſcendi ſtudium, ſed caſum quendam (qui qualis fuerit, hic dicere nihil attinet,) me pepuliſſe, vt animum appellerem ad has Commentatiunculas, a triginta inde, et quod excurrit, annis ſcriptas, inque lucem emiſſas, in vnum veluti corpus redactas, iterum edendas, adeo, vt earum Editio cuidam caſui potius, quam meae ipſius voluntati ſit imputanda. Vna cauſa fuit, quae nos ad hoc conſilium, a quo antea ſemper alieni fuimus, quodammodo permouit. Scilicet, cum inter

has

has Commentationes noſtras, ſuccedente tempore latius diuulgatas, quaedam eſſent, v. c. *de Praefecto Vrbis Romano*, *de Stelitis Athenienſium*, *de Decuriis Iudicum Romanorum*, *de veritate Religionis chriſtianae e Iuliani reliquiis*, *de felici Theologiae et Literaturae Connubio* etc. quae Virorum doctorum aſſenſum tuliſſent, eaeque fruſtra cum a nobis per literas peterentur, tum in tabernis librariis, ob exemplaria iamdudum diſtracta, quaererentur: facile nos adduci paſſi ſumus, vt eae, caeteris etiam veluti comitibus adiunctis, iterum formulis ſtanneis excuderentur. Caeterum proluſiones noſtrae ſcholaſticae, quae maximam horum Opuſculorum partem abſoluunt, forte ſcholarum magiſtris, diuturno rerum vſu nondum exercitatis, aliquid adiumenti et commodi in lubrica

brica illa ſua, moleſtiarumque pleniſſima provincia rite adminiſtranda afferre poterunt, eoque nomine non indignae lectu videbuntur. Quod ſi cognouerimus: nunquam nos poenitebit, haec Opuſcula edidiſſe. Vale, Lector Beneuole, laboribusque noſtris faue. Scrib. a. d. XIV. Septembr. A. R. S. cIↃ IↃCC LXXVIII.

CONSPECTVS
COMMENTATIONVM.

I. *Disputatio de Ephetis, Athenienſium Iudicibus.* P. 1-42

II. *Commentatio de Stelitis Athenienſium.* 43-60

III. *Diſputatio de Iudicum Romanorum Decuriis.* 61-108

IV. *Commentatio de Praefecto Vrbis Romano.* 109-134

V. *Commentatio de Prouocatione D. Paulli ad Caeſarem.* 135-160

VI. *Elogium M. Henr. Auguſti Schumacheri, quinquaginta ferè annos Rectoris Scholae regiae Grimanae meritiſſimi.* 161-187

VII. *Prolufio de finibus Grammatici regundis.* 188-208

VIII. *Prolufio de Scholis bene conſtitutis Eccleſiae et Reipublicae Seminariis.* 209-226

IX. *Prolufio de Prudentia diſciplinae ſcholaſticae regundae.* 227-251

X. *Prolufio de magna vi neglectae educationis liberorum domeſticae in diſciplinam ſcholaſticam.* 252-271

XI. *Prolufio de feſtinato Iuuenum diſceſſu e Scholis.* 272-287

XII. *Prolufio de docendi ratione Socratica inſtitutioni iuuentum in ſcholis perquam accommodata.* 288-307

XIII. *Prolufio de malitioſo Luciani conſilio, Religionem Chriſtianam ſcurrili dicacitate vanam et ridiculam reddendi.* 308-324

XIV. *Prolusio de argumentis pro veritate et praestantia Religionis Christianae e Iuliani reliquiis.* P. 325-356

XV. *Prolusio de felici Theologiae et literaturae connubio.* 357-397

XVI. *Prolusio, qua lectio Auctorum Veterum e Basilii M. disciplina commendatur.* 398-420

XVII. *Prolusio, qua renouata Constitutio Scholastica parentum curae in disciplina domestica commendatur.* 421-454

XVIII. *Prolusio, qua Decretum Byzantiorum, factum in honorem Athenienſium, emendatur, et illustratur.* 455-478

XIX. *Prolusio, Vannus Critica in inanes paleas Operis Elementaris Basedouiani.* 479-518

XX. *Prolusio de ratione, Noui Testamenti e moribus antiquis illustrandi, minus caute instituta.* 519-542

I.

DE EPHETIS ATHENIENSIVM IVDICIBVS.

§. I.

Iacturusne essem operae pretium, si hanc de Ephetis Commentationem in lucem auderem adspectumque eruditorum proferre, saepe mecum agitaui, et dubius diu, pendensque animi haesi. Viros enim doctos non defuturos esse intelligebam, qui aut huius generis Commentatiunculas superbe in vniuersum, fastidioseque contemnerent, aut hanc ipsam, quam selegi, rem ita iam expositam ab eruditis contenderent, vt non fuisset, quare eadem a me putide, ambitioseque tractanda susciperetur. Quae Virorum doctorum, mihique semper suspiciendorum iudicia cum mente et cogitatione praeciperem, diligentiusque mecum perpenderem: fateor ingenue, commouisse me illa quidem, minime autem ab instituto dimouisse meo. Quod enim putabam, fore, vt Viris quibusdam doctis eam ob causam ingloria mea qualiscunque opella, maleque videretur consumta, quod alii, qui diu sint, feliciterque in hoc doctrinae genere versati, de eadem re exponere occuparint: id vim

originem debeant ſuam, curioſius paullo inueſtigarem, quam ad ipſum munus eorum, officiumque exponendum accederem. Quod priusquam facio, quoniam omnis, quae ratione debet, et via procedere Diſputatio, a definitionis initiis ſolet, explicataque nominis notione exordiri: Commentationis meae aliquam partem collocandam mihi intelligo, conſumendamque in eo, vt de horum iudicum nomine, eiusque cauſa, auctoribus Veteribus, exponam. In quo, etſi non omnium rerum ita ignari ſumus, vt hos iudices *caedi*, et plerumque *fortuitae et haud voluntariae*, eiusque cauſae inquirendae et diſceptandae fuiſſe neſciamus: tamen, quoniam ratio verborum componendorum minime patitur, nunquam aſſenſum noſtrum obtinebunt, qui ex ἐπὶ et αἷμα vocem *Ephetarum* compoſitam eſſe contendunt. SVIDAS v. Ἐφέται inter alias huius denominationis rationes affert etiam hanc: Ἐφέται ἐκλήθησαν, ἤτοι, ὅτι ἐπὶ αἵματι δικάζουσιν. Eadem habet HARPOCRATIO, e quo haec SVIDAS hauſit. Hac vocis exponendi originem ratione, tanquam vana illa, planeque inepta, reiecta, ad alteram illam transgrediamur, quae iure ſe ſuo mirifice probauit, et multorum et Veterum, et recentiorum ſuffragium tulit. Eſt autem ea, quae *Ephetas* ab ἐφιέναι h. e. a *prouocando* docet eſſe dictos. Sic Ἐφιέναι apud SVIDAM h. v. diſerte notat *ad alium Iudicem prouocare*. Et idem in voc. Ἔφεσις. Ἔφεσις ἡ ἐξ ἑτέρᾳ δικαστηρίᾳ εἰς ἕτερον μεταγωγή. τὸ δὲ αὐτὸ καὶ ἔκλητος καλεῖται. τὸ δὲ ἔφεσις ἀπὸ τῆ Ἐφεῖναι καλεῖται. Et ſic plane HARPOCRATIO, e quo, notante KVSTERO ad h. l. SVIDAS ſua mutuatus eſt. PLVTARCHVS in vita Solon. p. 160 Edit. Stephan. Ὅσα τοῖς ἀρχαῖς ἔταξε κρίνειν, ὁμοίως καὶ περὶ ἐκείνων εἰς τὸ δικαστήριον ΕΦΕΣΕΙΣ (h. e. *ius prouocandi*) ἔδωκε τοῖς βουλομένοις. LVCIANVS in *Imagg.* T. II. p. 493 Edit. REITZII, δώσετέ μοι ΕΦΕΣΙΜΟΝ τινα γενέσθαι τὴν δίκην; *an prouocandi copiam mihi dabitis?* Et apud eundem in *Bis Accuſato*

fato p. 806. ἢν δέ τις ἄδικα δεδικάσθαι οἴηται, ἐφέσιμον ἀγωνιεῖται τὴν δίκην· ἡ δὲ ΕΦΕΣΙΣ ἐπὶ τὸν Δία. *Si quis iniuſte in cauſa ſua iudicatum eſſe putet: prouocatione certabit. Eſt autem ad Iouem Prouocatio.* Quemadmodum autem haec *Ephetarum* denominatio linguae rationi, ita etiam inſtitutis Athenienſium optime conuenit. Fuit enim hoc in more poſitum, conſuetudineque receptum, vt, qui apud Regem cauſam ſuam dixiſſent, ad hoc Ephetarum iudicium poſſent prouocare. Cuius quidem rei auctorem nobis edit *Draconem* POLLVX Lib. VIII, c. X. ſeg. 125. Δοκῶσι ὠνομάσθαι (Ἐφέται), ὅτι πρότερον τῦ βασιλέως τὰς ἐπ' ἀκουσίῳ φόνῳ κρινομένας ἐξετάζοντος, ὁ Δράκων παρέδωκε τοῖς Ἐφέταις, τὴν κρίσιν ἐφέσιμον ἀπὸ τῦ βασιλέως πεποιηκώς. Hic vero non video, quid Interpretem Latinum mouerit, vt vltima verba redderet, *Dracon iudicium Ephetis hoc permiſit* ἐφέσιμον, *id eſt, translatitium id a* a) *Senatu faciens.* Non enim Senatus decernebat de caedibus, praeter voluntatem factis, ſed Rex: qui cum antea quaeſtionem de iis exercuiſſet, qui fortuitae et incitae caedis poſtulati eſſent, Dracon prouocandi ab eo poteſtatem ad Ephetas reis permiſit. Draconis autem aetate quaeſtiones de caede ad Regis (ſecundi inter nouem Archontes) cognitionem pertinuiſſe, vel PLVTARCHI locus indicat, qui eſt in Solonis vita p. 162.

a) Equidem non video, quomodo Veterum teſtimoniis, formaeque Reipublicae Athenienſium conuenire poſſit hoc, quod a Senatu CCCCC ad Ephetas prouocare licuiſſet. Senatum enim CCCCC conſtat poſt eiectos demum Piſiſtratidas a Cliſthene fuiſſe conſtitutum: *Ephetas* autem ſi non Demophoontis, Draconis certe tempore floruiſſe. Quomodo igitur dici poſſit, *Ephetis* exinde hoc nomen fuiſſe inditum, quia fuerit a Senatu CCCCC ad eos prouocatio, fateor ingenue me neſcire. Caeterum de Senatu Quingentorum, et tempore, quo inſtitutus eſt, omnium accuratiſſime diſputat CORSINVS in Faſtis Attic. P. I. Diſſert. VI. p. 261 ſqq.

Ἀτίμων ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν πρὶν ἢ Σόλωνα ἄρξαι, ἐπιτίμους εἶναι, πλὴν ὅσοι ἐξ Ἀρείου πάγου, ἢ ὅσοι ἐκ τῶν Ἐφετῶν, ἢ ἐκ πρυτανείου καταδικασθέντας ὑπὸ τῶν ΒΑΣΙΛΕΩΝ ἐπὶ φόνῳ etc. Vbi neminem esse putem, quin concedat, per *βασιλέας* hic nullos alios esse intelligendos, quam qui secundi fuerint in IX. Archontum ordine. Sed de hoc Rege, eiusque officiorum ratione, quando in sequentibus commodior erit dicendi locus, non est, quare hic agamus. Senatum autem CCCCC non memini legere, a quoquam dici, iudicasse de caedibus, atque iis fortuito commissis. XENOPHON quamuis accuratam nobis huius Senatus descriptionem, officiorumque, quae obierit, in Libro *de Republ. Athenienſium* p. 787 sq. Edit. Thiemii exhibeat; tamen ne verbulo quidem mentionem facit potestatis, iudiciorum de caedibus exercendorum huic ordini concessae. Δεῖ τὴν βουλὴν, inquit, βουλεύεσθαι πολλὰ μὲν περὶ τοῦ πολέμου, πολλὰ δὲ περὶ πόρου χρημάτων, πολλὰ δὲ περὶ νόμων θέσεως, πολλὰ δὲ καὶ τοῖς συμμάχοις, καὶ φόρου δέξασθαι, καὶ νεωρίων ἐπιμεληθῆναι καὶ ἱερῶν. Neque vllum huius rei vestigium quisquam deprehendet in iureiurando, quod Senatores, in hunc Senatum eligendi, concipere solebant. Vide PETITVM ad Legg. Attic. p. 397. Edit. Wesselingii. Maneat igitur, quod diximus, Draconem fecisse τὴν κρίσιν b) ἐφέσιμον ἀπὸ τοῦ βασιλέως, h. e. *potestatem dedisse, a Rege ad Ephetas prouocandi.* Etymologus magnus vult ille quidem, ab ἐφίεναι hoc nomen Ephetis adhaesisse, sed ita, vt contendat, ab Ephetarum Iudicio ad aliud *prouocationem* non fuisse permissam. Ἐφέται, scribit, ὅτι ἔφεσις παρ' αὐτῶν οὐ δύναται εἰς ἄλλο δικαστήριον γενέσθαι, τουτέστιν ἔκλητος. Eadem habet SVIDAS h. v. Tertiam huius denominationis rationem, quamquam HARPOCRATIONI et SVIDAE probatam intellexi, tamen vix dignam puto, quam

b) Ἔφέσιμος δίκη s. κρίσις quid sit, docet Pollux VIII, 62. cf. Suidas in voc. Ἔφεσις.

quam adducam. Volunt enim, his Iudicibus *Ephetarum* nomen propterea fuiſſe impoſitum, quod Demophoon, ob raptum Graecis Palladium, eorumque multos interfectos, dixerit in eo iudicio, in quo, *permittentibus vtrisque*, et Argiui, et Athenienſes ſederint. Quorum loca cum mox allegaturi ſimus: putidum eſſet, hic adducere, et in hac quidem re laſciuire, et luxuriari iure videremur.

§. III.

In origine autem *Ephetarum* inueſtiganda quamquam Viros quosdam doctos diſſentire inter ſe, et diſcrepare intelligo: tamen, quo ſaepius rem, diligentiusque conſidero, eo magis animus ad ſententiam inclinat hanc, vt eam a Demophoontis tempore, eiusque iudicio repetendam putem. Cuius quidem opinionis meae auctores, etiamſi non grauiſſimos, at non penitus contemnendos producere poſſum, HARPOCRATIONEM et SVIDAM, quorum vterque diſerte dicit, in quo iudicio Demophoon caedis fortuitae reus adfuerit, in eo Ephetas ſententiam pronunciaſſe ſuam. HARPOCRATION in Ἐπὶ Παλλαδίῳ· Δημοθένης ἐν τῷ κατ' Ἀριστοκράτης, δικαστήριον ἐστι ὕτω καλούμενον, ὡς καὶ Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ, ἐν ᾧ δικάζουσιν ἀκουσίων φόνων καὶ βουλεύσεως οἱ Ἐφέται. Ἔοικε δὲ τὸ δικαστήριον τὴν τοῦ Παλλαδίου ἐπωνομίαν, καὶ οἱ δικασταὶ τῶν Ἐφετῶν ἐντεῦθεν. Ἀγαμέμνονος μετὰ τῶν Ἀργείων σὺν τῷ Παλλαδίῳ προσενεχθέντος Ἀθήνας ἐξ Ἰλίου, Δημοφῶν ἁρπάζει τὸ Παλλάδιον, καὶ πολλοὺς τῶν διωκόντων ἀναιρεῖ. Ἀγαμέμνων δὲ δυσχεράνας δίκην τὸν ἁρπάσαντα ἀπαιτεῖ c) καὶ συνίσταται τὸ κριτήριον

c) Recepi emendationem MEVRSII, qui, cum in Lib. d[c] Regg. Athenienſ. Lib. III c. 6. hunc HARPOCRATIONIS locum, vti vulgo legitur, exhibuiſſet, ita pergit: *Sed an Demophoontem occidit Agamemnon? nemo veterum hoc dicit: itaque corrupta verba interpungo et emendo:* Ἀγα-

ἐπὶ πεντήκοντα μὲν Ἀθηναίων, πεντήκοντα δὲ Ἀργείων, ἃς Ἐφέτας ἐκάλεσαν, d) παρὰ τὸ ἀμφοτέρων ἐφεθῆναι αὐτοῖς τὰ τῆς κρίσεως. SVIDAS in Ἐπὶ Παλλαδίῳ, qui et hic, obseruante Kuſtero, ſua ex HARPOCRATIONE petiit, cum huius iudicii, in Palladio conſtituti, originem tradidiſſet: in eo Demophoontem pro ſe dixiſſe affirmat, ἐπὶ ν' Ἀθηναίων καὶ ν' Ἀργείων, ἃς Ἐφέτας κληθῆναι (φασὶν) διὰ τὸ παρ' ἀμφοτέρων ἐφεθῆναι αὐτοῖς περὶ τῆς κρίσεως. PAVSANIAS contendit ille quidem in Atticis p. 69. Edit. Kuhnii, in quod iudicium Demophoon caedis, praeter voluntatem commiſſae, reus fuerit vocatus, in eo iudices ſediſſe quinquaginta Athenienſes, totidemque Argiuos: quod autem horum iudicum fuerit nomen, id ex eo fruſtra quaeres.

§. IV.

Hic vero non defuturum vnum et item alterum eſſe intelligo, qui ſententiae meae, quae Ephetarum originem repetendam eſſe velit ab eo iudicio, in quo Demophoon caedis fortuitae reus reſponderit, huic igitur valde aduerſari dicat, omnemque fidem derogare auctoritatem Pollucis, qui lib. VIII. Seg. 125. de Ephetis haec tradit: Ἐφέτας τὸν μὲν ἀριθμὸν εἷς καὶ πεντήκοντα. Δράκων δ' αὐτὰς κατέστησεν. Sed hic quidem neque Pollucis, quae mihi obiicitur, neque aliorum Virorum doctorum mouet me auctoritas, qui neſcio an illius teſtimonio freti a Dracone demum creatos fuiſſe Ephetas contendant. Pollux enim, ſi recte eius mentem capio, loco laudato non tam a Dracone

Ἀγαμέμνων δὲ, δυσχεράνας, δίκην τὸν ἁρπάσαντα ἀπαιτεῖ. Sed equidem conſtantiam MEVRSII hic deſidero. Nam in Lectt. Attic. Lib. IV. c. 4. quod hic negat, confidenter affirmat, recepta huius loci lectione non offenſus.

d) παρὰ τὸ ἀμφοτέρων] VALESIVS in Not. ad h. l. ex Euſtathio, Pauſania et Suida legit: διὰ τὸ παρ' ἀμφοτέρων, quod eſt ſenſui conuenientius.

cone Ephetas conſtitutos, quam eorum numerum ab eo dicit anguſtioribus quaſi terminis fuiſſe circumſcriptum, adeo vt, cum in Demophoontis cauſa centum fuiſſent Ephetae caedi diiudicandae poſiti, Draconis inſtituto nonniſi quinquaginta et vni quaeſtiones de caede committerentur. Si quis autem difficilem ſe, perpugnacemque in concedenda hac mea interpretatione praebeat, ſententiamque Pollucis dicat, conſiliumque in his verbis fuiſſe hoc, vt auctorem Ephetarum ederet, is facilem me ſibi in hac quidem re (quando verba Pollucis vtroque modo accipi poſſunt,) admittenda habebit, minime autem talem in retractanda ea ſententia, qua Ephetarum nomen contendi Demophoontis iam tempore floruiſſe, et in eius iudicio ſententiam eos pronuntiaſſe ſuam. In quo quamuis non ſatis conſtanter diſputare videar, qui, cum Ephetarum initium ad Demophoontis tempora referendum eſſe dicam, eorum ſententiae ſubſcribere non dubitem, qui hos iudices, auctore Polluce, a Dracone demum velint conſtitutos, tamen duas has ſententias, quarum vna aduerſari alteri videtur, planeque refragari, ita commode compoſiturum me confido, ita amice eſſe conciliaturum, vt nemo meae diſputationis perpetuitatem ſit conſtantiamque deſideraturus. Quid ergo? erunt forte qui dicant, contendisne hos iudices Demophoontis iam aetate quaeſtionem de caede habuiſſe, quorum auctorem ipſe concedas eſſe Draconem? Dico, Ephetarum originem ab eo iudicio eſſe repetendam, in quod Demophoon caedis fortuitae reus fuerit poſtulatus; at idem ille, qui id affirmo, nec hoc nego, eosdem a Dracone quodammodo eſſe conſtitutos. Quando enim neque Graecis eſt, neque Romanis inſolens hoc et inuſitatum, vt, qui rem aliquam inſtauraverit, aut perpolierit, eique elegantiorem tanquam habitum induerit, eum e) auctorem, et conditorem dicant: non grauem

e) Vide, ſi tanti eſt, Ampliſſ. Cuper. Obſeru. lib. III. c. 9. vbi

Orat. I. contra Ariſtogitonem p. 494. ἀλλ' ὑμεῖς αὐτοὶ πάντων ἄρτι κληρȣμένων ἀθηναίων, καὶ πάντων εὖ οἶδ' ὅτι βȣλομένων εἰς τȣτὶ λαχεῖν τὸ δικαστήριον, μόνοι δικάζεθ' ἡμῖν. διὰ τί; ὅτι ἐλάχετε, εἶτα ἀπεκληρώθητε. ταῦτα γὰρ οἱ νόμοι λέγȣσιν. Conf. Enarrator Graecus Ariſtoph. ad Plut. v. 277.

§. V.

In numero autem horum iudicum tradendo auctores ita conſentiunt, vt omnes fere Viris quinquaginta et vno definiant eum et circumſcribant [i]). Suidas enim, qui ex auctore neſcio quo, ordinem Ephetarum ex LXXX. Viris compoſitum fuiſſe commemorat, hic non eſt audiendus; neque, ſi ex ſuo id ingenio finxerit, eius auctoritas tanta eſſe debet, vt eam potius, quam aliorum ſequendam arbitremur [k]). Sigonium neſcio, quae Veterum auctoritas mouerit, vt Ephetas conſtitutos fuiſſe diceret ex centum Athenienſibus, totidemque Argiuis, qui [l]) alibi eorum numerum non niſi quinquaginta et vno cohibitum doceat atque circumſcriptum. Pollux, cuius ſententiam plerique et Veterum et recentiorum tuentur, horum iudicum numerum ex optimis quibusque electorum quinquaginta et vno definit et terminat. Quid? quod ipſe [m]) Demoſthenes, cuius auctoritas omnium maxima nobis debet, et graviſſima eſſe, eundem, quem Pollux, Ephetarum numerum fuiſſe

i) Ἐφέται ὅιτινες ὄντες π' ὄντες ἐδίκαζον. niſi forte ſcribenti lapſus hic acciderit, et pro Π' legendum ſit N' numero rotundo. Meurſius in Lectt. Att. Lib. III. c. 4. pro π' ſcribendum cenſet ρ'.

k) Lib. de Republ. Athen. lib. I. c. 3.

l) in eodem libro III. c. 3.

m) in lege quadam, quae eſt in Orat. adu. Macartatum p. 666. γνῶσι δ' οἱ πεντήκοντα καὶ εἷς, (ita enim non eſt dubium quin eleganter emendarit Petit. pro inepto ὄισωσιν) et verſu vno interiecto, πεντήκοντα καὶ εἷς.

fuiſſe diſerte tradit. Sed quo liberius potuimus, certiusque, auctoribus Veteribus, numerum horum iudicum definire, eo timidius audemus, religioſiusque certi quid pronunciare de ratione, qua ſint lecti. Tantum eſt de ea re apud Auctores ſilentium. Carolus Sigonius, vir, quemadmodum de Romana, ita de Graeca, et Athenienſium inprimis republica optime meritus, modum eligendorum Ephetarum inueniſſe ſibi eſt viſus in verbis quibusdam Scholiaſtae ad Ariſtophanis Plutum. Ita lib. III. c. 3. in libro de republica Athenienſium condito Vir ille magnus diſputat: *Lectio vero eam habuit vim, vt neminem, niſi aetate et vita ſpectata admitteret, (ſiquidem Suidas niſi quinquaginta annos natus, et moribus probatiſſimis legi negat potuiſſe,) et praeterea ſortitionem adiunctam haberet, quod ex verbis quibusdam, quae apud Pluti extant interpretem, mihi facile perſuaſerim, cum inquit, ex ſingulis tribubus viros quinque illuſtriores ſumptos, atque ex iis vnum ſorte ad iudicandum poſitum eſſe, neque enim lectio cum ſortitione coniuncta in alios poteſt iudices conuenire quam in Ephetas.* Haec Summus ille Vir. Qui, quamquam Ariſtophanis locum ex Pluto non diſerte oſtenderit, tamen, quoniam in tota illa fabula non potui deprehendere, cui melius poſſint, aptiusque verba docti viri applicari, non eſt dubium, quin in animo habuerit illum, qui eſt v. 277. En tibi ipſa graeca verba: Παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις δέκα ἦσαν Φυλαί. Ἔθος ἦν ἀπὸ πασῶν τῶν Φυλῶν δικαστὰς καθίζειν· εἶτα ἀπὸ μιᾶς ἑκάστης ἐλάμβανον ἄνδρας πέντε τοὺς ἐπισημοτέρους· καὶ πάλιν ἐκ τῶν πέντε τὸν ἕνα τὸν κλήρῳ λαχόντα ἐποίουν δικάζειν. In quo quidem, quamquam non is ſim, qui neget, vnum eſſe, et item alterum, quod commode Ephetarum numero videatur et rationi conuenire, tamen, quo accuratius verba haec, conſiliumque Enarratoris conſidero, eo minus animus inclinat vt credam, totum hunc locum ad hanc rem noſtram pertinere. Numerum Ephetarum circumſcriptum fuiſſe et definitum

finitum quinquaginta et vno, ipſe concedit Sigonius. Sed qua tandem ratione ex Scholiaſtae verbis numerus is poterit conſtitui et terminari? Fac ex ſingulis tribubus, quae erant decem, fuiſſe electos quinque Viros, ſummam eorum conficies quinquaginta. Finge porro ex illis quinque Viris, de ſingulis tribubus ſumptis, vnum ſorte fuiſſe ad iudicandum poſitum, quot erunt iudices? ipſi quinquaginta opinor. Qui vero ſic? quoniam, qui ex illis quinque viris, ex vnaquaque tribu lectis ſorte capiebatur, in numero illo iudicum quinquagenario iam comprehenſus eſt atque incluſus. Summa igitur omnium iudicum prodit omnino quinquaginta. Quid? quod ipſa Enarratoris verba ſententiam Sigonii interpretationemque non admittunt. Vult enim Scholiaſtes, ex illis quinque Viris, de ſingulis tribubus captis, ſorte vnum fuiſſe conſtitutum, qui iudicaret. In quo neminem eſſe arbitror, quin intelligat, non vnum fuiſſe ad iudicandum ſorte poſitum, quae eſt Sigonii ſententia, ſed decem. In vnaquaque enim Tribu conſtituebantur quinque Viri, adeo vt ſumma eorum prodiret quinquaginta. Iam vero, ex ſingulo numero quinquenario (qui aequabat numerum X. tribuum) creabatur vnus, adeo vt ſorte creati eſſent decem. Conſilium autem Enarratoris in loco adducto eſt hoc, vt exponat nobis et explicet morem iudicum eligendorum, qui in iudicia, quae erant decem, ſua quaeque littera inſignita, ita mittebantur, vt, non quod quisque eorum ſibi optaret, ſed quod ſortium fortuna daret, in eo ſedendi et iudicandi prouinciam acciperet. Cui v. c. littera A obtigerat, is in iudicium, A notatum, abibat, et ſic porro vsque ad litteram K. Vide eum ibi pluribus in hanc rem diſputantem, conf. Kuſt. ad h. l. Quod autem idem Vir magnus vult, Ephetas ex decem tribubus ita fuiſſe optatos, vt ex ſingulis quinque Viri caperentur, in eo videat, vt temporum ratio ſatis conueniat atque conſentiat. Ephetarum enim iudicium dicit ipſe Demophoontis tempore eſſe conſtitu-

ſtitutum, diuque ante Solonis Praeturam floruiſſe. Iam vero, niſi graecarum litterarum expertes dici nos, haberique velimus, concedamus neceſſe eſt, Solonis tempore non in decem fuiſſe, ſed in n) quatuor tantum tribus populum deſcriptum, eamque diſtributionem in decem demum eſſe profectam a Cliſthene o) poſt eiectos Piſiſtratidas.

n) Plut. in Vita Sol. p. m. 161. δευτέραν προσκατένειμε βουλὴν, ἀπὸ φυλῆς ἑκάστης ΤΕΤΤΑΡΩΝ ὑσῶν.

o) Herodotus auctorem huius deſcriptionis eiusque cauſam nobis tradit Lib. V. c. 66. p. 161. Edit. Camer. Ἀθῆναι, ἐοῦσαι καὶ πρὶν μεγάλαι, τότε ἀπαλλαχθεῖσαι τυράννων, ἐγένοντο μείζονες. ἓν δὲ αὐτῇσι δύο ἄνδρες ἐδυνάσευον. Κλεισθένης τε ἀνὴρ Ἀλκμαιωνίδης, ὅσπερ δὴ λόγον ἔχει, τὴν Πυθίην ἀναπεῖσαι, καὶ Ἰσαγόρης ὁ Τισάνδρα, οἰκίης μὲν ἐὼν δοκίμε ἐκτὸς τὰ ἀνέκαθεν ὔκ ἔχω φράσαι. Θύσει δὲ οἱ συγγενέες αὐτε Διὶ Καρίῳ. ὗτοι οἱ ἄνδρες ἐτάσιασαν περὶ δυνάμιος. ἐσσώμενος δὲ ὁ Κλεισθένης, τὸν δῆμον προσεταιρίζεται. μετὰ δὲ, τετραφύλους ἐόντας Ἀθηναίους δεκαφύλους ἐποίησε. Cf. ad h. l. WESSELING. Neque eſt dubium, quin Pauſanias ad hunc Herodoti locum reſpexerit, cum in Atticis ſcriberet, Ὅτις δὲ ἀντικατεσήσατο δέκα ἀντὶ τεσσάρων φυλὰς εἶναι, καὶ μετέθετό σφισι τὰ ὀνόματα ἀντὶ τῶν ἀρχαίων, Ἡρόδοτῳ ταὐτά ἐστιν εἰρημένα. Pollux autem huius mutationis auctorem edit non Cliſthenem, ſed Alcmaeonem Lib. VIII. C. IX. ſeg. 110. Non itaque video, quibus rationibus ductus Sigonius contendere potuerit, Ephetas ex X. tribubus fuiſſe electos; niſi quis exiſtimare velit, Sigonium ita hoc dixiſſe, vt poſteriora tempora innueret, in quibus deſcriptio populi in decem tribus facta eſſet. Vbb. Emmium perſpexi, cum Sigonio in hac re conſpirare amice et ſentire. De Ephetarum enim optione in Deſcript. Athenienſ. reipubl. ita diſputat. Deſignabantur Ephetae ſic: *Legebantur ex qualibet tribu quini viri, quam maxime graves, aetate quinquagenarii, aut maiores: et his per ſortem deſignatus addebatur vnus, vt eſſent omnes tot, quot ante dixi, (LI.) ad quos in Tribunali ſedentes Archontum, ſecundus Rex, cauſas introducebat.* Conf. Pott. Archaeolog. Graec. p. m. 109.

das. In tanta autem monumentorum, quae modum Ephetarum eligendorum diserte doceant, inopia, quando nihil certi equidem possum affirmare, malo, me hanc rem plane ignorare, ingenue fateri, quam ambitiose ea, et temere effundere, quibus ipsa Veterum auctoritas refragatur.

§. VI.

Ephetae autem, quamquam interdum etiam sederunt inter caedis voluntariae reos, tamen plerumque et tantum non semper quaesiuerunt de caedibus iis, quae temere fuerant, et praeter voluntatem commissae. Helladius p. 23. Edit. Meurs. Ἀρεοπαγῖται μὲν (ἦν) ἐκαλοῦντο, οἱ τὸν ἑκούσιον φόνον κρίνοντες. οἱ δὲ ἐν τοῖς ἄλλοις δικαστηρίοις, (Δελφινίῳ, Παλλαδίῳ) κοινῶς Ἐφέται. Hesychius in ἐπὶ Παλλαδίῳ, δικαστήριον ἔνθα ἐδίκαζον οἱ Ἐφέται τοῖς ἀκουσίων φόνων δικαζομένοις. Conf. Pollux lib. VII. Sect. 125. Quamuis autem Ephetae caedi inquirendae, eiusque poenis repetundis constituti fuerint: tamen et quaestionem habuisse videntur de iis, qui insidiarum retia aliorum vitae, et laqueos posuerint. Videatur Harpocr. in ἐπὶ Παλλαδίῳ.

§. VII.

In Tribunalibus autem Ephetis assignandis auctores non consentire videntur. Pollux loco saepius a nobis laudato, Ephetas dicit in quinque iudiciis sedisse, ἐδίκαζον δὲ τοῖς ἐφ' αἵματι διωκομένοις ἐν τοῖς πέντε δικαστηρίοις. Reliqui autem fere omnes, qui quidem huius rei mentionem faciunt, potestatem Ephetarum in iudiciis de caede pronunciandi paullo angustius circumscribunt, adeo vt in quatuor tantum Tribunalibus hanc quaestionem exercere eos potuisse contendant. Harpocr. Ἐφέται, Δημοσθένης ἐν τῷ κατ' Ἀριστοκράτης. οἱ δικάζοντες τὰς ἐφ' αἵματι κρίσεις ἐπὶ παλλαδίῳ, καὶ ἐπὶ πρυτανείῳ, καὶ ἐπὶ Δελφινίῳ καὶ φρεατοῖ Ἐφέται καλοῦντο. Conf Suid. in Ἐφέται.

Ἐφέται. Sed facile poteſt, mea quidem ſententia, cum aliis conciliari Pollux, vt optime cum iis conſentire videatur. Pollux enim, cum Ephetas in quinque Tribunalibus ſediſſe dicit, non eſt dubium, quin id de temporibus intelligendum eſſe velit iis, quibus conceſſum erat his iudicibus etiam in Areopago de caede iudicia habere. Non enim temere contendere me puto, ante Solonis tempora Ephetas poteſtatem habuiſſe etiam de caede voluntaria in Areopago decernendi. Neque vero quis ita omnium rerum ignarum me exiſtimet, vt Areopagitas neſciam propter triſtem ſuam, auſteramque iudicandi ſeueritatem antiquiſſimis iam temporibus foris etiam inſignem quandam gloriam ſibi, auctoritatemque conciliaſſe. Apud Pauſaniam Meſſen. c. 5. p. 290. Edit. KVHNII, Meſſenii dicuntur, quo tempore ſumma reipublicae apud Archontes eſſet perpetuos, eo adegiſſe Lacedaemonios ante bellum ad arbitrium vel Argiuorum, vel Amphictyonum, vel denique Areopagitarum, ὅτι δίκας τὰς φονικὰς, addit Pauſanias, τὸ δικαστήριον τοῦτο ἐδόκει δικάζειν ἐκ παλαιοῦ. Concedimus igitur et damus libenter, ante Solonis Praeturam quaeſtionem de caede voluntaria pertinuiſſe ad Areopagum; at iidem illi contendimus, in eodem iudicio ante Solonem Ephetas ſediſſe, et cauſſas de caede voluntaria interdum eorum fidei fuiſſe, prudentiaeque commiſſas. Atque hic quidem profecto longe abſum vt dubitem, quin rem narrem miram multis, inſolenterque quodammodo diſputare videar: quos etiam velim atque etiam rogatos, vt iudicium contineant, neque prius de me ſevere pronuncient, quam rationes audierint, exegerintque meas, quas ſi me ſibi non probaſſe oſtenderint, et tanquam vanas illas conuicerint, profecto non intercedam, quo minus hanc meam ſententiam contemnendam, planeque reiiciendam arbitrentur. Ac primo quidem, ante Solonem Ephetas inter caedis voluntariae reos etiam in Areopago ſediſſe, non abſurde, vt mihi quidem videtur,

et inepte colligi poteſt ex eo, quod, auctore Plutarcho in Solone p. 161. Edit. Stephan. non defuerint, qui propterea Draconis aetate Senatum Areopagiticum fuiſſe negarent, quod de iudiciis, caedi inquirendae conſtitutis, nunquam cum Areopagitis, ſemper autem cum Ephetis colloqueretur *). Quae quidem ratio, quamquam non ſatis grauis videtur, ſatisque apta ad efficiendum quod debet, tamen, niſi haec res fuiſſet monumentorum auctoritate ita confirmata, vt non in dubium poſſet, diſceptationemque vocari, hi homines profecto mihi non videntur tam parum cauti fuiſſe, cauſſaeque ſuae tam male conſuluiſſe, vt eo argumento ad confirmandam ſententiam, ſtabiliendamque vterentur ſuam. Quid ergo? erunt forte qui dicant, tune in defendenda tua, corroborandaque ſententia ad horum hominum auctoritatem confugis, quos ab ipſo Plutarcho l. c. victos conſtat, et refutatos his verbis: Ἀτίμων ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν πρὶν ἢ Σόλωνα ἄρξαι, ἐπιτίμους εἶναι, πλὴν ὅσοι ἐξ Ἀρείου πάγου, ἢ ὅσοι ἐκ τῶν ἐφετῶν, ἢ ἐκ πρυτανείου καταδικασθέντες ἔφυγον? Nonne hic diſerte dicuntur Areopagitae ante Solonem fuiſſe conſtituti? audio; nonne iidem de caedibus, auctore Plutarcho, iudicarunt? iudicarint ſane, neque negare id vmquam ſum auſus. Quid autem? infringitne hic Plutarchi locus meam ſententiam? mihi quidem non videtur. Neque enim is ſum, qui, cum Ephetis ante Solonem in Areopago de caedibus etiam voluntariis iudicandi poteſtatem fuiſſe permiſſam ſtatuam, hoc ita dictum velim, vt omnem omnino quaeſtionem de caede Draconem Areopagitis ademiſſe contendam, Ephetarumque iudicio et cognitioni detuliſſe, quae eſt ſententia magni cuiusdam

*) Cuius quidem rei exemplum eſt in lege quadam a Dracone lata, a Demoſthene autem in Orat. adu. Ariſtocr. p. 434. expoſita. Eſt autem haec: Ἐὰν δέ τις τὸν ἀνδροφόνον κτείνῃ, ἢ αἴτιος ἢ φόνῳ, ἀπεχόμενον ἀγορᾶς ἐφορίας, καὶ ἀὐλῶν καὶ ἱερῶν ἀμφικτυονικῶν, ὥσπερ τὸν Ἀθηναῖον κτείναντα, ἐν τοῖς αὐτοῖς ἐνέχεσθαι, διαγινώσκειν δὲ τὲς ΕΦΕΤΑΣ.

cuiusdam *) viri; sed potius Draconem arbitrer Areopagitis, quoniam multis P) aliis eos intelligeret atque iis satis grauibus curis districtos esse, negotiisque dissentos, quaestionem de caedibus, h. e. molestissimam fere prouinciam, si non plane ademisse, cum Ephetis certe, qui eadem iudicia exercerent, communicasse, et hac ratione magnam partem oneris, quod illi sustinebant, in hos transtulisse.**). Solon autem, cum Senatum Areopagiticum auctum omni ratione cuperet atque ornatum, Ephetarum de caedibus decernendi ius angustioribus paullo limitibus circumscripsit, adeo, vt iudicia de caede voluntaria ad Areopagitarum, illa autem de caede fortuita ad Ephetarum cognitionem pertinerent, neque his in Areopago, sed in reliquis tantum quatuor iudiciis, inter caedis, temere commissae, reos postea sedere liceret, cum paene ludibrio essent, omnisque eorum dignitas pristina, auctoritasque euanesceret. Neque aliud, si quid video, voluit Pollux cum de Areopagitis et Ephetis disputaret, Ἐφέται τὸν μὲν ἀριθμὸν εἷς καὶ πεντήκοντα. Δράκων δ' αὐτὸς κατ-

*) Sam. Petit. ad LL. Att. p. 243. Edit. WESSELINGII p. 327. cum hunc ipsum Plutarchi locum adduxisset, paullo post ita disserit. *Ante Draconis* νομοθεσίαν *Areopagitae de caede iudicia reddiderunt, vt ex laudata Solonis lege constat, neque enim tantum est a Draconis Praetura ad illam Solonis interuallum, vt superesse non potuerint, Suas scribente leges Solone, qui, antequam Draco leges ferret, ab Areopagitarum senatu caedis damnati fuerant. Draco vero, Ephetis constitutis, omne abrogauit imperium, nec illi, quamdiu Legibus Draconis stetit Respublica, de caede iudicia reddiderunt, et p. 511 et 512. e Draconis Legibus* δικάζοντο τοῖς ἐφ αἵματι διωκομένοις, ἐν τοῖς πέντε δικαστηρίοις, *ius dicebant, caedis reis, scientibus, prudentibus, et vbique.*

P) Suidas Ἄρειος πάγος, ἐδίκαζε δὲ καὶ τὰ φονικὰ, καὶ τὰ ἄλλα πολιτικὰ διώκει σεμνῶς.

**) Draconis tempore quaestiones de caede voluntaria perti-

ἔσησεν ἀριστίνδην αἱρεθέντας· ἐδίκαζον δὲ τοῖς ἐφ' αἵματι δικαζομένοις ἐν τοῖς πέντε δικαστηρίοις. Σόλων δ' αὐτοῖς προσκατέστησε τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλήν, κατὰ σμικρὸν δὲ κατεγελάσθη τὸ τῶν Ἐφετῶν δικαστήριον, h. e. Solon autem Ephetis (qui antea de caedibus in quinque Tribunalibus decreuerant) addidit Senatum Areopagiticum, quae res fecit, vt breui Ephetarum iudicium esset nullum. Et haec quidem mea est de Pollucis loco, et quinque Tribunalibus, ab eo Ephetis assignatis, sententia, quam tum demum non vanam putabo, planeque ineptam, si viris iis, qui in hac humanitatis parte diutius sint, feliciusque versati, non omnino displicuisse eam intellexero. Neque vero is sum, qui certa esse et fixa audeam contendere quae dixerim, praesertim in tanto de ea re apud Auctores silentio, sed qui, vt homunculus vnus e multis, non vltra progrediar, quam vt verosimilia sequar, et quae veritatis aliqua specie valde abblandiuntur, mirificeque sese mihi probant. Sed ex quo, tanquam diuerticulo, oratio est digressa mea, in id reuertatur. In eo eramus, vt contenderemus, Pollucem, videri illum quidem in tradendo numero Tribunalium eorum, in quibus Ephetae sederint, ab aliis auctoribus discrepare, re autem ipsa, si componeretur diligenter et compararetur, optime cum iis consentire: quod qua ratione commodissime fieri possit, an grauiter satis disputauerimus, minime nostrum est interpretari. Reliquos autem Scriptores omnes, si ab q) Hella-

pertinuisse ad cognitionem Ephetarum, perspexisse mihi videor ex Draconis lege, quam, quoniam paullo ante ex Demosthenis oratione adu. Aristocr. p. 434. attulimus, non est quare hic iterum ambitiose transferamus.

q) Edit. Meurs. p. 23. Ὅτι ἐν ταῖς Ἀθήναις (καὶ ἔτος) τέσσαρα δικαστήρια φονικὰ εἶναι λέγει. ἀ, τὸ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, ὃ δικάζει τοὺς ἐκ προνοίας τὸν φόνον δεδρακότας. β', τὸ ἐπὶ Παλλαδίῳ, ὅπερ ἐτάζει τοὺς ἀκουσίως. γ', τὸ (δὲ) ἐπὶ Δελφινίῳ, ᾧ συνίσαται

Helladio recedere velis, in Tribunalibus nominandis Ephetisque tribuendis quam amiciſſime conſpirare diximus.

§. VIII.

Poſteaquam ex Veterum monumentis docuimus, quot, et quae Tribunalia Ephetis fuerint aſſignata, age de cuiusque origine et ratione, quantum quidem inſtitutum noſtrum patiatur, fuſius paullo accuratiusque diſputabimus. Quoniam autem Ephetis, qui Draconis temporibus ad quintum Tribunal, caedi cognoſcendae poſitum, Areopagum puta, patuerat aditus, interdictus is fuit a Solone et quaſi praecluſus, non eſt quare eo iudicio hoc loco vtamur; ſed orationem noſtram ad exponendam rationem eorum conferemus, in quibus Ephetas ſemper ſediſſe, vna omnium fere et conſentiens auctorum vox affirmat. De Palladii autem origine, quando multi multa dixerunt, ne quis ambitu intelligendi ductos magis, quam rei neceſſitate coactos diſputaſſe nos dicat, in ea exponenda ita verſabimur, vt neque putide tractata haec res, neque negligenter relicta a nobis eſſe videatur. Palladii originem, praeter multos a'ios, nobis tradit Harpocrat. in ἐπὶ Παλλαδίῳ, quem locum, quoniam ſupra adduximus, hic conſilio praetermittimus, ne otio cuiquam videamur, et litteris abuti. In hoc iudicium poſtulabantur caedis praeter voluntatem comiſſae rei. Heſych. ἐπὶ Παλλαδίῳ· δικαστήριον Ἀθήνησιν, ἔνθα ἐδίκαζον οἱ Ἐφέται τοῖς ἀκουσίων φόνων δικαζομένοις. Euſtat. ad Ὀδυσσ. Α. p. 1419. Edit. Roman. οἱ δὲ δικαστήριον ἱσορρῶσιν Ἀθή-

σαται ἐπὶ τῶν λεγόντων δικαίως τὴν ἀναίρεσιν πεποιηκέναι. καὶ τέταρτον, τὸ ἐν Φρεαττοῖ, ὃ δικάζει τὸν χρόνον μέν τινα φεύγοντα βητὸν, ἀιτίαν γε πρότερον ἔχοντα etc. Hic quis non videt temere eſſe, et ſine vlla cauſa omiſſum iudicium τὸ ἐπὶ Πρυτανείῳ? Harpocr. τὸ ἐπὶ πρυτανείῳ, δικαστήριόν ἐστι καὶ τοῦτο φονικόν. Conf. Demoſt. in Orat. adu. Ariſtocrat. p. 439.

νησιν ἐπώνυμον τῆς Παλλάδος. Ἀριστοφάνης, ἄκων κτενῶ σε τέκνον· ὁ δὲ ὑπεκρίνετο. ἐπὶ Παλλαδίῳ, παρ' ᾧ πάτερ δώσεις δίκην. ἐδίκαζον δὲ κατὰ Παυσανίαν ἐκεῖ ἀκουσίως Φόνως οἱ Ἐφέται. quem locum ingenue debere me fateor Henr. Valesio, qui eum adducit in obseruationibus ad Harpocr. Harpocration autem, cum occasionem nos, originemque docuit. age Demosthenem, qui, quo saepius in foro est, causisque versatus, eo melius poterit, diligentiusque consultus respondere, eum igitur excitabimus ita, vt, quae huius iudicii fuerit ratio, quis in eo obtinuerit mos, eum nobis exponat. Audiamus ipsum de ea re dicentem in Orat. adu. Aristocr. p. 438. δεύτερον δ' ἕτερον δικαστήριον, τὸ τῶν ἀκουσίων Φόνων φανήσεται σῄγχέων, τὸ ἐπὶ Παλλαδίῳ, καὶ τὰς παρὰ τούτῳ νόμους παραβαίνων· καὶ γὰρ ἐνταῦθ' ὑπόκειται πρῶτον μὲν διωμοσία, δεύτερον δὲ λόγος, τρίτον δὲ γνῶσις τῶ δικαστηρίῳ. ὧν οὐδέν ἐστιν ἐν τῷ τούτῳ ψηφίσματι. ἂν δ' ἀλῶ καὶ δοκῇ τι ἔργον εἰργάσθαι οὐθ' ὁ διώκων τῶ δεδρακότος κύριος ἔτ' ἄλλος οὐδεὶς πλὴν ὁ νόμος. τί ἂν ὁ νόμος κελεύοι; τὸν ἀλόντα ἐπ' ἀκουσίῳ Φόνῳ, ἔν τισιν ὡρισμένοις χρόνοις ἀπελθεῖν τακτὴν ὁδὸν καὶ φεύγειν, ἕως ἂν αἰδέσηταί τις τῶν ἐν γένει τῶ πεπονθότος. τηνικαῦτα δ' ἥκειν δέδωκεν, ἔστιν οὗ τρόπου κἀν οὗ ἂν τύχῃ. ἀλλὰ καὶ θῦσαι, καὶ καθαρθῆναι, καὶ ἀλλάττα δὴ εἴρηκεν ἃ χρὴ ποιῆσαι. In quo non dubito, quin quisque accuratiorem paullo huius iudicii cognitionem desideraturus, satisfactum sibi, cupiditatique suae a Demosthenis copia esse, diligentiaque fateatur. Neque profecto est, quod quis de Demosthene conqueri possit, nisi vero illud, quod morem in hoc iudicio maxime vsitatum non attigerit. Qui enim ex huius iudicii tanquam certamine victores abibant, ii, caesis prius victimis, iusiurandum praestabant, quo Deos testabantur, iudices in hac caussa pro fide constantiaque secundum se pronuntiasse, quod ni ita esset, omnes Dii Deaeque grauissime in se, familiamque animaduerterent suam.

Moris

Moris huius mentio fit apud Aeſchinem in Orat. de falſa legatione p. 258. ἢ πῶς ἂν εἰκότως οἱ πατέρες ἡμῶν ἐν ταῖς φονικαῖς δίκαις ἐπὶ Παλλαδίῳ κατέδειξαν, τέμνοντες τὰ τόμια, τὰς νικῶντας τῇ ψήφῳ ἐξορκίζεσθαι, καὶ τοῦτο ὑμῖν πατρῖόν ἐστιν ἔτι καὶ νῦν, τἀληθῆ καὶ τὰ δίκαια ψηφίζεσθαι τῶν δικαστῶν, ὅσοι τὴν ψῆφον ἤνεγκαν αὐτῷ, καὶ ψεῦδος μηδὲν εἰρηκέναι. εἰ δὲ μὴ ἐξώλη τε αὐτὸν εἶναι ἐπαρᾶσθαι καὶ τὴν οἰκίαν τὴν αὐτοῦ· τοῖς δὲ δικασταῖς, εὔχεσθαι πολλὰ καὶ ἀγαθὰ εἶναι. In hoc autem Tribunali, quamuis vno omnes auctores ore confirment caedis fortuitae reos reſpondiſſe, tamen de iis quoque ibi quaeſtionem fuiſſe habitam, qui aliis, inſidiarum laqueis, mortem ſtruxerint, Harpocrat. in ἐπὶ Παλλαδίῳ docet. Neque vero equidem facile affirmaverim, in eo iudicio etiam eos adfuiſſe, qui voluntariae caedis rei facti eſſent, quod vult Perizonius, Vir Summus, in animadu. ad Ael. V. H. V. 15. et quem in eam rem adducit ex Iſocrat. adu. Callimachum locum, is mihi quidem huc referendus minime videtur.

§. IX.

Secundum Tribunal, in quo Ephetae inter caedis reos ſederunt, dicunt omnes fuiſſe in Delphinio; cuius quidem iudicii originem nos, rationemque doceat Pollux lib. VIII. Sect. 119. ἐπὶ Δελφινίῳ. ἰδρύθη μὲν ὑπὸ τοῦ Αἰγέως, λέγεται δὲ Ἀπόλλωνι Δελφινίῳ καὶ Ἀρτέμιδι Δελφινίᾳ. ἐκρίθη δὲ ἐν αὐτῷ πρῶτος Θησεὺς, ἀφοσιώμενος τὸ ἄγος τῶν ὑπ' αὐτοῦ ἀνῃρημένων λῃστῶν, καὶ τῶν Παλλαντιδῶν· ὃς ὁμολόγει μὲν ἀποκτεῖναι, δικαίως δὲ ἔφη τοῦτο δεδρακέναι. Auctor vero Etymologici huius iudicii originem repetendam ſcribit ex eo, quod Cretenſes, importunis quondam tempeſtatis iniquae fluctibus iactati, ab Apolline autem, in Delphinis formam mutato, ſeruati, et Athenas transducti, Apollini Delphinio, dignas gratias perſoluturi, fanum nomine Delphinii inſignitum exſtru-

xerint. Vid. in Δελφίνιος. In hoc iudicio omnium primum cauſſam ſuam dixiſſe Theſeum affirmat Pauſanias in Atticis cap. XXIIX. Ἐπὶ Δελφινίῳ δὲ κρίσις καθέσηκεν, ἐργάσασθαι φόνον σὺν τῷ δικαίῳ φαμένοις. ὁποῖόν τι καὶ Θησεὺς παρεχόμενος, ἀπέφυγεν, ὅτε Πάλλαντα ἐπανασάντα, καὶ τὰς παῖδας ἔκτεινε. πρότερον δὲ, πρὶν ἢ Θησεὺς ἀφείθη, καθεσήκει πᾶσι φεύγειν κτείναντα, ἢ κατὰ ταῦτα ἀποθνήσκειν μένοντα. Quod Pauſanias dicit, antequam Theſeus in hoc Tribunali iudicum ſententiis eſſet, ſuffragiisque abſolutus, homicidae neceſſitatem fuiſſe impoſitam aut fugiendi aut poenam vita luendi, in eo vereor, vt omnes auctoritatem eius ſequendam arbitrentur. Oreſten enim manifeſtae caedis, atque eius voluntariae reum, tamen iudicum calculis fuiſſe liberatum, quis in antiquitatis memoria tam parum eſt verſatus vt neſciat? Atqui multo ante id eſſe in Areopago factum, quam Delphinium exſtrueretur, iudiciumque Oreſtis occaſionem praebuiſſe Athenienſibus Delphinii condendi, diſerte docet Demoſthenes in laudata ſaepe orat. adu. Ariſtocr. p. 439. τρίτον δὲ ἕτερον πρὸς τούτοις δικαστήριον, ὁ πάντων ἁγιώτατα τούτων ἔχε καὶ φρικωδέστατα, ἄν τις ὁμολογῇ μὲν κτεῖναι, ἐννόμως δὲ φῇ δεδρακέναι· τοῦτο δέ ἐστι τὸ ἐπὶ δελφινίῳ. δοκοῦσι γάρ μοι, ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, ζητῆσαι τοῦτο πρῶτον οἱ περὶ τούτων ἐν ἀρχῇ τὰ δίκαια ὁρίσαντες, πότερ' οὐδένα χρὴ φόνον ὅσιον εἶναι νομίζειν, ἢ τινα γ' ἐφ' ὅσιον νομιστέον; λογιζόμενοι δ' ὅτι μητέρα Ὀρέστης ἀπεκτονὼς, ὁμολογῶν, θεῶν δικαστῶν τυχὼν, ἀποφυγγάνει νομίσαι δίκαιόν τινα εἶναι φόνον. ἀ γὰρ ἂν τά γε δίκαια θεὸς ψηφίσασθαι. ὡς δὲ τοῦτο ἐνόμισαν, γεγράφασιν ἤδη, καὶ διορίζουσι σαφῶς, ἐφ' οἷς ἐξεῖναι ἀποκτιννῦναι. Sed in omnia illa abit Meurſius, auctoritateque inductus Euſebii, Oreſtem poſt Delphinium demum fundatum iudicatum eſſe contendit, de qua re Areop. c. XI. ita diſputat: *Demoſthenes in citata oratione, poſt Oreſtem demum hoc tribunal natum ſatis manifeſto dicit.* et paullo

paullo poſt, hoc ipſo Demoſthenis loco adducto, pergit: *Atqui Theſeus ſub Aegeo Patre, Oreſtes demum ſub Demophoonte iudicatus; teſte Euſebio, eſtque annorum ſexaginta, plus minusue interuallum. Itaque omnino neceſſarium, aut memoria lapſum eſſe oratorem, aut Auctoribus aliis vſum, quorum ſcripta interciderint.* At Iacobus Perizonius, Vir in omni humanitatis parte longe elegantiſſimus, Demoſthenis auctoritatem ſecutus, minime audiendum cenſet Pauſaniam, et Oreſtis iudicium longe ante Theſei aetatem dicit fuiſſe habitum, ad Ael. V. H. V. 15. Iam vero, quamquam non is ſum, qui inter Summos hos Viros ſedere, et ſecundum alterutrum eorum pronunciare audeam, (iudicii id enim eſt elegantioris, doctrinaeque vberioris) tamen, quoniam haec ipſa res ad inſtituti mei rationem quodammodo facit, officii eſſe, partiumque mearum videtur, paucis, quae mea ſit ſententia, exponere. In quo quidem neminem fore puto, qui illud nunc diſputaturum me, interpretaturumque eſſe arbitretur, quis horum ſit antiquior, Theſeusne an Oreſtes? id tantum agam, vt, quae mihi quidem ſatis commoda videtur, rationem oſtendam conciliandi Demoſthenis cum Pauſania, qui in Delphinio iudicatum vult Theſeum, cum Demoſthenes contra ea Oreſten (quem Demophoontis demum aetate cauſſam dixiſſe volunt) in Areopago liberum pronunciatum fuiſſe tradat, eumque occaſionem dediſſe huius Delphinii, iudicii τῦ Φονικῦ, exſtruendi. Hic vero lubentiſſime conceſſerim, Theſeum egiſſe illum quidem ante Oreſtis iudicium cauſſam ſuam in Delphinio, h. e. in ipſo Apollinis templo, neque tunc temporis iudicio caedi inquirendae conſtituto; poſtea vero quam Oreſten Athenienſes viderant caedis manifeſtae, eiusque voluntariae reum, tamen ipſorum Deorum grauiſſimis ſententiis liberatum fuiſſe, in eo ipſo templo Apollinis, vbi ante aliquot ſexaginta annos de Theſeo eadem, quae de Oreſte in Areopago, quaeſtio erat habita, in eo itaque

Delphinio eiusmodi caussas agi voluisse videntur, publiceque sanxisse, vt in posterum legitime in hoc loco de iis quaereretur, qui faterentur quidem caedis voluntariae se esse reos, iure autem se suo commisisse eam contenderent. Haec scripseram, cum ecce CONSVLTISSIMVM IAC. HENR. BORNIVM idem mecum sentire, non sine insigni aliqua voluptate intelligerem, ex ipsius Commentatione de Delphinio, Atheniensium Tribunali. Et haec quidem mea est qualiscunque de hac re sententia: quae, si cui minus arriserit, videat, an altera illa quodam se sibi modo probet. Athenis existimo duo fuisse loca, vno Delphinii nomine insignita; quorum alter sacrosanctus fuerit propter aedis, Apollini conditae, religionem, alter autem templo huic affinis, eodemque nomine denotatus, in quo post Orestis iudicium, Tribunal, Delphinium dictum, fuerit constitutum. Et in illo quidem Delphinio s. Apollinis templo, non ineptum, opinor, erit dicere, Theseum pro se dixisse; in hoc autem Tribunali post iudicatum, eundemque absolutum Oresten eos omnes reos causam egisse suam, qui iuste caedem perpetrasse se affirmarent. In quo, cum a laudato Commentationis de Delphinio Auctore eruditissimo recedendum mihi esse intelligam, facile eam humanitatem spero, facilitatemque me consecuturum, vt, quae vnicuique est sententiarum alterius exigendarum concessa libertas, ea et me hic esse vsum, quae est eius humanitas, aeque ferat. In adducta enim Dissertatione §. V. scribit, *Delphinium primitus fuit templum in honorem Apollinis Delphinii aedificatum, in quo postea tribunal constitutum fuisse videtur.* Et paullo post, doctissimus auctor, frustra asserere subjungit CL. CASP. BACHETVM a MEZIRIAC, quae ad Plutarch. Thes. Tom. I. p. 31. edit. Dacer. adnotauerat, *Au lieu appellé Delphinium il y avoit d'autres batimens outre le temple d'Apollon et particulierement une salle ou chambre de justice, qui s'appelloit ἐπὶ Δελφινίῳ.* Neque vero, si quid intelligo, adducta in eam

eam rem loca ſententiam infringunt meam. Quod enim tradit Enarrator Graecus Ariſtophanis p. 207. Edit. Kuſt. Harpocr. Suidas, Δελφίνιον ἱερὸν Ἀπόλλωνος Ἀθήνησιν ὅτω καλέμενον, ΕΝΘΑ ἦν τὸ ἐν Δελφινίῳ δικαστήριον, id, vt equidem arbitror, non eam vim habet, vt in ipſo templo Delphinio iudicium illud et Tribunal fuiſſe dicatur; ſed quoniam neque Graecis eſt, neque Latinis inſolens, nomina locorum ita ponere, vt τὴν περίχωρον denotent, commode verba accipi poſſe putem de iudicii loco, qui Delphinio templo adiacuerit. Quid igitur obſtat, quo minus hunc Scholiaſtae locum ita interpretemur, *Athenis eſt templum, nomine Delphinium, Apollini conſecratum; iuxta quod Tribunal eſt, eodem Delphinii nomine inſignitum.* Apud Ael. V. H. II. 25. Graeci dicuntur eodem die felici Marte proelium commiſiſſe ἐν Μυκάλῃ, καὶ ἐν Πλαταιαῖς, h. e. iuxta Mycalen, prope Plataeas, ad quem locum dignus eſt qui videatur Perizonius. In hoc autem Tribunal poſtulabantur, qui manifeſti homicidii crimine tenebantur: quod quidem, ſi iure ſe ſuo perpetraſſe oſtenderant, eiusque rei rationes prudentiae iudicum, grauitatique probauerant, ab omni omnino poena caedis liberabantur. In quo moris fuit, conſuetudinisque hoc, vt, quo clarius iuſte ſe aliquem occidiſſe ſignificarent, Soli gladium ſanguine recenti cruentum vibratim oſtenderent, et ita Deos teſtes quaſi innocentiae facerent ſuae. Quod quidem Oreſten illum feciſſe docet Euripidis fabula, ab eo cognominata v. 818.

Μελάνδετον δὲ φόνῳ
Ξίφος εἰς ἀυγὰς ἀελίοιο δεῖξαι.

Ad quem locum Enarrator Graecus haec: εἰώθησαν οἱ ἀνελόντες τινὰ δικαίως ὡς οἴονται, τῷ ἡλίῳ τὸ ξίφος δεικνύναι, σύμβολον τὲ δικαίως πεφονευκέναι. Quae autem res poteſtatem vnicuique, libertatemque alterius impune interficiendi dederint, docet Demoſthenes in Orat. adu-

adu. Ariſtocr. p. 435. Vbi inter alias leges, quae impunitatem homicidae largiuntur, affert etiam hanc p. 436. ἐὰν φέροντα ἢ ἄγοντα βίᾳ ἀδίκως, εὐθὺς ἀμυνόμενος κτείνῃ, νηποινεὶ τεθνᾶναι κελεύει. Cuius quidem legis multae ſunt, atque eae variae doctorum interpretationes. Wolfius reddit: *Si quis quem auferentem vel abducentem per vim et iniuriam occiderit, iure caeſus eſto.* Meurſius vero ſic: *Quod ſi quem per vim iniuſte ſpoliantem, aut abducentem, confeſtim vindicans interfecerit, impune occiſum eſſe iubet.* Qua vtraque interpretatione, nihil dici poſſe magis alienum a mente Legislatoris et oratoris exiſtimat Doctiſſimus auctor laudatae diſſertationis de Delphinio, et ad verum ſenſum propius acceſſiſſe arbitratur Petitum cum interpretaretur: *Si quis alium iniuſte vim inferentem in continenti necaſſit* etc. Proxime autem Thyſium, qui haec legis verba in latinum ita transferret: *Si quidam violentas et iniurias manus inferentem in continenti, defenſionis cauſa, occiderit* etc. Ipſe autem, ſecutus auctoritatem Vigerii, vim verborum, ἄγειν καὶ φέρειν, per *aggredi, inuadere,* exponentis, legem hanc ita interpretandam eſſe ſtatuit: *Si quis quem violento impetu aggredientem et inuadentem, defenſionis cauſa, occidat, impune caeſus eſto.* Ego, quamuis non ita arrogans ſim et inſolens, vt de interpretatione huius tanti Viri, quicum neque ingenio ſum, neque doctrina vllo modo comparandus, eleganter iudicare me poſſe credam, aut ita inhumanus, vt cuius eruditionem ſoleo, accuratamque diſputandi diligentiam admirari, eius ſententiam audeam, iudiciumque reprehendere; tamen non eſſe putem, quare a recepta, vſuque confirmata τῷ ἄγειν καὶ φέρειν ſignificatione in interpretanda hac lege recedam, praeſertim cum, quam nouam Vigerius attributam velit, ea mihi quidem non graui ſatis, idoneaque auctoritate Veterum ſtabilita eſſe videatur. Quae enim ita attulit duo loca, vt ſignificationem τῷ φέρειν καὶ ἄγειν, pro *aggredi, inuade-*

re,

re, confirmare se posse confideret, ea mihi quidem minime, quod debent, efficere id videntur. Isocrates enim in Orat. pro Archidamo cum dicit, *ἄγειν καὶ φέρειν τὰς πολεμίας, καὶ κατὰ γῆν, καὶ κατὰ θάλατταν*, nihil aliud vult, quam *vexare, vrgere, premere hostes.* Quid enim dicam de altero illo, qui ex r) Aristophane laudatur, loco, vbi Strepsiades ita conqueritur, *ἄγομαι, φέρομαι*, quis non statim intelligit ita eum esse interpretandum, *Vexor a creditoribus, premor ab odiosis istis, acerbisque pecuniae exactoribus?* Non igitur est, vt a recepta significatione *τῦ ἄγειν καὶ φέρειν*, quae est s) *hostili impetu bona alicuius inuadere, praedam facere et abigere*, ab ea igitur non est vt recedamus, praesertim cum ipse hic Demosthenis locus, legisque verba significationem hanc, interpretationemque postulare, quin exigere mihi quidem videantur. Sed ne solliciti diutius et anxii simus in vera vi horum verborum, potestateque inuenienda, age Demosthenem, qui, quo studiosior fuit, cupidiorque legum, earumque rationis penitus cognoscendae, eo diligentior erit, accuratiorque Interpres, sed eum excitabimus ita, vt quae vis huius legis sit, quae sententia, eam nobis exponat, litesque Virorum doctorum iudex componat. Audiamus illum in laudata Orat. p. 437. cum hanc legem attulisset, versibus quibusdam interiectis, de ea ita disputantem: *τίνα γὰρ ὅισει ἢ ἄξει βία ἀδίκως Χαρίδημος; πάντας ἀνθρώπους. ἴσε γὰρ τῦθ', ὅτι πάντες οἱ στράτευμα ἔχοντες, ὅτοι ὧν ἂν ὅιωνται κρείττους ἔσεσθαι, ἄγουσι καὶ φέρουσι, χρήματα αἰτῦντες. εἶτ' ἀ δεινὸν, ὦ γῆ καὶ θεοὶ, καὶ φανερῶς παράνομον, ἃ μόνον παρὰ τὸν γεγραμμένον νόμον, ἀλλὰ καὶ παρὰ τὸν κοινὸν ἁπάντων ἀνθρώπων νόμον, τὸν ἄγοντα, ἢ φέροντα βία ταμα, ἐν πολεμίᾳ μόιρα, μὴ ἐξεῖναί μοι ἀμύνεσθαι; εἴ γε μηδὲ τῦτον τὸν τρόπον ἔξεσαι Χαρίδημον ἀποκτεῖναι· ἀλλ' ἐὰν ἀδικῶν*

r) Nub. v. 240.

s) Videatur Cel. Duck. ad Thucyd. lib. I. 7.

κῶν ΑΓΗ καὶ ΦΕΡΗ ΤΑ ΤΙΝΟΣ ΛΗΙΖΟΜΕΝΟΣ ἀγώγιμος ὁ κτείνας ἔσαι. In quo quis non videt, quod in lege nude erat, et ſine vlla adiectione dictum, id plenius a Demoſthene in interpretatione legis, dilucidiusque efferri per, ἄγειν καὶ φέρειν τὰ ἐμά, et paullo poſt, ἀδικῶν ἄγῃ καὶ φέρῃ τά τινος λῃζόμενος? Demoſthenis igitur auctoritate inductus non dubitem ſupra laudatam legem hoc modo interpretari: *Si quis hoſtili animo et impetu in bona irruentem, eaque diripientem, propulſando defendendoque a ſe, ſuisque bonis illatam iniuriam, occiderit, iure is caeſus eſto.* Promiſiſſe autem legem quandam iis impunitatem, qui, propulſando a bonis ſuis hominem rapinis viuere conſuetum, interficerent, docet diſerte Meurſius ex Libanii Declam. XXXIII. Ἂν μέν τις ἀφαιρῆται τῷ χρημάτων, ἔδωκεν (ὁ νομοθέτης) ἐυθὺς ἀμυνομένῳ κτεῖναι· καὶ καθαρὸς ὁ τοῦτο δράσας νενόμισται. Denique illud quoque attinet dicere, legem impunitatem Medico, ſi quem male nutriendo curandoque perdiderat, eſſe largitam, Antiph. Orat. XII. Ἐιδ' ἔτι καὶ ὑπὸ τῦ ἰατρῦ ἀπέθανεν, ὡς ἐκ ἀπέθανεν, ὁ μὲν ἰατρὸς ἐ φονεὺς αὐτῦ ἐστίν· ὁ γὰρ νόμος ἀπολύει αὐτόν.

§. X.

Tertium Tribunal, in quo Ephetae de caede pronunciabant, dicitur iudicium in Prytaneo, de quo dignus eſt qui audiatur Pollux lib. VIII. Sect. 120. τὸ ἐπὶ πρυτανείῳ (δικαστήριον) δικάζει δὲ περὶ τῶν ἀποκτεινάντων, κἂν ὦσιν ἀφανεῖς· καὶ περὶ τῶν ἀψύχων τῶν ἐμπεσόντων, καὶ ἀποκτεινάντων· προεισῆκεσαν δὲ τότε δικαστηρίῳ τ') φυλοβασιλεῖς, ἃς ἔδει τὸ ἐμπεσὸν ἄψυχον ὑπερορίσαι.

t) Sigonius legit φιλοβασιλεῖς et interpretatur *Regis amicos.* de qua re ita diſputat in libr. de Republ. Athen. lib. I. c. 3. *Regem enim capitales cauſas in Areopagum introdu-*

ξῖσαι. De voce Φυλοβασιλεῖς v. HESYCHIVS h. v. Nemo est qui prima Pollucis verba accuratius possit interpretari quam Harpocrat. in Ἐπὶ πρυτανείῳ. δικαστήριόν ἐστι καὶ τοῦτο Φονικόν· δικάζει δὲ, ἄν τι τῶν ἀψύχων ἐμπεσὸν ἀποκτείνει τινα, τοῦτο δέ ἐστιν, ἐὰν λίθος, ἢ ξύλον, ἢ σίδηρος, ἤτοι τοιοῦτον, καὶ τὸν μὲν βαλόντα ἀγνοῇ τις, αὐτὸ δὲ εἰδῇ καὶ ἔχει τὸν φόνον εἰργασμένον. De eadem re agit Aeschines in Orat. contra Ctesiphontem. Originem autem huius iudicii u) Pausanias scribit esse repetendam ex hoc. Cum regnum Athenis haberet Erechtheus, Sacerdotem, dictum Buphonon, primum bouem ad aram Iouis Poliei mactasse; qui, cum, relicta ibi bipenni, excessisset, eam statim liberam fuisse pronunciatam. Quod dicit Pausanias, securim iudicatam, ab omni fuisse culpae crimine liberatam, in eo dissentientem sibi habet, valdeque discrepantem Aelianum qui lib. VIII. c. 3. V. H. tradit, in diebus festis celebrandis Διιπόλια et βοφόνια nominatis, (quae non est dubium, quin originem debeant rei, quam exponit Pausanias) cum vnusquisque caedis commissae crimen a se calumniando esset amolitus, et in alium coniecisset, tandem, caeteris omnibus liberatis, securim iudicum sententiis fuisse, suffragiisque caedis proximam declaratam. De rebus autem inanimatis, quae iactu aut lapsu aliquem interfecerant, propterea quis possit

troduxisse, eundemque de rebus inanimatis quaestiones exercuisse, vno in loco notat Pollux, in alio vero suos ipsum amicos, qui Graece Φιλοβασιλεῖς *dicebantur, ei iudicio praefecisse, eosque delapsum telum inanimatum e finibus eiecisse, ex quo intelligi potest, aut regem haec iudicia exercuisse, aut, si regi non vacaret, amicos eis suos praeposuisse.*

u) in Attic. C. XXIIX. Ἀθηναίων βασιλεύοντος Ἐρεχθέως τότε πρῶτον βοῦν ἔκτεινεν ὁ βοφόνος, ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τοῦ Πολιέως Διός· καὶ ὁ μὲν ἀπολιπὼν ταύτῃ τὸν πελεκὺν ἀπῆλθεν ἐκ τῆς χώρας φεύγων. ὁ δὲ πέλεκυς παραυτίκα ἀφειθῇ κριθεὶς, καὶ ἐς τόδε ἀνὰ πᾶν ἔτος κρίνεται.

sit suspicari fuisse iudicatum, quod non sine consilio x) Deorum et nutu illapsae putabantur. Legis autem huius quae de rebus inanimatis quaeri iubebat, auctorem fuisse Draconem, tradit Pausanias y).

§. XI.

Quartum atque id vltimum iudicium, vbi sederunt Ephetae, dicitur Βῆμα ἐν Φρεάττει, (ita enim in omnibus locis legendum et scribendum ostendit luculentissime Meursius in Areopago) siue, quoniam in Piraeeo erat constitutum, τὸ ἐν πειραιεῖ. Quod quidem nomen suum traxisse a Phreatto, quodam heroe, auctor est z) Harpocrat. a) In hoc iudicio causam dicebant, qui, cum caedis fortuitae rei essent facti, solumque propterea ad tempus vertere coacti, alium interea consulto et data opera foris occiderant. Quoniam enim ob caedem temere, et praeter voluntatem commissam, propinquis nondum placatis, in patriam occisi redire lex non concedebat reo, et nihilo tamen minus poena homicidii voluntarii erat repetenda, eum locum his reis assignarunt, vbi tuto possent, et sine vllo damni periculo versari, et ex naui causam agere suam b). Pausanias in hoc iudicio omnium primum tradit

x) Paus. in Att. C. XXVIII. λέγεται μὲν δὴ καὶ ἄλλα τῶν ἀψύχων ἀυτόματα ἐπιθεῖναι σὺν τῷ δικαίῳ τιμωρίαν ἀνθρώποις. ἔργον δὲ κάλλιστον καὶ δόξῃ φανερώτατον ὃ Καμβύσῃ παρέσχετο ἀκινάκης.

y) Eliac. II. καὶ οἱ Θάσιοι καταποντοῦσι τὴν εἰκόνα, ἐπακολουθοῦντες γνώμῃ τῇ Δράκοντος, ὃς Ἀθηναίοις θεσμὸς γράψας φονικὸς, ὑπερώρισε καὶ τὰ ἄψυχα, ἢ γε ἐμπεσόν τι ἐξ ἀυτῶν ἀποκτείνειεν ἄνθρωπον. Conf. Suid. in Νίκων.

z) In ἐπὶ Φρεάττει.

a) Demosth. in Orat. adu. Aristocrat. p. 439.

b) in Att. C. XXIIX. Τεύκρον πρῶτον λόγος ἔχει, ὅτως (sc. πρὸς ἀκροωμένους ἐκ τῆς γῆς ἀπὸ νεὼς vt paullo ante dixerat) ἀπολογήσασθαι, μηδὲν εἰς τὸν Αἴαντος θάνατον εἰργάσασθαι.

tradit adfuiſſe Teucrum, qui a culpa occiſi Aiacis quam remotiſſimum eſſe ſe contenderit.

§. XII.

Qui in homicidii crimine haerebant, ii non lubidini propinquorum, ardentique occiſi vlciſcendi cupiditati concedebantur, ſed c) aequitati legum, iuſtitiaeque permittebantur; adeo vt, ſi quis in ipſo immani illo ſcelere oppreſſus, hominumque opinione iam eſſet condemnatus, tamen niſi ſententiis iudicum, ſuffragiisque conficeretur, morti non addiceretur. In qua quidem re eam cautionem fuiſſe, religionemque cognoſcimus adhibitam, vt ne d) ſerui quidem, in ipſa Dominorum ſuorum caede deprehenſi, a cognatis interficerentur, ſed cognitioni Magiſtratus, ſeueritatique traderentur. Qui igitur et manibus occiſi, et ſuo dolori ſatisfacere cupiebant propinqui, ii ita demum rem facultatem eſſe habituram intelligebant, ſi, quem proximum caedis, adfinemque putabant, eius in ius vocandi, actioneque perſequendi a magiſtratu poteſtatem impetraſſent. Quis autem is Magiſtratus fuerit, ad quem actio caedis intenderetur, non abs re noſtra erit anquirere. Vnicuique Archontum id officii conſtat fuiſſe, negotiique datum, vt, ſi commodum videretur, delatum nomen acciperet, et in id iudicium, in quod licebat, rem, actoremque introduceret, quod Graeci dicunt εἰσφέρειν ſ. εἰσάγειν. Vlpian. in Midianam p. 151. εἰσαγωγὴ (γάρ) ἐστιν ἀθήνησιν ἀρχὴ τῶν τὰ ἐγκλήματα εἰσαγόντων. Idem p. 152. ἄρχοντες δὲ ἦσαν, οἱ ἐν ἑκάστῳ δικαστηρίῳ τὰς κρίσεις εἰσάγοντες. Regi autem, ſecundo nouem Archontum, non eſt dubium, quin ea prouincia fuerit, et cura demandata, vt, qui reum caedis alterum facere cuperet, ei actionem daret, actoremque huius criminis in iudicium duceret. Cuius quidem rei, quamuis nullam men-

c) Antiph. p. III. Orat. XIV. XV. d) l. c.

mentionem faciat Demosthenes in Orat. adu. Lacrit. p. 598. vbi quae Archontis fuerint, quae Polemarchi, et ipsius huius Regis officia exponit, tamen, quoniam aliorum Auctorum testimonia satis id, grauiterque confirmant, non dubito affirmare. Antiph. Orat. XVI. p. 157. et seq. diserte tradit, actionem contra eum, qui scelere caedis se obstrinxisset, ad Regem fuisse postulatam. Confirmat Pollux l. VIII. 90. καὶ τὰς τῶ φόνω δίκας εἰς Ἄρειον πάγον εἰσάγει (βασιλεὺς), καὶ τὸν σέφανον ἀποθέμενος σὺν αὐτοῖς δικάζει. Demosth. in Orat. in Euerg. p. 688. in qua agitur de caedis caussa, πρὸς βασιλέα μὴ λαγχάνειν, h. e. ne deferas, ne litem intendas homicidae apud Regem. Suidas Ἡγεμονία δικαστηρίῳ· τοῖς Ἀρχῶσιν ἁ πάσας πᾶσιν ἐφῆτο δίκας εἰσάγειν, ἀλλὰ τῶ μὲν Ἄρχοντι ··· τῶ μέν τοι γε Βασιλεῖ, τάς τε φονικὰς, καὶ τὰς τῆς ἀσεβείας etc.

§. XIII.

Cum res a rege esset in iudicium adducta, cognitionique iudicum permissa, omnium primum exigebatur iusiurandum, quod, quoniam et ab actore et a reo praestabatur, διωμοσία s. ἀμφιοςκία dicebatur. Quod iusiurandum dabat actor huius erat formulae: ἢ μὴν ἀληθῆ κατηγορεῖν; de qua quidem re dignus est, qui audiatur, Demosthenes in Orat. adu. Aristocr. p. 438. In quo loco, etsi de Areopago agit, tamen quoniam ipso Demosthene auctore eadem fuit ratio aliorum iudiciorum, quae quidem caedibus diiudicandis erant, facile poterunt, quae de illo dicuntur, et commode nisi ad reliqua fora omnia, in quibus Ephetae iudicarint, ad illud certe, in Palladio constitutum transferri. Is igitur loco adducto, ἴσε δήπω τῶθ' ἅπαντες, inquit, ὅτι ἐν ἀρείῳ πάγῳ, ἃ δίδωσιν ὁ νόμος καὶ κελεύει φόνω δικάζεσθαι, πρῶτον μὲν διεξομεῖται κατ' ἐξωλείας αὐτῶ, καὶ γένους, καὶ οἰκίας, εἴ τινα αἰτιώμενος εἴργασθαί τι τοιοῦτον· εἶτ' ἀδὲ

κατὰ

κατὰ τύχοντά τιν' ὅρκον, τοῦτο ποιήσει ἀλλ' ὃν οὐδεὶς ὄμνυσιν ὑπὲρ οὐδενὸς ἄλλου, στὰς ἐπὶ τῶν τομίων κάπρου, καὶ κριοῦ, καὶ ταύρου, καὶ τούτων ἐσφαγμένων ὑφ' ὧν δεῖ, καὶ ἐν αἷς ἡμέραις προσήκει. Eiusdem iurisiurandi meminit Antiph. in Orat. de Caed. Herod. p. 93. et seq. Hanc actoris πρωμοσίαν sequebatur rei ἀντιμωσία, quae erat, auctore Polluce lib. VIII. sect. 53. ὅρκος ὃν κατηγορούμενος ἀντωμνύει, ἢ μὴν μὴ ἀδικεῖν.

§. XIV.

Haec iurisiuranda excipiebat λόγος s. accusatio et defensio, quae alternis instituebantur. In quo quidem moris fuit, consuetudinisque hoc, vt, si argumentorum essent, rationumque pondera vtrinque grauia, id causam rei magis, quam actoris iuuaret. Antiph. Orat. XIV. p. 113. καὶ μὲν δὴ τὰ ἐξ ἴσου γενόμενα, τοῦ φεύγοντός ἐστι μᾶλλον, ἢ τοῦ διώκοντος. Hic vero humanum illud est institutum notandum, quo reus, cum primam orationem in diluendo crimine consumsisset, causamque suam parum tutam intelligeret, maleque firmam, e patria ita excedere poterat, vt neque accusatoris cupido, neque iudicum auctoritas, neque vlla vllius vis retinere abeuntem, et retrahere posset. Demosth. Orat. adu. Aristocr. p. 438. ἂν δ' ἁλῷ καὶ δοκῇ τοὔργον εἰργάσθαι, οὐθ' ὁ διώκων τοῦ δεδρακότος κύριος, οὔτ' ἄλλος οὐδεὶς πλὴν ὁ νόμος, etc. Confirmat Pollux lib. VIII. seg. 117. μετὰ δὲ τὸν πρότερον λόγον ἐξῆν φυγεῖν, εἴ τις γονέας εἴη ἀπεκτονώς. Vbi minime equidem putem esse audiendum Petitum ad Legg. Attic. p. 608. Edit. WESSELINGII, qui, quoniam Solon nullam de parricidio sancierit legem, locum prauum censet, et ita corrigendum, vt pro γονέας, ἐκ προνοίας legatur. Quam lectionem, si Codices admitterent, non esset quare improbandam aut reiiciendam putaremus; nunc autem, cum nulli libri addicant, non satis causae esse videtur, quare ea recipiatur, et recepta loco suo moueatur,

quae ſenſum ſatis commodum exhibeat. Pollux enim, cum oſtendere vellet, quantam vim haec e) lex, auctoritatemque habuerit, et quam diligenter eius ope ſaluti eorum fuerit proſpectum, qui ob caedem commiſſam ſolum verterant, non commodius id facere poterat, quam ſi doceret, caedis reum, poſt primam defenſionis orationem abeuntem, non potuiſſe retineri, etiamſi vel parentes interfeciſſet. Quae quidem cauſa, ſi qua alia, iuſtiſſima fuiſſet et grauiſſima rei a fuga retinendi, et ad poenas rapiendi. Sed cum haec id non potuerit efficere, quantominus aliae multo leuioris ponderis f). Hunc humanum morem apud Romanos etiam fuiſſe receptum, vt reo ante diem iudicii liceret abire, vitaeque annos reliquos in aliquo loco tranſigere, Polybius, non contemnendus Auctor, docet T. II. c. 12. p. 17. Edit. Erneſti. Qui autem cauſae ſe ſuae confidere ſatis poſſe, ab iisque defenſionis opibus inſtructos eſſe praeſidiisque arbitrabantur, vt accuſatoris impetum ſuſtinere, facileque depellere ſe poſſe crederent, ii orationem ſuam iterum ad debilitandum in ſe coniectum crimen, planeque vincendum conuertebant, iudicumque ſententias expectabant.

§. XV.

Poſteaquam actor ſuas, et reus dicendi partes egerat, iudices penes quem huius tanquam certaminis eſſet victoria declarabant. Hic vero, cum magnum ſit apud Veteres ſilentium, difficilis quaedam, neque ab vllo, quod ego quidem ſcio, expedita oritur quaeſtio de more iudicandi, qui receptus in iudiciis Ephetarum fuerit et vſitatus. Ego, quemadmodum nihil, niſi quod aliqua certe

e) Demoſth. in Orat. adu. Ariſtocr. p. 433.

f) De hac PETITI emendatione WESSELINGIVS ad l. c. ita: *Hoc quidem nimium eſt.* Excidit πλὴν ante εἴ τις, quod ex FALKENBVRGII codice recte reuocauit Celeb. HEMSTERHVSIVS, quem vide.

certe Veterum auctoritate confirmari possit, audeo affirmare, sic in hac re, quoniam ne minima quidem eius vestigia Auctoris cuiusdam monumentis impressa deprehendisse mihi sum visus, lubricum puto, maximeque delicatum, ad opem coniecturarum decurrere. Illud quidem, auctoritate Antiphontis fretus, pro certo affirmare non dubito, quod, quemadmodum Areopagitae, ita Ephetae etiam in suis foris sub g) dio iudicarint. Quaerenti autem ex me, vtrum sententiis Ephetae, an calculis condemnarint, an eos ab h) ara desumserint, et in vrnas duas, quarum altera i) Κύριος s. Ἐλέᾳ, altera vero Ἄκυρος s. Θανάτῳ, dicebatur, deiecerint, an mercedem aliquam laboris sui acceperint et qualis fuerit, haec igitur omnia quaerenti, me id ignorare, ingenue responderem. Quodsi Ephetae, adhibitis calculis, eodem, quo Areopagitae, modo iudicarint, et quae caeteris iudiciis erat constituta, eam et ipsi retulerint k) mercedem, quoniam de vtraque re multi multa dixerunt, non est quare putide eam, odioseque exponam: sin autem horum iudicum ratio in absoluendis aut condemnandis reis ab Areopagitarum erat diuersa, in tanta monumentorum inopia, quae nostrae

g) Orat. XIV. XV. p. 93. ἅπαντα τὰ δικαστήρια ἐν ὑπαίθρῳ δικάζει τὰς δίκας τοῦ φόνου. ὑδενὸς ἄλλου ἕνεκα, ἢ ἵνα, τοῦτο μὲν, οἱ δικασταὶ μὴ ἴωσιν εἰς τὸ αὐτὸ τοῖς μὴ καθαροῖς τὰς χεῖρας· τοῦτο δὲ, ὁ διώκων τὴν δίκην τοῦ φόνου, ἵνα μὴ ὁμοῤῥόφιος γένηται τῷ ἀυθέντῃ.

h) Demosth. de Corona p. 332 de Areopagitarum Senatu: καὶ ταῦτα ἀπὸ τοῦ βωμοῦ φέρουσα τὴν ψῆφον ἔπραξε· ad quem locum Vlpianus p. 77. ἀπὸ τοῦ βωμοῦ, ἤτοι ὅτι ἐκεῖθεν λαμβάνουσα τὰς ψήφους. ὕτως ἐδίδου, ἢ ὅτι τὰς χεῖρας ἐπιθεῖσα τῷ βωμῷ καὶ ὄμοσα, μετέθηκεν ἐπὶ τὰς ψήφους τὴν χεῖρα γέμουσαν.

i) Scholiast. Aristoph. ad Equites v. 1147. Conf. eundem ad Vespas v. 985.

k) Quis fuerit μισθὸς δικαστικὸς passim docet Aristophanes eiusque Enarrator Graecus; vid. Illustr. Sphanh. ad Plut. 329.

hac in parte satisfaciat cupiditati, qui huius rei cognitionem postulet a me et exigat, arbitror esse neminem.

§. XVI.

Cum quis, fortuitae caedis reus, Ephetarum siue calculis esset, siue sententiis condemnatus, is extra patriam exilii onus sustinebat per vnius anni spatium; in quo, si cognatum alíquem occisi placarat, sine omni damni periculo redire poterat. Demosth. orat. adu. Aristocr. p. 438. τον ἀλόντα ἐπ' ἀκουσίῳ φόνῳ ἐν ἐνιαυτῷ ἀπελθεῖν ταυτην ὁδὸν καὶ φεύγειν, ἕως ἂν αἰδέσηταί τινα τῶν ἐν γένει τῷ πεπονθότος. Quodsi ita accideret, vt nulli omnino adessent, qui aut necessitatis vinculo cum occiso essent, aut cognationis aliquo coniuncti, quibus homicidam, redire cupientem, satisfacere oportebat, decem, si vellent, Viri ex ea Decuria, cui occisus adscriptus fuerat, huius rei cognitionem habebant, et si Ephetae antea pronunciarant, hunc homicidam fortuito hoc crimen commisisse, ei poterant hi decem Phratores redeundi in patriam potestatem concedere, sed ita, vt Ephetae ipsi de ea re simul deliberarent atque decernerent. Demosth. orat. adu. Macartat. p. 666. ἐὰν δὲ αἰδέσασθαι δέῃ, ἐὰν μὲν πατὴρ ᾖ, ἢ ἀδελφὸς ἢ υἱῆς πάντας, ἢ τὸν κωλύοντα κρατεῖν· ἐὰν δὲ τούτων μηδεὶς ᾖ, κτείνῃ δ' ἄκων, γνῶσι δ' οἱ πεντήκοντα καὶ [1] εἴσωσιν οἱ Ἐφέται ἄκοντα κτεῖναι, ἐσέσθων οἱ φράτορες, ἐαν θέλωσι, δέκα. τούτοις δὲ οἱ πεντήκοντα. καὶ εἷς ἀφιστίνδην αἱρεισθων. Prima verba, ἐὰν δὲ αἰδέσασθαι δέῃ, ἐὰν μὲν πατὴρ ᾖ, ἢ ἀδελφὸς, ἢ υἱῆς πάντας, ἢ τὸν κωλύοντα κρατεῖν, duplici modo accipi possunt et explicari, quorum alter est hic: *si autem oportet (sc. homicidam) satisfacere v. c. patri, si superstes sit, aut fratri, aut filiis, hi omnes sc. sunt placandi, aut vnius, qui*

1) Wolfius legendum putat εἴσωσι τὴν ψῆφον. Petit. ad LL. Att p. 522. Edit. Wesselingii p. 626. duas vltimas syllabas censet inducendas, cui subscribo.

qui prohibet redire in patriam homicidam, valebit auctoritas. Hunc nobis fere ſenſum legis exhibuit Petitus, et qui eum religioſe eſt ſecutus Pott. in Archaeolog. Graec. p. 191. Sed vt dicam, quod ſentio, non ſatis accommodata haec legis interpretatio mihi quidem videtur et apta ad mentem auctoris: qui parum profecto imprudentibus homicidis, in quorum tamen gratiam leges dicantur latae quam m) humaniſſimae, his igitur parum proſpexiſſet, ſi eorum reditum in patriam, ab vnius hominis duri, et in remittendis commiſſis difficilis lubidine pendere voluiſſet. Sed melius profecto, ſapientiusque horum ſaluti conſuluit legislator, qui his homicidis, per vnius anni ſpatium praecluſum, in patriam reditum ita reſcidit, ſi homicida aliquem ex propinquis occiſi placaſſet. Docet id diſerte lex, quae eſt in orat. Demoſth. adu. Ariſtocr. p. 438. quam, quoniam paullo ante laudauimus, non eſt vt iterum adducamus. Confirmat Vlpianus in Midianam p. 160. *εἰ γὰρ δεηθείη* TINOΣ *τῶν συγγενῶν τῶν τῷ ἀνῃρημένῳ, εἶτα ἐκεῖνος ἐπιτρέπει, καταλύεται ὁ φόνου ἀκούσιου δράσας.* Ex quo vtroque loco, mea quidem ſententia, ſole eſt clarius, non fuiſſe imprudenti homicidae intercluſum in patriam reditum, ſi aliquem ex cognatis occiſi placaſſet. Quod quo diligentius conſidero, eo magis animus inclinat, vt putem haec verba ita latine eſſe reddenda: *Si homicidam oportet ſatisfacere patri, ſi ſuperſit, aut fratri, aut filiis,* (et hi ſatisfieri ſibi ſunt paſſi,) *omnium potius, qui ſunt placati, quam vnius, qui reditum prohibere conatur, valebit auctoritas.* Non enim inſolens hoc Graecis puto, inuſitatumque eſſe, vt ante *τὸ πρὶν*, ſ. *ἢ*, ſaepe ſubintellectum velint *μᾶλλον*. Euripid. Hecub. v. 498.

Φεῦ, Φεῦ, Γέρων μὲν εἰμ' ὅμως δέ μοι θανεῖν
Εἴη, πρὶν αἰσχρᾷ περιπεσεῖν τύχῃ τινί.

m) Demoſth. in Midiana p. 391. *οἱ φονικοὶ νόμοι τὰς ἀκουσίους ἀποκτινύντας ἀνέσεως καὶ φιλανθρωπίας ἠξίωσαν.*

h. e. millies mortem oppetere mallem, quam etc. Eodem modo τὸ μᾶλλον ſubaudiendum eſſe ante τὸ ἤ, quisque videt in hoc Homerico:

Βέλομαι ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι.

Sed de hoc loquendi more et Graecis et Latinis vſitato egit Ienſius in Lect. Lucian. p. 279. Quae ſequuntur in hac lege verba, ἐὰν δὲ τούτων μηδεὶς ἦ, κτείνῃ δ' ἄικων, γνῶσι δ' οἱ πεντήκοντα καὶ εἷς οἱ Ἐφέται, ἐσέσθων οἱ Φράτορες, ἐὰν θέλωσι, δέκα, eorum ſenſum vult Petit. ad LL. Attic. pag. 522. eſſe hunc: *Si quis e cognatis, quorum ius et fas eſſet* αἰδεῖσθαι, *nollet tamen, Ephetae hac de re cognoſcerent, et homicidae gratiam facerent, ſi ita videretur; quorum cognitioni et iudicio intereſſe poterant, ſi vellent illius, qui caeſus fuerat, Phratores ad decem vsque:* qui quidem ſenſus, quomodo ex Graecis elici poſſit, hebetior ſum, quam qui videre poſſim. Verba enim haec, γνῶσι δ' Ἐφέται, mea quidem ſententia non indicant, *Ephetis fuiſſe permiſſam poteſtatem homicidae reditum concedendi*, ſed volunt hoc, *et ſi Ephetae iudicarint caedem fortuito fuiſſe commiſſam.* Neque eſt in his verbis ἀπόδοσις, quam Grammatici vocant, (coniungenda enim cum praecedentibus, ad eaque eſſe referenda docet particula δὲ,) ſed in his ἐσέσθων. Quare ego verba ita interpretarer: *Quod ſi autem nemo cognatorum adſit,* (cui ſcil. homicidam ſatisfacere oportet,) *et caedem homicida fortuito commiſerit, eamque talem iudicarint Ephetae, adſint decem, ſi velint, Phratores* (qui ſcil. rem cognoſcant et homicidae veniam dent). Vltima legis verba, τούτοις δὲ οἱ πεντήκοντα καὶ εἷς ἀριστίνδην αἱρεῖσθων, Wolfius interpretatur, *ab his autem quinquaginta et vnus ex optimatibus deligantur.* At in Animaduerſionibus ad h. l. legendum cenſet, τούτῳ δὲ etc. quae quidem lectio, ſi admittitur, ſenſum longe alium, atque priori illi plane contrarium exhibet, *hi ſc. Curiales deligantur a quinquaginta*

ginta et vno Ephetis; cum altera illa indicet, *a Curialibus electos fuisse quinquaginta et vnum Ephetas.* Ego, qui Wolfii emendationem, et receptae lectionis interpretationem quemadmodum non omnino probo, ita etiam reprehendere non audeo, Datiuum ita h. l. esse positum arbitrer, vt indicet, *horum Phratorum auctoritate, consilio et iussu esse eligendos Ephetas.* Frequens enim est is, et apud Graecos, et Latinos Datiui vsus, vt doceat, *in cuius vsum, vel commodum, vel gratiam, vel honorem denique* aliquid fiat. Vid. elegantissimus Perizon. ad Ael. V. H. lib. II. c. 20. et lib. VII. c. 7. Vide igitur, an non rectius latine redderentur verba, *horum Phratorum iussu et auctoritate quinquaginta et vnus eligantur ex optimis quibusque.*

§. XVII.

Atque hic quidem finem Commentationi imponere constitueram, cum difficilis quaedam, neque ab vllo, quod ego sciam, non dicam expedita sed ne mota quidem, quaestio mihi suboriebatur, cum quaeritur, quamdiu nomen Ephetarum, iudiciaque floruerint. Quam quidem quaestionem non ita propono, vt eius difficultatem tollere me posse credam; (quod quidem nemo, opinor, seuere a me exiget, qui cogitat, ne Meursium quidem, at quantum Virum! certum aliquod potuisse tempus constituere, in quo Areopagitarum auctoritas fuerit sublata;) sed vt forte vnum aliquem eruditorum excitem, cuius doctrina meae, forsitan etiam aliorum, huius rei cognoscendae cupiditati satisfaciat. Ego quidem, etsi praeclare scio, illo Solonis consilio, quo Senatum Areopagiticum Ephetis adiunxerit, iisque cognitionem, quam antea habuerant, quaestionemque de caede voluntaria ademerit, eorum auctoritatem valde n) concussam esse atque labefactatam; tamen

n) Pollux lib. VIII. Σόλων δ' αὐτοῖς (Ἐφέταις) προσκατέστησε τὴν

men non eo inclino, vt contendam, tempore Solonis Ephetas ita iacuisse, vt omni omnino essent de caedibus decernendi iure priuati, sed putem hanc prouinciam eos ad id tempus obtinuisse, quo, vti omnis Graecia, sic Athenienses etiam Romanorum arbitrio se, legibusque subiicerent. Tunc enim temporis Areopagus, Heliaea, iudicium in Delphinio, et Senatus Quingentorum cessauit, omnisque Athenienſis reipublicae administratio ab Romanarum legum auctoritate pependit. Quod diserte tradit sua aetate accidisse Theodoretus, quem sub vtroque Theodosio vixisse dicunt, lib. IX. Therapeut. Καὶ ἀρχεῖ μὲν παρ' Ἀθηναίων ὁ Ἄρειος πάγος, καὶ Ἡλιαία, καὶ τὸ ἐπὶ Δελφινίῳ δικαστήριον, καὶ ἡ πεντακοσίων βουλή. Quem locum liberaliter fateor me debere Meursio, qui eum laudat in Areopago. Theodoretus, quamquam non dicit, Ephetas tunc temporis desiisse in iudiciis suis quaestiones de caede exercere, tamen, quando iudicium, in Delphinio dictum, hanc fortunam habuisse tradit, in eoque vna omnium et consentiens vox Ephetas, neque vllos alios iudices sedisse confirmat, parum abest, quin affirmare audeam, hoc ipso tempore dignitatem Ephetarum fuisse, auctoritatemque sublatam.

τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλὴν, κατὰ σμικρὸν δὲ κατεγελάσθη τὸ τῶν Ἐφετῶν δικαστήριον.

II.

DE STELITIS ATHENIENSIVM COMMENTATIO.

SCRIPTA

VIRO CLARISSIMO DOCTISSIMO

CAROLO FERDINANDO HOMMELIO.

Cum tempus inſtaret illud, HOMMELI DOCTISSIME, AMICE SPECTATISSIME, quo TV ingenii diligentiaeque fructum dulciſſimum caperes, ego vero officium TIBI meum, amoremque nouo aliquo documento probare poſſem; non dicere nunc poſſum aeque ac tum ſenſi, quam diuerſimode animus affectus ſit meus. Quamquam enim excitari in me ſentiebam voluptatem maximam, quod mox affuturum intelligebam diem eum, quo laetitiam diu iam praeceptam, officiumque TIBI meum longe iucundiſſimum declararem; tamen, quoniam hoc officium, per ſe dulciſſimum, Commentatione aliqua TIBI ſcribenda, erat peragendum, (eras enim TV a me eius generis munere aliquo remunerandus, qui a TE iſto humanitatis genere eram prouocatus,) ſuauis ille animi ſenſus quodammodo debilitabatur ſollicitudine, qua eodem tempore angi videbar. In quo quidem non eſt quod putes, AMICISSIME HOMMELI, graue mihi fuiſſe ad TE, praeſertim hoc tempore TVO, ſcribere officioſam aliquam epiſtolam; (nihil enim obtingere mihi poteſt ad voluptatem animi ſuauius, quam ſcribere ei, quem vnice diligo, quem-

quemque mei perſpexi amantiſſimum;) ſed huius ſollicitudinis cauſſa erat haec, quod animo perpendebam, Commentationem eſſe ſcribendam HOMMELIO, h. e. homini doctrinae elegantiſſimae, iudiciique acutiſſimi, cui facile intelligebam, quam difficile eſſet ſatisfacere eum dilectu verborum inſtituendo, tum re deſcripte exponenda, quin argumento ipſo ſeligendo, quod niſi eſſet eiusmodi, vt dignitatis gratia aliqua commendare ſe TIBI, probareque poſſet, putabam fore, vt non niſi difficilem aditum in animo haberet TVO. Quid ergo? diſtrahebatur diuerſarum rerum cogitatione animus. Hic officium aliquam commentationem TIBI ſcribendam, a me non tam poſtulabat, quam exigebat; illic metus iuſtus, doctrinaeque TVAE debitus, denegabat: hic humanitatis ratio id ſuadebat; illic imbecillitatis meae conſcientia diſſuadebat. In hoc cogitationum biuio eram tanquam alter Hercules Prodicius conſtitutus, nec, quo progrederer, certo conſtabat; cum TVA, HVMANISSIME HOMMELI, Humanitas, blanda illa et efficax animorum conciliatricula, mihi occurrebat, omnique timore adempto, perſuadebat, vt commentationem ingrederer. Vide quid TVA poſſit humanitas: quae certiſſime confidebam fore, vt, quemadmodum iudicii TVI acumen meos in commentatione hac admiſſos errores perſpiceret, ita eosdem comiter corrigeret, humanaeque imbecillitati condonandos putaret. Haec TVA humanitas, etſi inprimis me commouit, vt manum huic Commentatiunculae admouerem, tamen, etiamſi non credidiſſem, me fauorem ipſius eſſe conſecuturum, idem a me exegiſſet cupido, partem aliquam aeris alieni, quo TIBI ſum obſtrictus, ea re perſoluendi. Quid enim debeam PARENTI TVO OPTIMO, PATRONO meo, ſumma animi obſeruantia colendo, quid TIBI, cuius ſuffragatione auctus ab EO, ornatusque ſum, etſi gratus animus geſtit praedicare, tamen, quando verendum eſt ne VESTRAM offendam modeſtiam, omnem eam orationem praetermittendam

tendam puto. Illud vero, quomodo facere possum, vt non iucundissima memoria repetam, gratissimoque animo praedicem, quod anno superiori, cum iidem mihi, qui TIBI nunc, quemadmodum serius, ita dignius, honores tribuerentur, me ornasti munere aliquo; quod etsi erat per se longe iucundissimum, vti omnia esse debent, quae ab homine doctissimo, nobisque amicissimo proficiscuntur, tamen, quoniam abs TE veniebat, maiorem dignitatem sui, gratiamque afferebat. Non igitur solum amicitiae leges aut officii religio, sed vel ipsa humanitatis ratio postulauit a me hoc, vt TE hoc die TVO remunerarem aliquo munere, si non pari, tamen, nisi mihi ipse abblandior, grato. Quod si ego essem is, qui praecepto illi Hesiodio satisfacere posset: TIBI profecto non solum eadem, qua a TE accepi, mensura, sed cumulatiore etiam redderem; nunc vero cum re non possim satisfacere, non dubito quin voluntate remetiendi satisfieri TIBI patiare. Hoc enim TV, HVMANISSIME HOMMELI, iterum a me es, iterumque rogandus, vt hanc commentatiunculam non tam ex eius dignitate, quae est nulla, quam ex animo, consilioque auctoris metiri, eamque non tam eruditam velis, quam officiosam existimare. Caeterum etsi huius Disputatiunculae argumentum leuius, quam pro TVA eruditione, videtur, tamen, quando in TE eruditam illam popularitatem cognoui, quae nihil contemnit, rebusque etiam minutis pretium suum ponit, non est quod verear, ne huius Commentationis argumentum aut ab ea legenda TE deterreat, aut eius lectionem efficiat TIBI molestam. Stelitas, homines apud Athenienses, capitis poena damnatos, nostraque aetate obliuionis quasi tenebris sepultos, in lucem constitui, adspectumque producere, eorumque rationem exponere. Agam de his hominibus, sed ita, vt in cretionibus scribi solet, quibus scio poteroque. TV vero, HOMMELI DOCTISSIME, subduc TE paullulum graviorum rerum cogitationi, et da TE mihi, animumque

TVVM

TVVM legendae huic Commentationi; quam oro vt ſemper recordere non eſſe ſcriptam ita, vt inanem doctrinam iactarem, ſed vt iuſtum, TVISque erga me meritis debitum officium declararem meum. Quo nomine ſi eam ſeſe probaſſe TIBI intellexero: non ſolum officioſam, ſed felicem etiam exiſtimabo.

Cum autem hunc de Stelitis locum elegerim, in eoque illuſtrando temporis aliquid, ſtudiique ponere conſtituerim, facile intelligo leges, quarum auctoritati omnis Diſputatio, via et ratione inſtituenda, parere debet, non mihi permittere, vt prius de Stelitis ipſis, eorumque poena agam, quam explicatam iſtorum hominum notionem tradiderim. Quod quidem mihi negligendum eſt eo minus, quo magis verendum eſt, ne forte vnus et item alter non ſatis cautus, ſimilitudine vocis deceptus, confundat hos Stelitas cum Stylitis, quorum mentionem in hiſtoria Eccleſiaſtica fieri conſtat. *Stelitae apud Athenienſes homines dicebantur ii, quorum nomina vna cum Elogio columnae inſcribebantur ita, vt ipſi ab vnoquoque impune poſſent occidi.* (Iidem igitur fere erant, qui apud Romanos *homines ſacri.*) Quam deſcriptionem veram eſſe non ſolum Demoſthenis locus, paullo poſt adducendus, ſed Grammatici longe doctiſſimi conſenſus oſtendit. Deſcribit hos homines [a]) Heſychius his verbis: Στηλίτας) ἅτως ἐκάλων Ἀττικοὶ, οἵτινες ἐπ' αἰτίαν τινὰ (leg. cum Steph. ἐπ' αἰτίᾳ τινὶ) ἐγγεγραφήθησαν.

Sed vt dilucidius appareat, quae ratio horum hominum, eorumque poenae fuerit, et quam vim iſta in columnam inſcriptio habuerit, age Demoſthenem, quo quis elegantius poteſt, accuratiusque exponere? excitabimus ita, vt totam iſtam rem nos doceat: qui poſtquam de corruptiſſimis Athenienſium ſuae aetatis moribus locutus, deque miſerrimo reipublicae ſtatu vehementer eſſet con-

a) In voce Στηλίτας.

conqueſtus, pergit ita b): τὰ δ' ἐν τοῖς ἄνωθεν ὅτι τ' ἐναντία τούτων εἶχεν ἐγὼ δηλώσω, ἃ λόγους ἐμαυτῷ λέγων, ἀλλὰ γράμματα τῶν προγόνων ἡμετέρων δεικνύων, ἃ ἐκεῖνοι κατέθεντο εἰς Στήλην γράψαντες ἀκρόπολιν, οὐχ ἵνα αὐτοῖς ἦ χρήσιμα, (καὶ γὰρ ἄνευ τούτων τῶν γραμμάτων τὰ δέοντα ἐφρόνουν), ἀλλ' ἵνα ὑμεῖς ἔχητε ὑποδείγματα καὶ παραδείγματα, ὡς ὑπὲρ τῶν τοιούτων σπουδάζειν προσήκει· τί δ' λέγει τὰ γράμματα; Ἄρθμιος, φησίν, ὁ πυθώνακτος ὁ Ζελείτης ἄτιμος ἔστω καὶ πολέμιος τῷ δήμῳ Ἀθηναίων αὐτὸς καὶ γένος. εἰθ' ἡ αἰτία προσγέγραπται δι' ἣν τοῦτ' ἐγένετο, ὅτι τὸν χρυσὸν τὸν ἐκ τῶν Μήδων εἰς Πελοπόνησον ἤγαγεν ὁκ Ἀθήναζε etc. Hoc dicebatur στηλίτην ποιεῖν τινα. Quoniam hic locus eſt praecipuus, qui ad illuſtrandum totum Commentationis meae argumentum facit: non poſſum, quin breuitatis quaſi fines, quibus includere hanc Diſputationem conſtitui, transgrediar, in eoque exponendo paullo diutius inhaeream. Et primo quidem poſſum ex hoc loco auctoritatem petere, quae confirmet, verum eſſe, quod dixi, nominibus hominum proſcriptorum pilae inſcriptis adiectum fuiſſe Elogium, ſ. cauſſam damnationis, quod diſerte docetur verbis his, ἡ αἰτία προσγέγραπται δι' ἣν τοῦτ' ἐγένετο. Quae autem poena fuerit his *Stelitis* impoſita, ea indicatur a Demoſthene, cum dicit, hunc Arthmium cum ſuo genere pronunciatum fuiſſe ἄτιμον. Quis igitur eſt ἄτιμος? Huius enim vocis tam incertus ſaepe, tamque vagus cum apud Demoſthenem eſt, tum apud caeteros Oratores Atticos ſignificatus, vt niſi vnus conſtituatur, ad cuius tanquam normam huius loci interpretatio dirigatur, tota fere diſputatio ſit erratura. Cum autem in huius vocabuli ſignificatu diuerſo obſeruando fuerim curioſus, eaque res neque ad cognoſcendum ſit inutilis, neque ab hac re praeſenti abhorreat: veniam, opinor, a TVA humanitate, HVMANISSIME HOMMELI, impetrabo,

b) Philipp. III. p. 91. edit. Wolf.

trabo, si in hoc significatu vario, a me in lectione Veterum obseruato, afferendo paullulum lasciuiam. Et c) Enarrator quidem graecus Demosthenis nonnisi triplex esse putat ἀτίμων genus; quod describit ita: τῶν ἀτιμωμένων οἱ μὲν τὸ τρίτον μέρος τῦ σώματος ἠτιμῶντο, οἱ δὲ τὰ δύο, οἱ δὲ ὁλόκληρον, ἤτοι δὲ ἀδένος μετεῖχον τῶν κοινῶν· τῦτο ἔν ἐστὶ τὸ καθάπαξ ἀντὶ τῦ ὁλοκληρως. Sequitur huius auctoritatem d) Petitus. Ego etsi non sum is, qui neget triplicem hanc ἀτίμων ab Vlpiano traditam distinctionem Veterum auctorum tanquam suffragio posse confirmari: tamen non facile persuaderi mihi patiar, vt credam, triplici illo ἀτίμων genere ab Vlpiano constituto omnes ἀτίμους a veteribus commemoratos posse comprehendi, qui Veterum lectione edoctus sciam, esse quosdam, qui in numerum ἀτίμων sint relati, neque tamen triplici illo genere inclusi. Ego, quo saepius diligentiusque mecum reputo, quae vis sit vocis ἀτιμίας et qua interpretatione latina eius sententia exprimenda, eo magis inclino eo vt putem, poenam illam, quae ἀτιμίας nomine apud Oratores Atticos celebris est, respondere Latinorum poenae, quae dicitur *diminutio capitis*: quae quemadmodum apud Latinos poenam diuersi generis indicat, ita vt si quis v. c. iacturam aliquam existimationis, aut libertatis, aut bonorum, aut honorum, aut iuris ciuitatis, aut vitae denique ipsius fecerit, *capitis diminutionem* passus dicatur: sic vox ἀτιμία Graecis vsurpatur ita, vt poenam variam, et aliam grauiorem alia significet. Cuius quidem poenae, voce ἀτιμίας indicatae, non tria sunt, vt Vlpianus, eiusque auctoritate commotus Petitus faciunt, sed plura genera constituenda. Primum genus, idque omnium leuissimum est, si quis, bonis omnibus integris relictis, non omni iure, vnicuique ciuium concesso, sed aliqua

c) In Midianam Tom. V. p. 172.

d) in Commentario ad Legg. Att. p. 377.

aliqua tantum eius parte priuatur, ita vt v. c. non potestatem habeat ad populum pro concione dicendi, neque possit in Senatum Quingentorum legi; ita enim capio verba e) Andocidis, εἰπεῖν ἐν τῷ δήμῳ et βϐλεῦσαι, qui de hoc ἀτίμων genere quam diligentissime exponit. Alterum genus ἀτίμων complectitur *aerarios* s. eos, qui aerario debebant, qui ab omni omnino reipublicae administratione remouebantur, sed ad certum tantum tempus, h. e. eo vsque, dum solui essent, quod publico debebant. De his enim hominibus Lex a Libanio in argumento Androtianae laudata diserte pronunciat, τὸν ὀφείλοντα τῷ δημοσίῳ μὴ πολιτεύεσθαι, quod quale sit f) docet Demosthenes. Non licebat aerariis suffragia ferre, non iudicis partes sustinere; neque licebat iis verba facere in concione, eodem Demosthene g) auctore. Quid? quod iidem non poterant quemquam in ius vocare, quod idem h) auctor grauissimus testatur. Ab harum autem rerum iure aerarios non diutius fuisse exclusos quam debitum soluerint, id me docuit i) Libanius; τὸν ὀφείλοντα inquit, τῷ δημοσίῳ μέχρις ἂν ἐκτίσῃ ἄτιμον εἶναι Ex horum ἀτίμων genere fuit Cimon. Tertiae ἀτίμων classi adnumerantur, qui cum liberis suis ab omni reipublicae administratione arcebantur ita, vt omnis spes huius iuris recuperandi praecideretur. Horum hominum, qui ab Vlpiano ὁλόκληρον ἄτιμοι, a Demosthene καθ' ἅπαξ ἄτιμοι dicuntur, rationem accuratissime descriptam habemus apud k) Andocidem. In horum ἀτίμων numerum referebantur cum multi alii, tum ii, qui corpus suum vulgauerant,

e) De Mysteriis p. 209. edit. Miniat.
f) Orat. contra Aristogiton. I. pag. 502.
g) Orat. II. contra Aristog. p. 503.
h) Orat. adu. Theocrimem. p. 509.
i) In argumento Orat. adu. Aristogit. praeposito.
k) De Mysteriis p. 208.

rant, de quibus agit locus egregius l) Aeſchinis, qui docet, a quot, quantorumque munerum ſocietate id generis homines fuerint excluſi. Horum hominum calamitatem non facile vidi qui diligentius expoſuerit m) Demoſthene, cuius locum, etſi paullo longiorem, quid impedit quo minus ad rem praeſentem transferam? Is igitur vbi dixit, Stratonem quendam fuiſſe priuatum omni iure ciui Athenienſi dato, et factum καθάπαξ ἄτιμον, paullo poſt docet, quam vim iſta poena habuerit, cum de hoc Stratone hoc ἀτιμίας genere notato ita loquitur: ἅτε λαχεῖν δίκην ἀτιμηθέντα, ἅτε διαιτητὴν γενέσθαι Μειδίᾳ· ἀθ' ὅλως τὴν αὐτὴν ὁδὸν βαδίζειν, ὡς ἔοικεν, ἐς' ἀσφαλές. Et paullo poſt de eodem, ὁ μὲν ἠτίμωται n), dicit, καὶ παραπόλωκεν, quoniam auctore o) Vlpiano ii, qui nullius in republica muneris participes fieri poſſunt, a mortuis non multum differunt. Et paucis interiectis verſibus de eodem Stratone loquitur Demoſthenes ita: Στράτων ἔστηκε νυνὶ σιωπῇ τῶν ἄλλων ἀγαθῶν τῶν κοινῶν ἀπεστερημένος, ἀλλὰ καὶ τῶ φθέγξασθαι ἢ ὀδύρεσθαι, καὶ ἀδ' εἰ δίκαια ἢ ἄδικα πέπονθεν ὑπὸ Μειδίᾳ, ἀδὲ ταῦτ' ἔξεστιν αὐτῷ πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν. Et omnium diſertiſſime huius ἀτιμίας acerbitatem deſcribit, dum alio p) loco de ea ita loquitur: ἀ γάρ ἐστιν ὄφλημα, ὅ, τι χρὴ καταθέντα ἐπίτιμον γενέσθαι τοῦτον, ἀλλ' ἁπλῶς ἅτως ἠτίμωται; quae vltima verba eandem vim habent, quam ea, quibus paullo ante erat uſus, καθ' ἅπαξ ἄτιμον γενέσθαι. Quod diximus homines eos, qui hoc ἀτιμίας genere fuerint puniti, ab omni omnino reipublicae adminiſtratione fuiſſe excluſos ita, vt nullam priſtinae dignitatis vnquam recuperandae ſpem retinuerint: id etſi hic locus Demoſthenis

l) In Orat. contra Timarchum. p. 173.
m) Orat. adu. Midiam p. 397.
n) Orat. laud. p. 389.
o) In Commentario huius Orationis p. 173.
p) p. 399. Orat. laudata.

nis satis luculenter ostendit, tamen alio quodam, eoque non minus dilucido loco q) Auctoris eiusdem confirmare possum, in quo differte οἱ ὀφείλοντες τῷ δημοσίῳ, quos supra testibus satis, vt opinor, grauibus ostendimus ad certum tantum tempus a reipublicae administratione remotos fuisse, illi igitur ὀφείλοντες τῷ δημοσίῳ s. *Aerarii* distinguuntur a τοῖς καθάπαξ ἀτίμοις, s. iis, quibus omnis omni tempore aditus ad honores consequendos, munerague publica obeunda erat intercluſus. Horum autem ἀτίμων non vna semper erat, eademque ratio. Quidam enim a republica capessenda in perpetuum arcebantur ita, vt bona ipsis integra et salua manerent, quod cum ex multis aliis, tum ex loco Andocidis paullo ante adducto intelligi potest: quidam vero cum munerum publicorum priuatione, etiam fortunarum suarum iacturam sentiebant, cuius rei exemplum illustre commemorat r) Demosthenes, vbi de acerbitate legis a Leptine latae conqueritur, cuius violator ipse ἄτιμος fiebat, eiusque bona publicabantur; ἄτιμος ἔσω, inquit, καὶ ἡ οὐσία δημοσία ἔσω propterea Demosthenes adiicit, δύο τιμήματα ταῦτα. Sed indicatur praeterea voce ἀτιμίας aliud quoddam poenae genus, quod in triplici illo, de quo huc vsque disputauimus, non est comprehensum. Est enim, vbi vox ἄτιμος vsurpetur de eo, qui patria sua eiectus, extorrisque viuit: quem significatum deprehendisse mihi videor apud Plutarchum s) in his verbis: Ἀτίμων ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν πρὶν ἢ Σόλωνα ἄρξαι, ἐπιτίμους εἶναι, πλὴν ὅσοι ἐξ Ἀρείου πάγου ἢ ὅσοι ἐκ τῶν Ἐφετῶν ἢ ἐκ πρυτανείου καταδικασθέντες ὑπὸ τῶν βασιλέων ἐπὶ φόνῳ ἢ σφαγαῖσιν ἢ ἐπὶ τυραννίδι ἔφυγον, ὅτε θεσμὸς ἐφάνη ὅδε, quorum verborum sensum ego puto esse hunc: Qui aliquam capitis diminutionem passi sunt ante, quam Solon Archon

q) Orat. contra Aristogiton. p. 494.
r) In Orat. contra Leptin. p. 383.
s) In Vita Solonis pag. 162. Edit Steph.

factus est, ii pristinae suae dignitati restituantur, exceptis iis, qui apud Areopagitas, aut Ephetas aut in Prytaneo caedis aut regni affectati crimine damnati solum verterunt, patriaque extorres vixerunt, quum ista lex fuit proposita. In quibus verbis quis non diserte dici intelligit, priores illos ἀτίμους dignitati suae fuisse restitutos, sed posteriores illos mansisse ἀτίμους, h. e. non fuisse reuocatos ex exilio in quo vixerint tum, cum ista lex sanciretur? Neque me poenitet eius esse sententiae vt putem, eodem significatu vocem ἄτιμος esse adhibitam in alia lege a Plutarcho [t]) adducta, quae est haec: Ἄτιμος ἔστω ὃς ἐν στάσει μηδετέρας μέρίδος γενόμενος. Huius legis sententiam puto esse hanc: Qui in seditione ciuili medios se gerere, domique sedere quieti velint, eos patria sua esse eiiciendos. In quo quidem me mirifice confirmat Gellii [u]) auctoritas, qui vltima huius legis verba interpretatus est ita: *Is domo, patria, fortunisque omnibus careto, exul, extorrisque esto.* Neque est, quod quis sententiae meae infringendae obiiciat Ciceronis auctoritatem, qui huius legis verba, ἄτιμος ἔστω, latine reddit ita, *Solonem capite sanxisse.* Quis enim nescit capitis poenam etiam dici de exsilio? Quod ad legem ipsam attinet, [x]) Plutarchus alio loco eam vocat παραλογωτατον νόμον, sed prudentiae Solonis in hac lege sancienda defensionem suscepit [y]) Gellius. Caeterum haec Solonis lex succedente tempore vim suam amisit, quod intelligi potest ex [z]) Lysia. Sed quorsum haec disputo? quorsum? nempe eo, vt videamus, an possimus veram vocis ἄτιμος notionem inuenire, quae conueniat illi Demosthenis loco, qui docet Arthmium

t) In Vita Solon. p. 163.
u) Lib. II. c. 12.
x) In Disp. περὶ τῶν ὑπὸ θείᾳ βραδέως τιμωρουμένων p. 976. Edit. Steph.
y) Lib. II. c. 12.
z) Orat. adu. Philon.

um Zelitem cum ſuis ἄτιμον fuiſſe pronunciatum. Quid igitur? conuenitne ex illis quatuor τῷ ἀτίμῳ ſignificatibus, quos indicauimus, ſatisque luculentis, ni fallimur, exemplis confirmauimus, vnus, qui nos doceat, quo poenae genere fuerit Arthmius affectus cum factus ἄτιμος dicitur? Minime vero. Habet enim in illo Demoſthenis loco vox ἄτιμος ſignificatum paullo inſolentiorem. Quem igitur? hunc, vt ſignificet hominem *ſacrum* ſ. eum, qui ab vnoquoque poteſt impune occidi. Quae quidem ſententia mea vt auctoritatem aliquam accipiat: adducam teſtem a) Harpocrationem, vt eam ſuo aſſenſu confirmet. Ἄτιμος, inquit, τοῦτο ἰδίως ἔταξε Δημοσθένης Φιλιππικοῖς, ἡγοῦν ὃν ἄν τις ἀποκτείνας οὐχ ὑπόκειται ἐπιτιμίῳ. Sed quid attinet in inſolenti huius vocis ſignificatu inueniendo ad aliorum auxilium decurrere, cum Demoſthenes ipſe, optimus profecto harum rerum interpres, diſerte dicat, quae vis huic voci in hoc loco ſit, poteſtasque tribuenda: qui cum dixerat Arthmium iſtum fuiſſe ἄτιμον pronunciatum, veritus, ne huius vocis ſignificatus vſitatus animis auditorum obuerſaretur, explicandae huic voci adiecit haec: τοῦτο δ' ἐστὶν οὐχ ἥν ἄν ὅτωσί τις φήσειεν ἀτιμίαν, h. e: *Hoc, ſc. ignominia affici, non eſt ſc. ea ignominia, quam quis vulgo et ordinarie patitur, quando quis ſc. ab adminiſtratione reipubl. remouetur*; τί γὰρ τῷ Ζελείτῃ τοῦτ' ἔμελεν εἰ τῶν Ἀθηναίοις κοινῶν μὴ μεθέξειν ἔμελλεν; ἀλλ' ὃ τοῦτο λέγει, ἀλλ' ἐν τοῖς Φονικοῖς γέγραπται νόμοις· ὑπὲρ ὧν ἄν μὴ διδῷ δίκας φόνου δικάσασθαι, ἀλλ' ἐναγὴς ἦν τὸ ἀποκτεῖναι καὶ ἄτιμος φησὶ τεθνάτω. τοῦτο δὴ λέγει καθαρὸν τὸν τῶν τινα ἀποκτείνοντα εἶναι. Quid igitur? probauine TIBI, HOMMELI DOCTISSIME, ſententiam meam, qua contendebam, ἄτιμον in hoc Demoſthenis loco ſignificare hominem *ſacrum* ſ. eum, quem occidere impune vnicuique liceat? Mihi quidem videtur. Hic locus, ſignificatusque vocis

a) In voce ἄτιμος.

in eo occurentis paullo insolentior si animo PETITI obversatus fuisset tum, cum eiusdem vocis ἄτιμος interpretationem, ab Vlpiano profectam, legeret: non profecto hunc Enarratorem graecum, eiusque sententiam reprehendendam putasset. Cum enim legem quandam, a [b]) Demosthene laudatam, cuius sententia erat haec, vt si quis in perniciem populi aut daret, aut acciperet munera, is esset ἄτιμος καὶ παῖδες καὶ τὰ αὐτοῦ, hanc igitur legem cum [c]) Vlpianus interpretatus esset his verbis, ἀκῦρον πρὸς ἀμφότερα χρήσιμος ἡ ἀνάγνωσις τῷ νόμῳ, διότι θανάτῳ τῆς τιμίας ὡρισμένης κατὰ τῶν διαφθειρόντων, PETITVS hanc vocis ἀτίμου interpretationem ab Vlpiano traditam falsam esse vult ex eo, quod lex nihil dicat nisi ἄτιμος ἔστω, quod etsi de grauissimo ignominiae genere sit intelligendum, tamen nihil grauius indicari quam hoc, huius legis contemptorem ab omni publicorum munerum administratione esse remouendum. In quo quidem sine dubio vir ille longe eruditissimus nota censoria in istam Vlpiani interpretationem non animaduertisset, si cogitasset, alias esse ἀτίμου significationes, in triplici illo genere ἀτιμίας non comprehensas.

Quam vim ista nominum in pilam inscriptio habuerit, quidque eam sit secutum, etsi TE IPSVM, HOMMELI DOCTISSIME, ex disputatis intelligere scio: tamen officii mei esse, partiumque puto, vt paucis exponam. Cum hominum grauis cuiusdam crimini conuictorum (quod quale fuerit paullo post docebitur,) nomina vna cum Elogio pilae essent inscripta: praeconis vox vnicuique, eiusmodi Steliten aliquem interfecturo, non modo impunitatem, sed [d]) praemium etiam facinoris praeclari promittebat. Haec praemia proposita dicebantur ἐπικηρυκευόμε-

b) In Midiana p. 401.
c) Commentar. in Midian. p. 177.
d) De ea re agit Enarrator Graecus Aristoph. in Au. v. 1073.

κευόμενα χρήματα; alterum autem illud, proſcripti cuiusdam interficiendi cauſa nummos edicere, dicitur Graecis χρήματά τινι i. e. alicuius cauſſa ἐπικεκηρυχέναι, quod me docuit e) Demoſthenes cum dicit: Θηβαίοις χρήματα ἐπικεκηρυχέναι Φιλίππῳ, h. e. Thebanos publice per praecones nummos promiſiſſe ei, qui Philippum eſſet interfecturus. Hic vero quid impedit, quo minus f) Vlpianum audiamus de hoc more accurate exponentem. Ὅταν πόλις, inquit, ἔχῃ πρός τινα δυσμένειαν, ἐπιβοᾷ καὶ ἐπικηρύττει μισθὸν καὶ χρήματα τῷ φονεύσαντι· et paullo poſt, ὅταν πόλις, ὡς ἔφημεν, ἐχθρὸν ἔχσά τινα ἐπιβουλεύοντα αὐτῇ καὶ βούλοιτο αὐτὸν ἀνελεῖν, χρήματα κηρύττει τῷ ἀνελόντι αὐτόν. πολλάκις δὲ καὶ ἐπὶ ἰδιωτῶν τοῦτο ἐγένετο. Quae pecunia publice promittebatur interfecturo aliquem Steliten, eam iam diximus Graecis vocari χρήματα ἐπικεκηρυγμένα. Quae quidem pecunia, quo facilius homines alliceret eos, qui proſcripti cuiusdam occidendi partes in ſe eſſent ſuſcepturi, in foro, aut in templis arae imponebatur, vnde ſtatim auferri poterat. Docuit me eam rem, non vbiuis obuiam g), Aeneas, cuius locum, quoniam intelligo eſſe ampliorem, quam quem huius Commentatiunculae anguſtiae capere poſſint, non, credo, poſtulabis a me, HVMANISSIME HOMMELI, vt huc transferam.

Horum *Stelitarum* quando apud Veteres exigua fit mentio: non opinor, quemquam fore, qui acerbe a me exigat hoc, vt multos producam, qui iſto ignominioſae, capitalisque poenae genere fuerint puniti. Qui pauci veterum monumenta perluſtranti ſeſe obtulerunt *Stelitae*, eorum nomina edam. Et omnium primus quidem, quem ego quidem ſciam, Stelitarum fuit Diagoras, cognomine

e) In Orat. de falſ. Legat. p. 203.
f) In Commentar. de falſ. Legat. p. 83.
g) Poliorcet. c. X.

Athei insignis, de cuius poena non facile vidi, qui dilucidius exponeret Enarratore Graeco h) Aristophanis ad hos Comici versus:

Ἦν ἀποκτείνῃ τις ὑμῶν Διαγόραν τὸν Μήλιον
Λαμβάνειν τάλαντον.

In *Stelitarum* numerum fuisse relatum Alcibiadem, non i) Isocrates solum dicit, sed ex Cornelio k) etiam colligitur: qui etsi non diserte dicit impunitatem Alcibiadis occidendi vnicuique fuisse propositam: tamen id aliunde constat. Qui enim ob mysteria profanata (in quo crimine Alcibiadem haesisse, quis est in antiquitatis memoria tam parum versatus vt nesciat?) damnati sponte ante iudicum sententiam latam vrbe cesserint, morti eos fuisse addictos, eius rei auctor est l) Andocides. Conf. de eodem Alcibiade et de re eadem m) Thucydides. His adnumerandus est Arthmius Zelites, cuius n) Demosthenes et alii aliquoties mentionem fecerunt; item Hipparchus de quo est apud o) Lycurgum.

Hic vero longe absum vt dubitem, quin TV, DOCTISSIME HOMMELI, sis a me postulaturus hoc, vt dicam, quae fuerint illa crimina, quae tam grauem poenam iis contraxerint. Ego, quantum ex lectione Veterum intellexerim, scio fuisse duo: quorum alterum erat, si quis Athenienses, aut eorum socios pecunia corrumpere, hostique in manus tradere conatus esset, cuius criminis conuictum Arthmium illum Zeliten damnatum fuisse scimus; alte-

h) In Auibus v. 1073.
i) In Orat. de Bigis p. 461. Edit. Basil.
k) In vita Alcib. c. V.
l) In Orat. de Myster. p. 176.
m) Lib. VI. pag. 416. seq. Edit. Duc.
n) In Philipp. III. p 49. de falsa Leg. p. 236. Aeschines contra Ctesiph. pag. 320. Dinarchus in Orat. contra Aristogit.
o) Orat. adu. Leocrat.

alterum vero, si quis mysteria profanasset, religionemque adeo contaminasset, cuius criminis postulatum fuisse vidimus Diagoram. Alcibiades vero, etsi Hermarum deiectorum crimine accusabatur: tamen inprimis premebatur eo, quod mysteria vulgasset. De qua re apud Andocidem est in oratione saepius laudata.

Meminisli haud dubie, HOMMELI DOCTISSIME, supra a me esse dictum, quorum nomina pilis fuerint inscripta, eos ignominia fuisse notatos, vrbeque eiectos vniuscuiusque iniuriae et vi expositos: quod quidem non ita intellectum volo, quasi ista nominum pilae inscriptio semper eam vim habuerit, ita vt quorum nomina fuerint inscripta, iis ignominiae aut exilii onus fuerit subeundum. Hoc neque dico, neque in opinione cuiusquam relinqui volo. Nam inscribebantur etiam pilis nomina virorum de republica optime meritorum, vt horum monumentorum ope eorum memoria ad gratam posteritatem propagaretur. In quam quidem rem egregius est p) Demosthenis locus. Et q) Vlpianus de eadem re tradit haec: Στήλη ξύλον ἢ λίθος τετράγωνος εἰς ὃν ἐγέγραπτο τὰ τῶν δώρων. Et omnium luculentissime eandem rem exponit r) Suidas. Στήλη, inquit, ἐστὶ λίθος ἢ χαλκὸς ἐπιμήκης τετραγώνῳ σχήματι ἰδρυμένος, ἐν ᾗ γέγραπται ἡ τῆ σηλιτευομένῳ ὕβρις, πολλάκις δὲ καὶ τῶν εὐεργετῶν εὐεργεσίαι ἀναγράφονται. Sed non horum hominum solum nomina pilis inscribebantur, sed eorum etiam, qui societatem inierant, foedusque amicitiae causa firmandae fecerant. Qui huius societatis, foederisque ei confirmandae facti participes erant, eorum nomina columnae inscribebantur, ipsique sociis εἰς στήλην ἀναγεγραμμένοι dicebantur. Cuius rei insigne est exem-

 plum

p) In Orat. adu. Leptin. 376.
q) In Orationem aduerf. Leptin. p. 144.
r) In Voce Στήλη.

plum apud s) Aeſchinem. Hi omnes etſi pilis inſcribebantur: tamen vſus, qui in his rebus ſolus fere dominatur, obtinuit, vt nunquam *Stelitae* vocarentur, adeo vt quoties *Stelitarum* mentio ſit apud Graecos veteres, ſemper ſint intelligendi ii, quorum nomina eo conſilio ſint inſcripta, vt ignominia afficerentur, vrbeque eiecti ab vnoquoque poſſent impune occidi.

Caeterum neſcio, an operae ſit pretium adiicere hoc, quoniam Στηλίτην fieri maximum erat ignominiae genus, inde veniſſe, vt στηλιτευειν τινα ſignificet, *ignominia aliquem, contumeliaque afficere.* Neque aliud ſpectaſſe puto HESYCHIVM, cum στηλιτεῦσαι expoſuit per τὸ θριαμβεῦσαι; hoc enim nihil eſſe aliud, quam *grauiſſimo ignominiae contumeliaeque genere afficere*, ex iis intelligitur, quae de voce θρίαμβος obſeruat t) CVPERVS. Facit huc SVIDAS: Στηλευθῆναι· Φανερῶς δημοσιευθῆναι· ἀπὸ τῶν στηλῶν τῶν δημοσίᾳ προστιθεμένων μεταφορικῶς. Quod ſi cogitamus: non eſt quare anxie quaeramus rationem qua ductus GREGORIVS NAZIANZENVS orationes ſuas inuectiuas contra gentes inſcripſerit, στηλιτευτικὰς λόγους; huius enim inſcriptionis rationem a more quorundam hominum, ignominia et contumelia notandorum, nomina pilis inſcribendi eſſe petitam, antiquus eius Commentator tradit. Neque alia eſt τῦ στηλοκοπεῖν notio, quam haec, vt denotet, alicuius nomen contumeliae ignominiaeque cauſſa pilae inſcribere, vnde u) Polluce auctore dicitur ἐστηλοκοπημένος is, qui contumeliam aliquam et ignominiam eſt paſſus. Quod ſi cogito, non video quare στηλοκόπας non dici poſſit is, qui alios ignominia et contumelia afficit et maledictis dilacerat. Non dubito quin TIBI, HOMMELI, in Veterum monumentis cognoſcendis DILIGENTISSIME, occurrat Polemo ille Grammaticus, quem

s) Orat. contr. Cteſiph. p. 284.
t) Obſeruatt. Lib. I. c. 12.
u) Lib VIII. ſ. 73.

quem x) Athenaeus cognomine στηλοκόπᾳ fuisse insignitum tradit y). CASAVBONO, cui in hoc litterarum genere facile omnes assurgunt, non dubium est, quin id cognomen Polemoni inditum fuerit ex eo, quod studiosus fuerit in colligendis monumentis et scriptionibus publicis in Acropoli seruatis. Sed non me mouet tanti Viri auctoritas, vt eius sententiae, nimis longe petitae, subscribendum putem. Me quidem non video quare poenitere possit sententiae, quam et z) Valesio placere postea intellexi, vt putem, Polemoni cognomen τᾷ στηλοκόπᾳ exinde adhaesisse, quod cum alios, tum Eratosthenem, cuius scriptorum censuram egerat, maledictis lacerauit, ignominiaque affecit.

Sed intelligo me limites huic Commentatiuncu'ae constitutos esse transgressum; quam quidem disputandi immodestiam non inepto ambitiose differendi studio, sed iucundissimae TECUM, SVAVISSIME HOMMELI, colloquendi voluptati tribuendam putabis. Mihi enim in hac Commentatione, ad TE scripta, occupato cum iucundissima TVI imago semper obuersata sit ita, vt TECUM tanquam praesente colloqui mihi viderer: TVA vrbanitate, elegantia, amoenitateque ingenii captus longius in disputando sum productus. Nunc vero, ne ineptus hoc die TVO et importunus disputatione male producenda videar: eam finiam, cum officium peregero id, cui praestando omne hoc, quicquid rei est, susceptum est. Intelligis nempe, DOCTISSIME HOMMELI, me loqui de officio honores hoc die TIBI collatos gratulandi. Quamquam autem ipse, qui omnem TVAM fortunam communico, de hac TVA felicitate ita laetor, vt mihi videar esse is, cui potius sit gratulandum, quam qui alii gratulari debeat: tamen

x) Lib. VI. Deipnos.
y) Adnotatt. in Athenaeum p. 409.
z) Ad Harpocrat. in animadu. in Notas Mausaci p. 230. Edit. Gronou.

tamen non putaui mihi esse committendum, vt hoc officio negligendo amicitia TVA non ambitiosa magis, quam vera indignus quodammodo esse videar. In quo quidem perquam difficile est ad iudicandum, PARENTINE TVO plus, an TIBI sit gratulandum. Nam PARENTEM TVVM OPTIMVM, PATRONVM mihi summa obseruantia COLENDVM, quis non longe felicissimum praedicet, quod cum suis virtutibus, tum inprimis TE filio, qui virtute ingenio, doctrinaque Paternam imaginem refers, omnium facile fortunam superat; et qui fortunae fauore, siue potius sua prudentia, diligentiaque in TE erudiendo assecutus est hoc, vt officium amoris erga filium, quod natura Parenti necessarium facit, EI efficeretur gratum. TIBI vero, HOMMELI ORNATISSIME, quis non liberaliter fateatur omnes TVOS maximam gratulationem debere, non solum ob caussam eam, quod PARENTEM habes eum, qui prudentissimus studiorum TVORVM, fidelissimusque auctor, TE erudiuit artibus iis, quibus ingenia ad magnae fortunae cultum excitantur, sed etiam, quod consiliis TVIS sapientissimis in litterarum studio colendo euentus felicissime respondit, ita vt hodie summae TVAE diligentiae honores summi sint tributi, maioresque, mox capiendi, ostendantur: qui vt fausti TIBI felicesque sint, precor. Habes a me TIBI, HOMMELI AMICISSIME, hoc die offerendum munus, si eius dignitatem spectas, leue, si animum meum, magnum. In beneficii, a TE mihi tributi, loco ponam, si me dignum iudicaueris, a quo munus, animo et voluntate maius et amplius, quam re, accipias. De meo erga TE amore non est quod dicam: hoc vnum TIBI persuadeas rogo, me vitam potius esse, quam eum depositurum.

III. DE

III.

DE IVDICVM ROMANORVM DECVRIIS.

§. I.

Instituti ratio redditur.

Cum ad hunc de Iudicum Romanorum Decuriis locum illustrandum animum appellerem, non defuturos esse facile intelligebam, qui mirentur, quid sit, quare, cum nulla humanitatis pars ingeniorum, doctrinaeque luce magis sit collustrata, quam Romana historia, ego tamen ex ea potissimum Commentationis meae materiam petendam putarim. Iam vero cum non ita leuis animi sim, famaeque negligens, vt, quid quisque de me laboreque iudicet meo, non magnopere curandum putem, si hanc rem ita, vt ipsius dignitas postulat, illustratam a quoquam vidissem, non profecto tam parum viros doctos essem veritus, vt iterum legendam eam, disceptandamque eruditis hominibus proponerem. Etsi enim non sum omnium rerum ita ignarus, vt nesciam, multos esse, qui huius generis Commentatiunculis de re, ad odium vsque disputata, institutis ad eruditionis laudem grassentur, doctique hominis famam aucupentur; tamen idem ille nec hoc ignoro, omnes illas Disputatiunculas elegantum in ea re a) iudicum prudentiae non magnopere probari, ipsosque adeo earum auctores diligentiae forte laudem aliquam, doctrinae vero auferre nullam. Itaque cum mihi verendum

a) Conf. in hanc rem aurea illa Burmanni praef. ad lib. de vectig. Rom.

dum esset, ne, si haec ipsa res satis iam esset *hominum* doctorum disputationibus disceptata, eiusdem disputationis odio aures hominum eruditorum obtunderem: relictis omnibus id agendum mihi esse putaui, vt prius ad libros eos, e quibus harum rerum cognitio est petenda, legendos accederem, quam manum huic Commentationi elaborandae admouerem. In quibus libris cum hanc rem expositam esse ita viderem, vt multa, etsi neque satis accurate semper, neque satis descripte de Iudicum decuriis dicerentur, nihil autem de earum origine, numero, mutatione neque traderetur, neque satis constanter de iudicibus selectis, de quibus inter Veteres ipsos non vna est, eademque sententia, disputaretur: facile adduci me passus sum in opinionem eam, vt putarem, non fuisse doctis illis Viris animum accurate de ea re, diligenterque agendi, neque adeo esse, quare me mei consilii, ante aliquot annos capti, de Iudicum Romanorum decuriis, commoda aliqua occasione oblata, disputandi poenitere possit. Quare cum academicae rationes necessitatem mihi imponerent, Disputationem aliquam, ex humanitate depromptam, disceptationi hominum eruditorum proponendi: non diu mihi fuit, solliciteque quaerendum, in quo potissimum argumento occupari eam vellem, sed statim constitui, quae loca, huic rei illustrandae apta, in lectione Veterum obseruaueram, ea ex Commentariolis meis colligere, et describere ita, vt formam aliquam Commentationis, habitumque induerent. Quae quidem Commentatio cum neque ob orationis elegantiam et cultum, neque rerum ipsarum dignitatem, praestantiamque sit commendabilis, non ita in lucem, adspectumque prodit, vt elegantibus harum rerum quasi spectatoribus iactare se, ostentareque velit, aut eorum amorem se sibi esse conciliaturam confidat; sed vt spectandam se, perpoliendamque limatulis hominum doctorum iudiciis permittat, freta scilicet dul-

cissima

ciſſima illa, certiſſimaque ſpe, fore vt ſpectatione illa et cenſura eruditorum elegantior, perfectiorque reddatur.

§. II.

Duplex notio voci Decuriae eſt ſubiicienda.

Nobis autem de Iudicum Romanorum decuriis diſputaturis leges Diſputationis, via et ratione inſtituendae, imponunt hoc, vt relictis omnibus accuratam interpretationem vocis *Decuriae* afferamus, omnemque vocis ambiguitatem ex hac diſputatione proſcribamus. Harum legum auctoritatem eo magis obſeruandam nobis eſſe intelligimus, quo ſaepius nobis videmur animaduertiſſe, Viros etiam longe doctiſſimos neque ſatis diligenter de ea voce, neque ſatis diſtincte agere. Nam ſummus ille [b] CASAVBONVS decuriam Iudicum definit ita vt dicat, Decuriam eſſe album, cui nomina Iudicum inſcriberentur. Iam etſi ego non is ſum, qui huius vocis interpretationem, a CASAVBONO profectam [c], GRAEVIO autem, multisque aliis doctis Viris vehementer probatam, reiicere audeat: tamen non arrogantiae cuiusdam ſuſpicionem ſubiturum me eſſe putem, ſi dixero, non ſatis accurate eam eſſe, neque ſatis diſtincte pro temporis ratione conceptam. Eſt enim, quemadmodum multarum aliarum in lingua latina, ita huius vocis, qua hoc loco vtimur, ea ratio, vt pro diuerſo tempore ipſa quoque diuerſam vim, poteſtatemque ſubiectam habuerit; quam diuerſam vocis ſignificationem niſi quis cognitam habeat, et in veterum lectione obſeruet, non poterit iuſtam notionem animo informare ſuo. Longe enim aliam vim ſubiectam voci *Decuriae* voluit CICERO, cum loquitur de iudicum decuriis eo tempore, quo hae decuriae conſcribebantur e ſolis ſenatoribus, quam SVETONIVS, cum dicit, Auguſtum ad tres iudicum decurias addidiſſe quartam, aut cum [d] PLINIVS decuriarum

b) ad Sueton. Aug. cap. XXXII.
c) ad Cic. Verr. I. ſub fin.
d) Hiſt. N. Lib. XXXIII.

rum iudicum meminit. Cum enim CICERO mentionem facit harum decuriarum eo tempore, quo iudicia aut apud senatum, aut Equites, aut denique apud ordinem vtrumque erant, vocis *Decuriae* ea notio animis legentium obversari debet, vt intelligant *Classem, tabulam s. album, cui erant inscripta nomina eorum Senatorum aut Equitum, qui in Iudicum numerum erant a Praetore relati;* si quis autem harum Decuriarum mentionem fieri videt eo tempore, quo Iudices electi sunt non tantum ex ordine Senatorio aut Equestri, sed ex vtroque, aut plebeio etiam, ita vt Auctores tres, quatuor, aut quinque esse iudicum Decurias dicant, tunc *Decuria* denotat *ordinem*; quod vocabulum ordinis non eo sensu hic intellectum volumus quo sumitur, cum vniuersus populus Romanus in tres ordines distributus dicitur, cum constet plures quam tres fuisse Iudicum decurias; sed voce *ordinis* idem significare volumus, quod Graeci vocabulo τάξεως exprimunt, adeo vt, cum Augusti temporibus fuisse quatuor, Caligulae quinque Iudicum decurias dicimus, nihil aliud intelligi velimus nisi hoc, quatuor aut quinque fuisse τάξεις s. ordines classesue iudicum. Cum igitur [e]) CICERO dicit, *ex hac Decuria nostra*, et [f]) alio quodam loco *alteram Iudicum decuriam senatoriam* nominat, quoniam eo tempore, quo haec dicebat, Decuriae iudicum non nisi e Senatoribus conscribebantur: quis non ipse intelligit, per decurias nihil esse intelligendum aliud quam Classes, in quas Senatores, iudicum partes susceptúri, erant descripti? Quod autem diximus, Decurias Iudicum, quando earum Augusti et sequentium Imperatorum tempore mentio fit, idem significare quod ordines, adeo vt, cum Auctores dicunt Augusti tempore quatuor, Caligulae vero quinque fuisse Iudicum Decurias, nihil aliud velint indicare quam hoc,

e) Lib. I. in Verr. c. LXI.
f) Lib. II. in Verr. c. 32.

hoc, fuiſſe quatuor aut quinque ordines Iudicum, id fecimus g) ASCONIO et h) PLINIO auctoribus. Nam et ASCONIVS et PLINIVS diſerte Decurias nominant ordines, neque id eo ſenſu volunt intellectum, quo tres ordines Romae fuiſſe dicuntur, quod ipſum CASAVBONVM impediit, quo minus voluerit has Decurias Iudicum, cum earum apud SVETONIVM mentio fieret, exponere per ordines, quoniam tres tantum ordines eſſent in Romana republica, plures autem Decuriae; ſed per ordines in hac quidem re nihil aliud indicare voluerunt, quam τάξεις Iudicum inter ſe diuerſas. PLINIVS cum de tribus Decuriis Iudicum eſſet locutus, quartae mentionem iniicit ita, vt eam diſerte ordinem nominet. *Praeter hos etiammum,* inquit, *Nongenti vocabantur, ex omnibus ſelecti ad cuſtodiendas ciſtas ſuffragiorum in Comitiis. Et diuiſus hic quoque ORDO erat ſuperba vſurpatione nominum, cum alius ſe Nongentum, alius Selectum, alius Tribunum appellaret.* Per illum autem ordinem, de quo PLINIVS loquitur, nihil eſſe intelligendum aliud, quam quartam Iudicum decuriam, vel ex eo intelligitur, quod paullo poſt dicit, Caium Principem adieciſſe quintam Decuriam. Neque vero eſt, quare quis notatione vocis deceptus exiſtimet, ſingulas Iudicum decurias decem tantum Iudices comprehendiſſe, cum i) Viri docti iam dudum docuerint, voce decuriae non denarium tantum, ſed alium etiam multo maiorem ſignificari numerum. Quot autem Iudices vnaquaeque decuria continuerit, non facile, opinor, cuiquam erit oſtendere. Et k) CASAVBONVS quidem, Vir ſummus, non dubitat vniuscuiusque Decuriae

numē-

g) ad Lib. I. in Verr. c. LXI.
h) L. XXXIII. c. 2.
i) Reineſ. Inſcriptt. Claſſ. I. 19. Philipp. a Turr. Mon. Vet Antii. c. III. p. 51.
k) ad Suet. Aug. cap. XXXII.

numerum definire ita vt dicat, ſingulas decurias ſingula minimum millia continuiſſe, idque auctore PLINIO confirmaturum ſe eſſe confidit; in quo Vir maximus ſine dubio lapſus eſt. Nam l) PLINIVS dicit ille quidem, ſingulis decuriis Iudicum ſingula minimum millia fuiſſe attributa; ſed id non de omni, ſed Auguſti et ſequentium Imperatorum tempore intelligit. Quis enim perſuaderi ſibi patiatur, vnamquamque Decuriam eo tempore, quo Iudicia apud Senatum fuerunt, comprehendiſſe mille Senatorum, cum conſtet exiguum tunc temporis Senatus numerum fuiſſe, et a Sylla demum, auctore m) APPIANO, eum auctum fuiſſe ita, vt ſummam quingentorum Senatorum impleret. Sed quemadmodum multa alia in hac quidem re Viri docti non ſatis accurate pro diuerſa temporis ratione diſputarunt et a ſe inuicem diſtinxerunt: ita etiam in numero Iudicum vnicuique Decuriae attribuendo aliquid humani CASAVBONO accidit. Neque vero aliqua veritatis ſpecie ſeſe nobis commendat ſententia n) HOTTOMANNI, qui putat, vnamquamque Decuriam Iudicum comprehendiſſe Iudices centum, cum decuria idem valeat atque decies decem. Caeterum illud vix operae pretium exiſtimamus vt adiiciamus, quod Ciceronianarum Orationum Enarrator, ASCONIVS PEDIANVS, tradit de diſcrimine, quod intercedere vult inter Decurias et Centurias. Dicit enim o), Decurias dictas fuiſſe honeſtiorum hominum, Centurias autem inferiorum. Sed haec differentia eſt nulla, cum ſatis notae ſint decuriae ſcribarum, de quibus p) H. VALESIVS, et decuriae lictorum, coquorum, de quibus eſt apud q) REINESIVM. Quid?

l) L. XXXIII. 2.
m) Lib. I. Bell. Ciuil.
n) ad Lib. I. in Verr. c. LXI.
o) ad Lib. I. in Verr. C. LXI.
p) ad Am. Marc. Lib. XXVIII. c. 6.
q) Inſcriptt. Cl. I. 19.

Quid? quod ipſe ASCONIVS Centuriae vocabulum, quod hominum inferiorum eſſe adnotat, adhibuit r) quodam loco de Iudicum e Senatu conſcriptorum Decuriis. *Pompius*, inquit, *tulit, vt ampliſſimo ex Cenſu ex Centuriis aliter quam antea lecti Iudices aeque tamen ex illis tribus ordinibus res iudicarent.*

§. III.

De Origine harum decuriarum.

Hic vero difficilis quaedam neque ab vllo, quod ego quidem ſciam, non dicam expedita, ſed ne mota quidem quaeſtio oritur de certo illo tempore, a quo harum Decuriarum initium ſit ducendum. Ego etſi CICERONEM, LIVIVM, PLVTARCHVM aliosque curioſe conſului: tamen non ita feliciter mihi ſtudium in ea re indaganda collocatum ſucceſſiſſe ingenue fateor, vt cupiditati ſatisfactum ſit meae. Cum vero lubricum ſit, maximeque delicatum certi aliquid in his rebus ſine Veterum auctoritate pronunciare, neque tamen ea res a ſuſcepti negotii ſocietate ſeiungenda videatur: ad coniecturas decurrendum mihi eſſe intelligo, certa ſpe fretus fore, vt eam humanitatem a lectoribus, aequitatemque conſequar, vt, ſi titubaſſe me in re tam lubrica, lapſumque videant, id imbecillitati virium mearum condonandum putent. Ego quo ſaepius de harum decuriarum origine, diligentiusque cogito, eo magis animus inclinat eo vt putem eam repetendam eſſe a tempore eo, quo prima Quaeſtio perpetua Romae eſt conſtituta. Ante enim tempus illud non mihi videor animaduertiſſe vllum veſtigium decuriae cuiusdam Iudicum monumentis veterum impreſſum, neque adeo, ſi rem accurate diiudicare volumus, earum initium ante id tempus eſt quaerendum. Si enim a primis inde vrbis conditae annis vsque ad tempus illud, quo quaeſtio

r) in Commentario ad Orat. in Piſ. ſub finem.

prima perpetua est constituta, memoriam iudiciorum repetimus, eorundemque habendorum [s]) formam animo subiicimus: intelligemus non fuisse causam vllam, quare decuriae iudicum conficerentur, qui rebus disceptandis constituerentur. Primis enim temporibus quis in lectione LIVII, DIONYSII, aliorumque tam parum versatus est, vt ignorare possit, res, quae in iudicium venissent, disceptatas fuisse a Regibus ipsis, his autem eiectis Consules iuris dicundi munus suscepisse, his postea negotiis bellicis districtis officium iudiciorum exercendorum demandatum fuisse Praetori aut alii magistratui, non patritio solum, sed alii etiam, quem [t]) populus iudicio habendo praefecisset, iudicum vero partes sustinuisse ipsum populum vniuersum, qui causas, vt ego quidem puto, publicas tantum, non priuatas etiam, vt SIGONIVS vult, in Comitiis suffragiorum ope disceptarit. Quod ius harum rerum in Comitiis disceptandarum populo concessum fuisse videtur beneficio legis Valeriae de prouocatione ad populum. Et primis quidem temporibus quoties populus conuocabatur rei cuidam in Comitiis suffragiorum ope disceptandae, id fiebat in Comitiis Centuriatis, vt eius rei auctor est [u]) DIONYSIVS; postea vero Tribunorum importunitate Senatui extortum est hoc, vt eiusmodi causae agerentur in Comitiis tributis, in quibus constat maiorem plebis fuisse, quam Patrum potentiam. In his tributis Comitiis prima causa acta est Marcii Coriolani, de quo apud eundem est [x]) DIONYSIVM. Inde est quod saepe legamus, a Tribunis pl. eiusmodi Iudicia instituta fuisse, populumque, in tribus distinctum, ad suffragia vocatum ab iisdem tribunis, iudicia autem ipsa vocentur *iudicia populi*, quoniam, si eius-

s) De Iudiciorum forma ante perpetuas Quaestiones vid. Pigh. Annal. Tom. I. p. 268.
t) Liu. Lib. X. c. 51. et L. XXXVIII.
u) Lib. VII. p. m. 464.
x) Lib. VII. p. 465. seq.

eiusmodi aliqua res erat disceptanda, non id faciebat praeses vnicuique quaestioni constitutus et electi ad eam rem iudices, vti postea factum esse scimus, sed semper populus a Tribuno plebis aut alio magistratu erat conuocandus, qui in Comitiis causas, ei disceptandas delatas, suffragiis decerneret. Hic mos causarum in Comitiis vniuersi populi disceptandarum diu durauit, cum nondum essent leges constitutae, ex quibus reus aliquis apud magistratum de crimine aliquo posset appellari; posteaquam vero A. V. C. DCIV, siue vt y) PIGHIVS mauult DCIX, auctore L. PISONE lex esset de pecuniis repetundis lata, eamque paullo post aliae de criminibus publicis sequerentur: constitutum est hoc, vti omnes eae causae, non vt antea in Comitiis apud populum vniuersum, sed apud Quaesitorem, cui illius criminis quaestio obtigisset, agerentur; eodem tempore non est dubium, quin fuerint iudices certi constituti, quos eius quaestionis praeses elegerit et in consilium miserit. Ex eo certe tempore legimus, quae res in iudiciis populi vniuersi antea fuerint iudicatae, eas per Iudices, a Praetore datos, fuisse disceptatas, quos iudices aut Praetor ipse aut iudex quaestionis sortiretur. Non enim Praetorem solum, sed iudicem etiam quaestionis sortitum esse iudices, cum ex iis patet, quae tradit ASCONIVS in argumento Milonianae, tum ex iis quae viri summi z) SIGONIVS et a) HOTTOMANNVS de ea re disputarunt. Fuisse autem hos iudices, disceptandae cuidam rei constituendos, a Praetore ex Senatu electos, apud quem solum iudicia post quaestiones perpetuas constitutas fuerunt, vel ex lege b) c. GRACHI intelligi potest, ex qua iudicia a Senatu ad Equites erant transferenda.

y) Ann. Tom. I. p. 268.

z) Lib. II. de Iudic. c. V.

a) Act. pr. in Verr. c. 13.

b) Vid. Plutarch. in Vitis Grach.

Neque in eo concedendo quemquam difficilem me esse habiturum arbitror, fuisse hos iudices, ex senatu electos, in classes s. decurias descriptos, cum CICERO in Verrinis, quas constat habitas esse tum, cum iudicia apud solum senatum essent, dicat, *ex hac decuria nostra*, et alio quodam loco loquatur de altera senatoria decuria; idem etiam ex eo intelligi posse puto, quod ex lege quadam lata tempore eo, quo iudicia solis Senatoribus erant reddita, C. Fidiculanio Falculae mulcta est eo nomine impositа, quod non decuriae suae munere, neque ex lege sedisset. quae verba a c) CICERONE ipso adducta docent, non licuisse Iudici alienae decuriae munere sedere, adeo vt nullus dubitationi locus relictus esse videatur, quin ex Ordine senatorio, cum apud eum iudicia essent, aliquot decuriae s. classes iudicum fuerint conscriptae, et vnicuique earum sua quoque assignata fuerint munera, adeo vt non ad omnia iudicia ex omnibus Decuriis Iudicum senatoriorum legerentur Iudices, sed vna aut altera decuria hoc vel illo tempore a munere iudicandi immunis fuisse videatur, quamquam ego non is sum, qui possit aut audeat affirmare, in quot decurias iudicum ordo senatorius fuerit descriptus, aut quod munus quaeque, et quam immunitatem habuerit d). GRAEVIVS quidem non dubitat affirmare, tunc temporis, quo iudicia apud senatum tantum essent, in tres decurias iudices, e senatu lectos, fuisse distinctos; sed eius rei confirmandae nullam veteris cuiusdam auctoritatem addidit. Eiusdem sententiae e) HOTTOMANNVS est, eique stabiliendae adiicit haec: *In prima et quinta Philippica tres fuisse senatorum iudicum decurias, declarat Cicero.* Sed aliquid humani passus est Vir doctus, cum ista scriberet. In locis enim Ciceronianis, ab eo

c) in Cluentiana c. 37.
d) ad Lib. I. in Verr. c. LXI.
e) ad Lib. I. in Verr. c. LXI.

eo indicatis, per tres decurias iudicum non intelligendae ſunt tres claſſes iudicum, e ſenatu conſcriptorum, ſed tres ordines diuerſi iudicum: de quibus Ciceronis locis, quando in ſequentibus commodior erit dicendi locus, non eſt quare hic multis diſputandum putemus. Neque hic ſolum Vir magnus hunc errorem commiſit, ſed f) alibi etiam in eundem errorem incidit, cum ſcribit, tres fuiſſe decurias iudicum ſenatoriorum, et qui in eam rem adducitur locus g) COELII, is male eſt, inepteque laudatus.

§. IV.

Quot iudices in vnaquaque decuria fuerint?

Cum ſententiam noſtram de origine decuriarum Iudicum expoſuimus, eamque rationibus non tam ab auctoritate Veterum, quam coniectura petitis confirmauimus: diſceptanda nobis ſe offert illa quaeſtio, quot iudices vnaquaeque decuria comprehenderit. Et CASAVBONVS quidem ad hanc quaeſtionem reſpondet ita, vt dicat, ſingulas decurias ſingula millia ad minimum habuiſſe. Sed iam ſupra nos monere meminimus, magnum illum Virum egregie falli, ſi putet, eum numerum Iudicum vniuscuiusque decuriae fuiſſe eo tempore, quo primum decuriae Iudicum ſint confectae, adeo vt, ſi hunc Virum in Romana hiſtoria longe verſatiſſimum ab erroris ſuſpicione liberare velimus, dicendum ſit, eum de Auguſti tantum et ſequentium Imperatorum temporibus intellectum id voluiſſe. Nam HOTTOMANNI, qui quamque decuriam centum iudices comprehendiſſe vult, ſententiam, nulla veritatis ſpecie commendabilem, ſupra iam nobis non magnopere probari diximus. Neque ego ſum is, qui in tanto veterum de ea re ſilentio poſſit certi aliquid de numero iudicum, vnicuique decuriae adſcriptorum, afferre. Dicat forte aliquis, rem eſſe non difficilis negotii numerum iu-

 dicum

f) Lib. II. in Verr. c. 32.
g) Epiſt. VIII. ad Cicer.

dicum in vnaquaque decuria definire ex numero ſenatorum, eo tempore ſcilicet, quo apud ſenatum iudicia fuerint, ita vt, ſi quis conſtituerit certum ſenatorum numerum, ex eo facillime poſſit numerus cuiusque Decuriae colligi. Sed vt nihil dicam, nondum ſatis eſſe auctorum veterum teſtimonio confirmatum, in quot decurias Senatores, cum apud eos ſolos eſſent iudicia, fuerint deſcripti, neque adeo poſſe definiri ſenatorum numerum, quem vnaquaeque decuria comprehenderit: nondum ſatis conſtat, quantus ſenatorum h) numerus ante Gracchorum tempora fuerit, neque etiam, ſi conſtaret, certus iudicum, ex ſenatu deſumptorum, numerus conſtitui poſſet. Non enim eſt, quod quis exiſtimet, eundem fuiſſe Iudicum numerum, qui ſenatorum fuerit. Multi etſi ſenatores erant: tamen in numerum iudicum non referebantur, quod cum ex multis aliis locis, tum ex i) epiſtola quadam COELII intelligi poteſt. Quidam e ſenatoribus eam ob cauſſam non poterant claſſibus iudicum adſcribi, quoniam erant magiſtratus; hos autem non potuiſſe iudicis munus obire, vel ex k) CICERONE dilucide conſtare arbitror. Alii aliam forte quandam ob cauſſam non ſatis digni ſunt habiti, qui a Praetore in numerum Iudicum legerentur, cum l) CICERO diſerte dicat, *Praetores vrbanos iuratos optimum quemque debere in ſelectos Iudices referre.* Videtur enim in Iudicibus legendis ratio habita fuiſſe a Praetore cum diuitiarum, tum dignitatis, quod diſerte tradit idem grauiſſimus m) Auctor. *In Iudice,* inquit, *et fortuna debet, et dignitas ſpectari.* Cum igitur auctoribus veteribus docuerimus hoc, non omnes ſenatores

h) De numero ſenatorum legendus Sigonius Ant. Iur. Ital. Lib. II. c. 2.
i) ad Cicer. Lib. VIII. ep. 8.
k) Act. prim. contr. Verr. c. 10.
l) in Cluentiana c. 43.
m) Philipp. I. c. 8.

res in iudicum decurias fuiſſe conſcriptos, quaeri poteſt illud, quot ſenatores in iudicum numerum fuerint electi? In quo quidem non me poenitet fateri, me non eſſe eum, qui poſſit numerum ſenatorum, in Iudicum claſſes conſcriptorum, definire, cum conſtet, non vnum ſemper, eundemque fuiſſe numerum, ſed pro diuerſa temporum ratione ipſum quoque fuiſſe diuerſum n). MANVTIVS quidem et o) CORRADVS, viri de Romana hiſtoria longe meritiſſimi, non dubitant dicere, ante Grachorum tempora iudices e ſenatu electos, et in decurias adſcriptos, fuiſſe trecentos: cuius ſententiae auctoritatem inueniſſe ſibi videntur apud PLVTARCHVM; cuius locum in eam rem laudatum cum primum legerem, fateor, id ipſum mihi etiam viſum eſſe dicere, cum autem diligentius conſideraſſem, longe aliud quid ſibi velle PLVTARCHVM intellexi; de quo vt commodior fiat iudicandi facultas, non me poenitet eum lectorum oculis ſubiicere. Ὁ δὲ νόμος, inquit p) PLVTARCHVS, δικαστικὸς, ὦ τὸ πλεῖστον ἀπέκοψε τῆς τῶν συγκλητικῶν δυνάμεως, μόνοι γὰρ ἔκριναν τὰς δίκας, καὶ διὰ τοῦτο φοβεροὶ τῷ δήμῳ καὶ τοῖς ἱππεῦσιν ἦσαν. ὁ δὲ τριακοσίοις τῶν ἱππέων προσκατέλεξεν αὐτοῖς, ὅσι τριακοσίοις, καὶ τὰς κρίσεις κοινὰς τῶν ἑξακοσίων ἐποίησε h. e. *Alia lex fuit iudiciaria, quae plurimum circumcidit opes ſenatus. Soli enim ſenatores iudicia in poteſtate habebant, ideoque et populo erant et ordini Equeſtri formidabiles. Hic vero,* GRACHVS, *trecentos equites Romanos trecentis ſenatoribus admiſcuit, atque hiſce ſexcentis communicauit.* Per illos trecentos ſenatores, quos PLVTARCHVS dicit tempore Grachi fuiſſe, non ſunt intelligendi Iudices, quaſi omnes illi trecenti fuerint in Iudicum numero, ſed tantum ſenatores; neque aliud, ſi quid video, PLVTARCHVS vult dicere quam hoc, nume-

n) In Commentt. in Ep. ad Diu. VIII. 8.
o) Epiſt. ad Att. Lib. VIII. 16.
p) In vitis Grach. p. 378.

rum ſenatorum temporibus Grachi conſtitiſſe tantum ex trecentis, quos non conſequens eſt omnes fuiſſe iudices. Hic numerus trecentorum ſenatorum manſit a vetere illo inſtituto Bruti, qui, vti q) LIVIVS auctor eſt, *caedibus regis diminutum Patrum numerum primoribus equeſtris gradus lectis ad trecentorum ſummam expleuit.* Poſtea Grachus legem tulit, qua trecentis illis ſenatoribus trecentos alios ex Equeſtri ordine electos adiiceret; ſed ea aut ſtatim reiecta eſt a populo, aut certe paullo poſt abrogata, cum conſtet, Liu. Druſum retuliſſe id, quod Grachus antea facere conatus eſſet, vt iudicia inter Senatores et Equites communicaret, et ad trecentos, qui tum eſſent, ſenatores, totidem ex Equitibus, delectu optimi cuiusque habito, adderentur, atque ex his ſexcentis, ex quibus vniuerſus ſenatus conſtaret, iudices in poſterum legerentur, cuius rei auctor eſt r) APPIANVS. Quid? quod Auctor, ſiue LIVIVS ipſe, ſiue FLORVS ſit, Epitomes Lib. LX. diſerte dicit, ante Grachi tempora ſenatum fuiſſe trecentorum hominum. *Tertiam*, inquit, legem tulit Grachus, *quae ordinem Equeſtrem tunc cum ſenatu conſentientem corrumperet, vt ſexcenti ex Equitibus in curiam ſublegerentur, et quia illis temporibus trecenti tantum ſenatores erant, ſexcenti Equites trecentis ſenatoribus admiſcerentur*, h. e. *vt Equeſter ordo bis tantum virium in ſenatu haberet.* Nondum igitur ſatis demonſtratum eſt, ante tempora Grachi trecentos fuiſſe in ſenatu iudices, quod MANVTIVS et CORRADVS ex PLVTARCHI loco conficere volebant. Sed is locus aeque ac caeteri a nobis in eam rem adducti nihil docent niſi hoc, tempore Grachi omnium ſenatorum numerum fuiſſe hominum trecentorum. Cum igitur ex iis, quae huc vsque a nobis ſunt diſputata, appareat, nondum ſatis eſſe conſtitutum, quantus numerus ſenatorum ante Syllae tempora fuerit, neque omnes ſenatores

q) L. II. c. 1.
r) De bell. Ciuil. Lib. I. Tom. II. p. 630. Ed. Toll.

res in iudicum decurias esse relatos constet, neque vllo veterum testimonio sit effectum, in quot decurias Iudices, e senatu electi, fuerint conscripti: neminem tam acerbum esse et iniquum putem, qui seuere a me exigat hoc, vt in tanto veterum de ea re silentio definiam numerum iudicum, quem vnaquaeque decuria comprehenderit.

§. V.

A quo, et quoties hae decuriae sint confectae.

Declarata sententia nostra de numero Iudicum, vnicuique Decuriae adscriptorum, ipsius ordinis natura eo nos ducere videtur, vt disceptemus quaestionem eam, quis ius habuerit Decurias Iudicum faciendi. Quam quidem quaestionem ita nos commodissime posse soluere putamus, si dicimus, ius decurias faciendi s. Senatores vel Equites, si apud hos iudicia essent, eligendi et in classes Iudicum describendi habuisse Praetorem vrbanum. Cui rei confirmandae grauissimum possum, locupletissimumque testem producere ipsum s) CICERONEM, qui de hac ipsa re haec tradit: *Praetores vrbanos iuratos debere optimum quemque inter selectos Iudices referre.* Per selectos enim Iudices in hoc quidem CICERONIS loco nullos alios esse, quam eos intelligendos, qui ex vniuerso ordine siue senatorio, siue equestri, siue denique plebeio eligerentur et in Decurias iudicum conscriberentur, in sequentibus luculentis, ni fallimur, rationibus ostendemus. Pertinet huc locus t) GELLII, vbi, nescio quis, ita loquitur: *Quo primum tempore a Praetoribus lecti sint in iudices.* Neque vero est, quod quis existimet, hoc ius decurias Iudicum faciendi semper apud Praetorem vrbanum fuisse, cum interdum idem ius etiam Praetori peregrino concessum fuisse videatur, quod diserte traditur in lege Glaucia, cuius capita vna cum insigni fragmento ex musco P. Bem-

s) In Cluentiana c. 43.
t) Lib. XIV, c. 2.

P. Bembi edito, ex veteribus curioſe collecta edidit u) SIGONIVS. In ea leguntur haec: *Praetor qui ius inter peregrinos dicet CDL viros in perpetuum legito, qui in hac Ciuitate iudicent. Idem facito, vti CDL viros legat, qui quotannis de pecuniis repetundis iudicent.* Quid? quod factum legimus interdum, vt ius eligendi Iudices et in decurias conſcribendi neque vrbanus neque peregrinus Praetor habuerit, ſed eius rei arbitrium apud populum vniuerſum fuerit, quod ei conceſſum eſt lege Plotia, de qua x) ASCONIVS tradidit haec: *Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone Coſſ. ſecundo anni belli Italici, cum Equeſter ordo in Iudiciis dominaretur, M. Plautius Siluanus legem tulit adiuuantibus nobilibus: quae lex vim eam habuit, quam Cicero ſignificat. Nam ex ea tribus ſingulae quinos denos ex ſuo numero creabant ſuffragio, qui eo anno iudicarent. Ex eo factum eſt, vt ſenatores quoque in eo numero eſſent, et quidam etiam ex ipſa plebe.* Cum vero rariſſima huius legis apud veteres fiat mentio, non poſſum dicere, quam diu vim ſuam, auctoritatemque obtinuerit. Sunt viri quidam docti, qui contendant, Pompeium Conſulem etiam ius eligendi Iudices habuiſſe, cui ſententiae ſuae confirmandae adducunt PLVTARCHI auctoritatem, quae mihi quidem hac in re nulla eſſe videtur. Nam y) PLVTARCHVS meminit ille quidem trecentorum et ſexaginta Iudicum, quos dicit a Pompeio in cauſſa ſoceri arceſſitos, non autem dicit a Pompeio fuiſſe electos. Luculentius eam ſententiam de trecentis et ſexaginta iudicibus a Pompeio lectis confirmat z) VELLEIVS, qui tradit, auum ſuum inter illos trecentos et ſexaginta Iudices a Pompeio fuiſſe lectum. Etſi autem interdum alium etiam ius legendi iudices et in decurias deſcribendi habuiſſe

u) De Iudiciis Lib. II. 27.
x) Comment. in Cornelianam.
y) in vita Pomp. p 647.
z) Lib. II. c. 76.

habuisse legimus, quam Praetorem vrbanum: tamen huic id ius proprium fuisse, vel CICERONIS locus supra adductus indicat. Cum autem in antecedentibus confecerimus hoc, non omnes Senatores aut Equites fuisse iudices, sed fuisse quosdam ex iis a Praetoribus lectos, et in decurias conscriptos, relicta nobis est altera quaestio disceptanda, cum hac affinitatis quasi vinculo copulata: quoties illa Iudicum lectio, harumque decuriarum confectio a Praetoribus fuerit suscepta? De qua re etsi sine auctoritate veterum nihil certi pronunciare possum: tamen longe absum vt dubitem, quin singulis annis ista decuriarum quasi recognitio, nouaque iudicum lectio a nouo Praetore fuerit facta. Nam cum Iudicum ea esset ratio, vt, qui in magistratu essent, non possent Iudicis munus obire: facile intelligitur, multos, qui hoc anno Iudicum decuriis fuerint adscripti, si sequenti anno magistratum inierint, non potuisse munus suum retinere, sed in eorum locum alios fuisse Iudices legendos, atque adeo decurias s. classes Iudicum mutandas. Deinde, cum harum decuriarum conscribendarum ius fuerit apud Praetores vrbanos, atque adeo tota res ex ipsorum arbitrio pependerit: quis dubitet, quin, vti a multis aliis institutis antecedentium Praetorum recesserint, neque ea semper sint, et vbique secuti, ita in decuriis quoque iudicum conficiendis suo iure, arbitrioque sint vsi, multosque iudices, ab aliis Praetoribus in numerum selectorum Iudicum relatos, e decuriis eiecerint, aliosque pro sua quisque lubidine in eas conscripserint. Fuisse hoc more apud Romanos, consuetudineque receptum, vt singulis annis nouae iudicum decuriae conficerentur, ex eo quoque colligi posse putem, quia in lege Glaucia Praetori, qui inter peregrinos Ius dixit, iniungitur hoc, vt CDL viros in perpetuum legat. Quibus verbis, *in perpetuum legito*, eius legis auctor videtur voluisse illam consuetudinem singulis annis decurias Iudicum de nouo conficiendi abrogare. Caeterum, quod diximus, decurias Iudicum

a Prae-

a Praetoribus fuiſſe conſcriptas, id tantum intelligi volumus de reip. liberae temporibus, cum Imperatorum temporibus id ius praetoribus fuerit ademptum et ab Imperatoribus ipſis vſurpatum, cuius rei apud a) SVETONIVM ſunt teſtimonia.

§. VI.

Ex quo ordine hae Iudicum decuriae fuerint conſcriptae.

Quae huc vsque non tam veterum auctoritate adiuti, quam ſola fere coniectura ducti, diſputauimus, ea non dubito, quin multis dubitationibus, atque adeo diſputationibus ſint locum relictura: ad quae autem nos nunc ordinis ratio ducit, ea, quoniam veterum auctorum teſtimonio commendantur, aſſenſum ſibi eſſe conciliatura confido. Ipſius ordinis natura poſtulat a nobis hoc, vt grauiſſimam hanc, omnique ſtudio digniſſimam quaeſtionem diſceptemus, ex quo ordine electi, et in decurias conſcripti fuerint iudices. Quae res quando eſt ad cognoſcendum vtilis, et ad diſputandum ampla: noſtrarum eſſe partium exiſtimamus, vt in illuſtranda ea diutius paullo et diligentius verſemur, omnesque in ea factas mutationes commemoremus. Iam primum ab eo tempore quo primum hae decuriae Iudicum ſunt factae, quod factum eſſe diximus tum, cum Quaeſtiones perpetuae ſunt conſtitutae, ab eo, igitur, tempore conſcriptas fuiſſe Iudicum Decurias e b) ſenatu vel ex eo intelligitur, quod tunc temporis vsque ad Grachorum aetatem iudicia apud ſenatores ſolos fuerint. Poſtea vero A.V.C. DCXXXI ex ſententia c) PIGHII iudicia a ſenatoribus, ob iudicandi iniquitatem in ſummum odium adductis, ſunt translata ad Equites ex lege Cai. Grachi, qui, quod frater ipſius, Tiber.

a) In vit. Aug. c. 29. et 32. et in Claud. c. 14 et 15.

b) Conf. in eam rem Dionyſ. Antiq. Rom. Lib. II. p. 87. et Polyb. p. 646. Edit. Gronou.

c) Ann. Roman. Tom. III. p. 59.

Tiber. Grachus, fruſtra conatus erat, ſuſcepit ita, vt euentus conſilio eius reſponderet. PLVTARCHI enim locus, qui indicare videtur, Tiberium Grachum iudicia cum Senatoribus et Equitibus communicaſſe, commoda aliqua interpretatione eſt explicandus, niſi grauiſſimum hunc auctorem grauiſſimi erroris poſtulare velimus. Cuius verba in hanc rem ſunt d) haec: *τοῖς κρίνουσι τότε συγκλητικοῖς ἴσοι καταμιγνὺς ἐκ τῶν ἱππέων τὸν ἴσον ἀριθμόν.* Quae verba non ſunt capienda ita, quaſi Tiber. Grachus ſenatoribus, iudicia tunc temporis obtinentibus, totidem Equites, idem iudicandi munus ſuſcepturos, adiecerit: ſed ea verba nihil indicant niſi hoc, Tiber. Grachum voluiſſe iudicia cum Senatoribus et Equitibus communicare; quod autem ſuſceperit, id perficere non potuiſſe, hiſtoria docet. Eſt autem haec neque Graecis, neque Latinis inſolens loquendi forma, qua dicunt, vnum aliquem feciſſe hoc vel illud, qui id facere tantum ſuſceperit, neque tamen perfecerit. Neque aliter capiendus eſt e) DIO, qui de eodem Tiber. Gracho, eiusque conatu ſcribit: *τὰ δικαστήρια ἀπὸ τῆς βουλῆς ἐπὶ τοὺς ἱππέας μετῆγε*, h. e. *Iudicia a ſenatu ad Equites transtulit*, i. e. transferre voluit. Eadem loquendi ratione vſus eſt f) SVETONIVS: ***Primo praeturae die Q. Catulum de refectione Capitolii ad diſquiſitionem populi vocauit, rogatione promulgata, qua curationem eam in alium transferebat***, h. e. transferre volebat; ad quem locum conferendi ſunt Interpretes. Nullam igitur iudiciorum mutationem fecit Tiber. Grachus, ſed tantum facere conatus eſt; ipſius autem frater Caius Grachus fecit aliquam iudiciorum commutationem, non eam tamen, quam PLVTARCHVS factam ab eo vult. Scribit g) enim, a Caio Gracho iudicia cum Senatoribus et Equitibus

d) In vit. Grach. pag. 832.
e) Excerpt. Peireſ. pag. 625.
f) In Caeſ. c. XV.
g) In eius vit. p. 844.

tibus fuiſſe communicata. In quo ſine dubio grauiſſimus iſte auctor lapſus eſt; quem inſignem errorem iamdudum eſt cum animaduertit [h]) P. MANVTIVS. Nam Caius Grachus iudicia cum Senatoribus et Equitibus non partitus eſt, ſed ab iis ad ſolos Equites transtulit; quod diſertis verbis, cum alii, tum [i]) APPIANVS tradit: *τὰ δικαστήρια ἀδοξοῦντα ἐπὶ δωροδοκίαις ἐς τὸς ἱππέας ἀπὸ τῶν βουλευτῶν μετέφερε, τὰ ὑπόγυα μάλιστα αὐτοῖς ὀνειδίζων, ὅτι Κορνήλιος Κόττας καὶ Σαλινάτωρ, καὶ τρίτος ἐπὶ τούτοις Μάνιος Ἀκύλιος ὁ τὴν Ἀσίην ἑλὼν, σαφῶς δεδωροδοκηκότες, ἀφεῖντο ὑπὸ τῶν δικασάντων· οἵτε πρέσβεις οἱ κατ' αὐτὸν ἔτι παρόντες σὺν φθόνῳ ταῦτα περιιόντες ἐνεκράγησαν· ἅπερ ἡ βουλὴ μάλιστα αἰδομένη ἐς τὸν νόμον ἐνεδίδου καὶ ὁ δῆμος αὐτὸν ἐκύρου· καὶ μετηνέχθη μὲν ὧδε ἐς τὸς ἱππέας ἀπὸ τῆς βουλῆς τὰ δικαστήρια·* h. e. *Iudicia, ob infames corruptelas, ad Equites a ſenatoriis iudiciis transferre conatus eſt, opprobrando illis exempla reuentiſſima quaeque, Aurelium Cottam, Salinatorem, M. Aquilium qui Aſiam deuicerat, repetundarum reos, elapſos corruptis iudicibus, atteſtabantur et prouinciarum legati etiam tum in vrbe morantes indignabundi cum magna Iudicum inuidia. Ea res pudorem incuſſit Senatui, quominus obſiſteret plebiſcito de transferendis iudiciis, atque ita ad Equites deuenerunt.* Ex hac lege Sempronia ſolis Equitibus iudicia annos XVII erant commiſſa, atque adeo ex iis ſolis Decuriae Iudicum erant conſcriptae, cum ecce exiſtebat [k]) Q. Seruilius Caepio, qui A. V. C. DCXLVII legem tulit eam, vt quae iudicia XVII annos ante lege Sempronia a ſenatu ad Equites translata eſſent, cum vtroque ordine communicarentur. Sed dubitari poteſt an haec lex fuerit perlata, cum conſtet M. Liuium Druſum paullo poſt, A. V. C. DCLXII ex ſententia PIGHII, ideo,

h) De Legg. Rom. c. XV.
i) De bell. Ciuil. Lib. I. p. 618. Ed. Toll.
k) Tacitus Ann. Lib. XII. c. 60.

idem, ſed fruſtra, tuliſſe, de qua re inſignis eſt apud eundem l) APPIANVM locus. Quid ergo dicamus? contendamusne legem illam Q. Seruilii Caepionis A. V. DCXLVII de iudiciis cum vtroque ordine communicandis latam, fuiſſe perlatam, cum non multo poſt eiusdem formae legem, quamquam infelici ſucceſſu, a Liuio Druſo latam eſſe conſtet? Ego quidem non video, quare me poenitere poſſit ſententiae m) IO. AVG. ERNESTI, Doctoris mei fideliſſimi, qui lucvlentiſſime docet, legem Q. Seruilii Caepionis de iudiciis cum vtroque ordine communicandis fuiſſe quidem perlatam, non autem diu vim ſuam et auctoritatem obtinuiſſe, cum C. Seruilius Glaucia Praetor A. V. C. DCLIII lege quadam ſolis Equitibus iudicia reddiderit, adeo vt poſtea M. Liuius Druſus A. V. DCLXII conatus ſit, etſi nullo euentu, iudicia, ſolis Equitibus permiſſa, cum vtroque ordine communicare. Quod autem fruſtra tentauerat M. Liu. Druſus, id biennio poſt felicius ſuſcepit M. Plautius Siluanus, qui A. V. C. DCLXIV Strabone et Catone Coſſ. tulit et pertulit legem, qua iudicia cum Equitibus et Senatoribus ſunt communicata. Cuius legis n) CICERO mentionem facit his verbis: *Memoria teneo, cum primum Senatores cum Equitibus Romanis lege Plotia iudicarent, hominem Diis ac nobilitati perinuiſum Cn. Pompeium cauſam dicere lege Varia de maieſtate.* Ad quem locum ASCONIVS commentatur haec: *M. Plautius Siluanus tribunus plebis Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone Coſſ. anno ſecundo belli Italici, cum Equeſter ordo in Iudiciis dominaretur, legem tulit adiuuantibus nobilibus, eaque lex eam vim habuit, quam Cicero ſignificat. Nam ex ea lege tribus ſingulae ex ſuo numero quinos denos crearunt, qui eo anno iudicarent. Ex eo factum eſt, vt*

l) Ciuil. L. I. p. 630.
m) In ind. legg. Ciceron. in Seruilia.
n) In fragm. Orat. pro Cornel. maieſt. reo.

vt Senatores quoque in eo numero essent, et quidam etiam ex ipsa plebe. Cum autem rarissime huius legis mentionem faciant Auctores, non potest pro certo affirmari, quam diu haec lex valuerit. Illud vero in nullam disceptationem venit, A. V. C. DCLXXII o) Syllam, odio forte cum in Equites, tum in plebem concitatum, legem tulisse, qua Iudicia solis Senatoribus reddidit. Postea vero, cum haec iudicia diligentiae Senatorum, fideique commissa tam male administrarentur, vt periculum esset ne ipsis iterum p) eriperentur, et Equitibus traderentur, quod vt lege quadam fieret permisisse iam Pompeium auctor est q) PLVTARCHVS, L. Aurelius Cotta praetor Pompeio et Crasso II. Coss A. V. C. DCLXXXIII legem tulit eam, qua omnibus ordinibus iudicandi potestatem fecit. Ex eo enim tempore tres Decuriae fuerunt conscriptae, Senatorum prima, Equitum altera, Tribunorum aerarii tertia. Iudicum horum ex tribus ordinibus in decurias conscriptorum haec erat ratio, vt, quotie iudicia essent habenda, ex his tribus ordinibus simul Iudices a Praetore, cui ea quaestio obtigerat, legerentur. Formam iudicii, in quo Iudices ex tribus ordinibus electi sederunt, inuenimus apud r) CICERONEM, cuius locus in hanc rem plane egregius est. Annis aliquot post Pompeius Consul A. V. C. DCXCVIII legem tulit, vt ex trium ordinum decuriis amplissimi census iudices legerentur CCCI X, inter quos VELLEIVS auum suum a Pompeio fuisse lectum dicit, et PLVTARCHVS in eius vita trecentorum et sexaginta Iudicum meminit. Eiusdem legis mentionem fecit s) ASCONIVS PAEDIANVS, et tunc omnes omnium ordinum iudices

o) Tacitus Ann. Lib. XI. c. 22.
p) Cic. L. III. in Verr. c. 96.
q) in vita Pomp. p. 630.
r) Epist. ad Att. Lib. I. ep. 16.
s) Comment. in Pisonian.

dices fuisse octingentos et quinquaginta diserte dicit t) CICERO. *Iudices DCCCL qui praecipue Cnaeo nostro delectabantur.* Hic vero illud quis quaerat, quomodo factum sit, vt, cum illius legis Aurelii Cottae nullam mutationem aut abrogationem factam esse inueniamus, Pompeius tulerit, vt iudicia cum tribus ordinibus communicarentur? Neque enim vlla caussa satis idonea esse videtur, cur Pompeius id ius tribus ordinibus concesserit, quod per aliquot annos iam beneficio legis Aureliae habuissent. Et hoc ipsum forte est, quod u) virum egregie doctum in eam sententiam perduxit, vt crederet, lege Aurelia ad duos tantum ordines iudicia fuisse redacta, Tribunis aerarii fere equitum in numero habitis. Et inter veteres ipsos non vna eademque est de lege Aurelii Cottae sententia. Nam apud auctorem x) Epitom. Liuian. traditur, Iudicia per Aurelium Cottam praetorem ad Equites Romanos fuisse translata. VELLEIVS autem dicit, ea lege iudicandi munus ordini et Senatorio et Equestri fuisse communicatum. De qua re tradit y) haec: *Per idem tempus Cotta iudicandi munus, quod C. Gracchus ereptum Senatui ad Equites, Sylla ab illis ad Senatum transtulerant, aequaliter inter vtrumque ordinem partitus est.* z) ASCONIVS diserte dicit, iudicia fuisse communicata lege Aurelia cum Senatoribus, Equitibus et Tribunis aerarii. Quid igitur in tanta ipsorum veterum discrepantia dicamus? Huius rei difficultatem ita posse tolli quondam putabam, vt diceretur, lege Aurelia iudicia, quae tunc apud solos Senatores fuissent, cum Equitibus fuisse communicata: postea vero lege iudiciaria Pompeii ea iudicia tribus ordinibus facta fuisse communia, adeo vt in quaque quaestione iudices ex

 ordine

t) Ad Att. Lib VIII. ep. 16.
u) Ant. August. de legibus in Aurelia iudiciaria p 41. Eiusdem sententiae est Syluius ad Orat. Cluentian. c. XLIII.
x) Epit XCVII. y) Lib. II. c. 32.
z) Ad diuinat. c. 3. et ad Orat. pro C. Cornel.

ordine Senatorio, Equeſtri, plebeio ſ. Tribunis aerarii legerentur. Haec fuit olim mea de ea re ſententia, cuius me nunc poenitet. Neque enim eſſe puto, quare ob aliquam inter veteres diſcrepantiam decurram eo, vt contra auctoritatem ASCONII dicamus, ad duos tantum ordines, ſenatorium ſcilicet et equeſtrem, iudicia veniſſe lege Aurelia. Itaque cum Pompeius legem de iudiciis tribus ordinibus communicandis, iamdudum ab Aurelio Cotta latam, tulerit, eius rei cauſſa eſſe potuit forte haec, quod, vt fere fit, ea lex paullatim in deſuetudinem abierit, isque mos iudicum, ex tribus ordinibus legendorum, fuerit neglectus, quem Pompeius lege ſua reuocare, atque adeo legi Aureliae vim ſuam auctoritatemque reddere voluerit: niſi forte dicere quis velit, vtriusque lege, et Aurelii Cottae et Pompeii, iudices ex tribus ordinibus fuiſſe electos, ita tamen, vt ex lege Pompeii aliter, quam ex lege Aurelia eligerentur, quod indicat [a]) ASCONIVS his verbis: *Pompeius tulit, vt ex ampliſſimo Cenſu ex Centuriis aliter quam antea lecti iudices, aeque tamen ex illis tribus ordinibus res iudicarent.* Ex quibus verbis intelligitur hoc, fuiſſe quidem, antequam Pompeius legem iudiciariam tulerit, iudicia apud tres ordines, ſed hac Pompeii lege aliam praeſcriptam fuiſſe iudicum ex iis legendorum rationem, quam quae ex lege Aurelia facta fuerit; quomodo autem haec iudicum legendorum ratio ab altera illa fuerit diuerſa, quodammodo ex ipſius [b]) CICERONIS loco, ad quem illa commentatus eſt ASCONIVS, intelligi poteſt. *Ecquid vides, ecquid ſentis, lege iudiciaria lata, quos poſt hac iudices ſimus habituri? non aeque legetur quisquis voluerit: nec, quisquis potuerit, non legetur; nulli coniicientur in illum ordinem, nulli eximentur: non ambitio ad gratiam, non iniquitas ad ſimulationem coniicietur. Iudices iudicabunt ii, quos lex ipſa, non quos homi-*

a) Sub fin. Comm. in Piſon.
b) Orat. in Piſon. c. 39.

hominum libido delegerit. Conf. ad illum locum ABRAMVS. Supra nos, auctore VELLEIO, dicere meminimus, Iudices a Pompeio fuiſſe lectos trecentos et ſexaginta; in quo quidem illi quaeſtioni adhuc locus relictus videtur, vtrum hi trecenti et ſexaginta a Pompeio lecti Iudices ex ordine tantum Senatorio, an ex tribus ordinibus ſumpti fuerint, ita vt omnium ordinum Iudices trecenti et ſexaginta fuerint. Et ego quidem longe abſum vt dubitem, quin trecenti illi et ſexaginta Iudices a Pompeio ex Senatu tantum fuerint conſcripti, et ex reliquis duobus ordinibus aeque fere magnus iudicum numerus fuerit confectus. Quod ne a ſola coniectura ductum videatur, quae ſaepe in lubrico poſita ad falſum delabitur: certis teſtimoniis antiquitatis confirmandum puto. Et in eo quidem non me quemquam habiturum eſſe arbitrer repugnantem, eo tempore, quo iudicia tribus ordinibus iam eſſent communicata, inter Senatores ad minimum fuiſſe trecentos Iudices. Cui rei confirmandae adducere poſſum auctoritatem COELII, qui in c) Epiſtola ad Ciceronem mentionem facit Senatorum eorum, qui in trecentis Iudicibus fuerunt. Quid? quod CICERO ipſe, cuius teſtimonium in hac re longe grauiſſimum eſt, de his iudicibus a Pompeio lectis ita loquitur, vt facile appareat, per illos trecentos, quorum meminit COELIVS, non omnino omnes iudices ex tribus ordinibus, ſed ex ſenatorio ſolo conſcriptos eſſe intelligendos. *Iudices DCCCL* d), inquit, *qui praecipue Cnaeo noſtro delectabantur.* Qui locus me confirmat in eo, quod ſemper credidi, per illos trecentos et ſexaginta Iudices, quorum apud VELLEIVM mentionem fieri diximus, non alios eſſe, quam eos intelligendos Iudices, qui e ſolo ordine Senatorio in Iudicum numerum ſint relati. Caeterum non facile quemquam poſſe definire arbitrer numerum eorum Iudicum, qui in quaeſtione vnaquaque

c) Epiſt. ad Diu. L. VIII. ep. 8.
d) Lib. VIII. ad Att. 16.

federint, cum conſtet, non ſemper vnum fuiſſe, eundemque in iudiciis iudicum numerum. In Cluentiana cauſſa iudices federunt duo et triginta, quod e) CICERO docet his verbis: *In conſilium erant ituri iudices triginta et duo; ſententiis decem et ſex abſolutio confici poteſt.* In cauſſa Miloniana federunt quinquaginta et vnus; in cauſſa Clodiana LVI, vt eſt apud f) CICERONEM, ſiue vt g) PLVTARCHVS dicit LV. In alio quodam iudicio, cuius mentio fit apud eundem CICERONEM, federunt quinquaginta, vti h) CICERO dicit, abſoluerunt XXII, condemnarunt XXVIII. Pro varietate igitur et natura iudicii et ipſe numerus iudicum diuerſus fuiſſe videtur, ita vt nunc plures, nunc pauciores iudices federint: illud tamen obſeruatum fuiſſe videtur, vt, quoties ex tribus ordinibus iudices erant ſumendi, eligerentur ita, vt numerus Iudicum Senatoriorum excederet numerum iudicum ex ordine Equeſtri conſcriptorum, et horum denique numerus ſuperaret numerum Iudicum ex ordine plebeio electorum. Cuius rei inſigne exemplum eſt in cauſſa Miloniana, in qua Iudices federunt XVIII Senatores, XVII Equites, XVI Tribuni aerarii. An vero haec eligendi Iudices ratio in omnibus iudiciis ſeruata fuerit, quis eſt, qui in tanto veterum ſilentio affirmare audeat? Hic vero neſcio an operae pretium fuerit adiicere hoc, cum apud trium ordinum Iudices vnus aliquis reus cauſſam diceret, fieri potuiſſe, vt, etſi duorum ordinum pluribus ſententiis abſolueretur, vnius tamen ordinis ſententiis condemnaretur. Cuius rei exemplum ſit hoc. Fingamus, in conſilium a Praetore Iudices mitti Senatores XX, Equites XIX, Tribunos aerarii XIIX. Ex Senatoribus reum abſoluunt XII, condemnant IIX. Ex Equitibus abſoluunt XI, condemnant IIX. E Tribunis aerarii abſoluunt III, con-

e) In Cluentiana c. 27.
f) Ad Attic. I. 16.
g) In vit. Cicer. p. 875.
h) Ad Attic. IV. 15.

condemnant XV. Hic si numerum ordinum, qui secundum reum pronunciarunt, spectes, reus est absolutus, cum duo absoluerint, vnus condemnarit; nihilo tamen minus reus est condemnatus. Qui sic? quia res non ex numero ordinum, qui absoluunt, sed ex numero sententiarum diiudicatur. Eiusdem rei exemplum est apud i) CICERONEM, ex quo dilucide apparet, in reo aut absoluendo aut condemnando non tam numerum ordinum, quam sententiarum fuisse spectatum. Quae cum ita sint, quis non magnopere miretur k) Laterensem, Praetorem Romanum, in suis tanquam aedibus tam egregie hospitem et peregrinum fuisse, vt huius domestici quasi instituti ignoratione turpiter se deridendum praeberet. Cum enim ex tribus ordinibus, apud quos tunc temporis iudicia erant, duo Seruilium, praeuaricationis et iudicii corrupti postulatum, absoluissent, vnus condemnasset, omnium autem iudicum sententiae essent pares, Laterensis eius quaestionis praetor, legum, consuetudinisque ignarus, credidit in absoluendo reo non tam sententiarum esse, quam ordinum numerum spectandum, atque adeo Seruilium eo nomine absolutum putauit, quod duo ordines illum absoluissent, seque in tabulas esse relaturum, Seruilium esse absolutum, professus est: quod quidem antequam fecit repperit in lege quadam, absolutionem vel damnationem non ex ordinum numero esse, sed ex maiore parte sententiarum aut absolventium aut condemnantium diiudicandam, qua re permotus opinionem mutauit, neque adeo, quoniam dubius et anceps erat absolutumne Seruilium, an condemnatum declararet, eum in tabulas absolutum retulit, sed tantum ordinum iudicia perscripsit. In quo quidem Praetor ille Romanus duplicem commisit errorem, quorum alter est hic, quod existimauerit, absolutionem et condemnationem rei ex numero ordinum potius, quam sententiarum iudi-

i) Ad Q. Fratr. Lib. II. 6.
k) In Epist. Coelii ad Cicron. VIII.

cum esse aestimandam; alter hic, quod putauerit, eum reum neque absolutum esse neque condemnatum, in cuius caussa omnium iudicum sententiae cum absoluentes, tum condemnantes sint pares, cum hoc vsu fuisse apud Romanos, consuetudineque receptum constet, vt aequo numero sententiarum reus absolueretur, quod ex loco [l]) CICERONIS supra laudato intelligi potest, vbi dicit: *In consilium erant ituri iudices triginta et duo: sententiis decem et sex absolutio confici potest.* Confirmat eandem rem [m]) PLVTARCHVS, qui reum quendam dicit fuisse absolutum, ἴσων τῶν ψήφων γενομένων. Sed ex quo quasi diuerticulo oratio egressa est, in id redeat. Eramus in eo, vt ostenderemus ex lege Cottae et Pompeii ex tribus ordinibus fuisse iudices electos, atque adeo tres fuisse Iudicum Decurias, quarum prima Senatorum erat, Equitum altera, Tribunorum aerarii tertia. Mansit haec ex tribus ordinibus legendorum Iudicum ratio et consuetudo vsque ad Caesaris tempus, qui has tres decurias redegit ad duas; in quam rem diserta sunt [n]) SVETONII verba haec: *Iudicia ad duo genera iudicum redegit, Equestris ordinis et Senatorii: Tribunos aerarii, quod erat tertium, sustulit.* Sed ne hoc quidem institutum Caesaris diu vim suam et auctoritatem obtinuisse intelligitur ex eodem [o]) SVETONIO, qui dicit, Augustum ad tres decurias Iudicum adiecisse quartam ex inferiore Censu, quae Ducenariorum vocaretur, iudicaretque de summis leuioribus. De quo loco ipso antequam disputamus illa quaestio nobis disceptanda est, quomodo SVETONIVS dicere possit, Augustum ad tres decurias Iudicum adiecisse quartam, cum ipse antea tradiderit, Iudicum Decurias a Caesare ad duas fuisse redactas, neque mentionem fecerit tertiae decuriae a quoquam rursus adiectae, quam adiectam fuisse vel ex eo intelligitur, quia dicit Augustum ad tres Decurias Iudicum addi-

l) in Cluentiana 27.
m) In Mario.
n) In Vit. Caes. 41.
o) In Aug. c. 32.

addidiſſe quartam ex inferiori cenſu. Huius igitur rei cognitio ex vno p) CICERONE eſt petenda, qui aliquoties dicit, ad duas illas Decurias Iudicum a Caeſare conſtitutas adiectam tertiam fuiſſe a M. Antonio; cuius mentionem facit CICERO his verbis: *Ea lege quae promulgata eſt de tertia decuria Iudicum, nonne omnes iudiciariae leges diſſoluuntur?* Ex quo autem genere hominum ea tertia Iudicum decuria conſcripta fuerit, optime docet q) CICERO his verbis: *At quae eſt iſta tertia decuria? Centurionum inquit. Quid? iſti ordini iudicatus lege Iulia, etiam ante Pompeia, Aurelia non patebat? Cenſus praefiniebatur, inquit. Non Centurioni quidem ſolum, ſed equiti etiam Romano. Itaque viri fortiſſimi atque honeſtiſſimi, qui ordines duxerunt, res et iudicant et iudicauerunt. Non quaero, inquit, iſtos. Quicunque ordinem duxit iudicet. At ſi ferret is, quicunque equo meruiſſet, quod eſt laudatius, nemini probaret is. In iudice enim ſpectari et fortuna debet et dignitas. Non quaero, inquit, iſta: addo etiam iudices manipulares ex legione Alaudarum, aliter enim noſtri negant poſſe ſaluos eſſe.* Ex quo loco intelligi poteſt illud, in tertiam hanc Iudicum decuriam viliſſimum quemque, improbiſſimumque fuiſſe ab Antonio coniectum. Quos homines accuratius deſcribit idem r) CICERO alio loco, vbi Antonium exagitat: *Legem etiam iudiciariam tulit homo caſtus et integer: iudiciorum et iuris auctor, in quo nos fefellit. Antefignanos, et manipulares, et Alaudas, iudices ſe conſtituiſſe dicebat. at ille legit aleatores, legit exſules, legit Graecos.* Ex horum hominum genere, in quibus depingendis dicax CICERO, feſtiuusque eſt, conſcripta erat tertia decuria, quae poſt Caeſaris tempora ad duas illas a Marco Antonio erat adiecta; quae vtrum diu viguerit nec ne, dicere

p) Oratt. Philipp. I. 8. et V. 5.
q) Orat. Philipp. I. 8. r) Philipp. V. 5.

non poſſum. Si [s]) TORRENTIVM ſequimur, Antonio pro hoſte declarato, iſti homines ex decuria tertia electi ſunt, in eamque Tribuni aerarii iterum conſcripti. Auguſtus his tribus decuriis addidit quartam. Quod enim TVRNEBVS dicit, has tres decurias fuiſſe equitum, quarum vna trib. aerariorum, altera ſelectorum iudicum, tertia Nongentorum fuerit, in eo egregie fallitur. Sed Auguſtus quartam decuriam addidit ad eas tres, de quibus diximus. De qua re SVETONIVS ita: *Ad tres decurias Iudicum quartam addidit ex inferiore cenſu, quae ducenariorum vocaretur, iudicaretque de leuioribus ſummis.* Primus omnium, quod ego quidem ſciam, recte expoſuit [t]) TVRNEBVS, vir litteratiſſimus; iudices, [u]) Ducenarios, qui non vt Equites quadragena, ſed ducena ſeſtertia ſ. ſeſtertium millia in profeſſionem Cenſualem detuliſſent. Dicti ſcilicet hi Iudices Ducenarii eadem plane ratione a ducenis, qua Centenarii liberti legis Papiae, a centum millibus ſeſtertium, de quibus agit [x]) PERIZONIVS. Et hanc ipſam cauſſam eſſe putat [y]) ſuffragante GRAEVIO, vir immenſae lectionis HARDVINVS, quare Paullus Samoſatenus Antiochiae Epiſcopus, de quo apud [z]) EVSEBIVM eſt, maluerit ducenarium ſe dici, quam Epiſcopum, quia et ipſe adſcriptus erat Claſſi iudicum illius vrbis, qui lites dirimebant. Quod autem [a]) CASAVBONVS putat, fuiſſe quandam decuriam Iudicum quaeſtoriam, in eo humani aliquid paſſus eſt. Per decuriam enim quaeſtoriam apud Enar-

s) Ad Suet. Aug. XXXII.
t) Aduerſ. XXIX. 16.
u) Reineſ. Inſcr. Claſſ. IIX. 39. Ducenarios fuiſſe Equites dictos a modo ſtipendii.
x) In eruditiſſima illa de lege Voconia Diſſertatione, p. m. 120. ſeq.
y) Ad Suet. Aug. XXXII.
z) Hiſt. Eccleſ. VII. 27.
a) In Comment. ad Suet. Aug. 32.

Enarratorem Iuuenalis, a quo imponi sibi passus est vir doctus, non iudicum esse, sed scribarum Quaestoriorum decuriam intelligendam, iam dudum obseruauit praestantissimus b) VALESIVS, et post eum c) GRAEVIVS. Caeterum quoniam, auctore d) PAEDIANO, graue onus erat et incommodum iudicare, multique adeo iudicandi munus detrectabant, vix concessit e) Augustus, vt singulis decuriis annua vacatio esset, et vt solitae agi Nouembri ac Decembri mense res omitterentur. Quo quidem loco obseruari debet insignis illa mutatio ab Augusto in hac re facta. Nam cum ante tempus Augusti, quo iudicia apud tres ordines erant, esset constitutum hoc, vt, quoties in quaestione aliqua iudices eligendi essent, non ex vna decuria, sed ex tribus sumerentur: Augustus totam illam rem commutauit ita, vt, cum Iudicibus opus erat in iudicio aliquo, non ex omnibus quatuor decuriis conscriberentur, sed ex vna tantum, et ex ea quidem per totum illum annum, ita vt caeteris tribus annua esset vacatio; idque concessit, vti SVETONIVS dicit, plerisque iudicandi munus detrectantibus. Cum igitur graue onus, et incommodum esset iudicare: Caligula id onus aliquo modo subleuaturus quintam decuriam aliquot annis post addidit. De qua re apud eundem est f) SVETONIVS: *Vt leuior*, inquit, *labor iudicantibus foret, ad quatuor priores quintam decuriam addidit.* PLINIVS aliam caussam affert, quare Caligula hanc decuriam addiderit, de qua re paullo post dicetur. Quae huc vsque de quinque his decuriis disputauimus, id ipsum confirmat, etsi paullo obscurius g), PLINIVS. *Decuriae quoque ipsae*, inquit, *pluribus discretae*

b) Ad Am. Marcell. XXVIII, 6.
c) Ad Suet. Aug. 32.
d) Ad Lib. I. in Verr. c. 61.
e) Suet. Aug. 32.
f) In Vit. Caligul. c. 15.
g) Hist. N. XXXIII. 2.

tae nominibus fuere, Tribunorum aeris, et Selectorum et Iudicum. Per has enim tres decurias nullas alias esse intelligendas quam eas, in quas Iudices ex ordine Senatorio, Equestri, et plebeio fuerint conscripti, in sequentibus demonstraturos nos esse speramus. Quartae autem decuriae mentionem facit his verbis: *Nongenti vocabantur ex omnibus selecti, ad custodiendas cistas suffragiorum in Comitiis. Caius Princeps decuriam quintam adiecit.* Sed quoniam, vti diximus, haec res obscurius a PLINIO docetur, quam quae ab omnibus intelligi possit, verendumque adeo est, ne cui haec de loco PLINII sententia non satis firma videatur: operae pretium nos esse facturos putamus, si paullo post totum illum PLINII locum diligentius perpendamus, et ex eo sententiam confirmemus nostram. Et hic quidem maximus fuit decuriarum Iudicum numerus. Etsi enim Iudices precibus impetraturos se esse confidebant hoc a Galba, vt sextam Iudicum decuriam adiiceret: tamen irritas ipsorum preces cedidisse dicit h) SVETONIVS: *Iudicibus sextam decuriam adiici non modo non negauit, sed etiam concessum a Claudio beneficium, ne hieme, initioque anni ad iudicandum euocarentur, eripuit.* Neque post Galbae tempus memini me vnquam legere, vllam fuisse harum decuriarum Iudicum accessionem factam; id potius in lectione Veterum obseruasse mihi videor, post id tempus sensim paullatimque hunc morem iudices ex Decuriis eligendi in desuetudinem abiisse, neque tam ex norma legum, quam lubidine Principis fuisse iudicia habita. Et hoc quidem Galbae tempus terminos constituat, quibus haec nostra de origine, incrementis, et commutationibus decuriarum disputatio contineatur. Quodsi forte sequentium *Imperatorum* temporibus aliquid in his decuriis Iudicum acciderit, quod animaduersione aliqua, commentationeque dignum videatur, id, quantum poterimus, studiosissime colligemus, disceptationique eruditorum alio tempore subiiciemus.

h) In Galba c. 14.

§. VII.

§. VII.

Quae fuerit harum decuriarum differentia inquiritur.

Magnus ille i) CASAVBONVS quaerit quodam loco, quae differentia inter has decurias et quasi εἰδοποιὴ διαφορὰ fuerit, deque ea re disputat ita, vt ingenue fateatur, se eius quaestionis soluendae rationem satis commodam nondum inuenisse. Quod si CASAVBONVS, at quantus Vir! non dubitauit eius rei ignorationem profiteri, quidni ego liberaliter fatear, etsi huius discriminis, inter has Iudicum decurias constituendi, rationem curiose quaesiuerim, tamen non ita felicem me in eo inueniendo fuisse, vt mihi ipsi satisfecerim, nedum vt aliis satisfacturum me esse possim sperare. Cum vero ea res susceptae tractationi confusa sit, implicataque ita, vt non commode seiungi ab ea possit, etsi non poterit a me disceptari ita, vt eruditis satisfiat: tamen non committam, vt, raucorum de foro causidicorum more, plane relicta esse a me, desertaque videatur. Ego quidem de discrimine inter has decurias sic statuo, id a duabus rebus esse repetendum, quarum prima est dignitas, altera autem census. Quemadmodum enim Senatores dignitate praestabant Equitibus, hi autem hominibus plebeiis: ita non est dubium, quin eam ipsam ob caussam decuria Iudicum Senatoriorum honestior fuerit decuria Equitum, et haec honestior decuria Tribunorum aerarii. Sed non dignitatem solum, sed censum etiam constituisse aliquod discrimen inter decurias Iudicum, satis luculenter demonstrare putem illum SVETONII locum, supra iam laudatum, qui tradit, Augustum ad tres Decurias Iudicum addidisse quartam ex inferiore censu, quae Ducenariorum vocaretur, iudicaretque de summis leuioribus. Quo etiam pertinere arbitror locum illum CICERONIS aliquoties adductum: *In iudice spectari et fortuna*

i) Ad Suet. Aug. cap. XXXII.

tuna debet et dignitas. Neque ſcio an huc faciant verba k) SENECAE haec: *Non poteſt ad haec Iudex ſumi ex turba Selectiorum, quem cenſus in album et equeſtris haereditas miſit.* An vero ab initio ſtatim huius moris introducti cenſus iudicum legendorum ſpectatus fuerit nec ne, id in diſceptationem aliquam, dubitationemque adduci poſſe videtur. Poſtea enim rationem cenſus fuiſſe in lectione Iudicum habitam, id quidem nullam dubitationem habet, cum l) CICERO diſerte doceat, lege Aurelia, Pompeia et Iulia conſtitutum fuiſſe hoc, vt in legendis Iudicibus ratio haberetur cenſus, qui eſſet definitus. Ego quidem quondam in ea fui opinione, vt putarem, ab initio ſtatim cenſum in Iudice eligendo fuiſſe ſpectatum, cuius ſententiae meae auctoritatem inueniſſe mihi videbar in loco quodam m) LIVII, qui dicit, T. Quintium Graecorum ciuitates conſtituiſſe, Senatumque et Iudices legiſſe maxime a Cenſu. Quod etſi feciſſe ſciebam Quintium non Romae, ſed in Graecia: tamen mihi non dubium eſſe videbatur, quin in eo Romanorum morem ſit, conſuetudinemque ſecutus. Ita quondam ſenſi; poſtea autem retractaui opinionem hanc, auctoritate n) PLINII permotus, cuius verba in eam rem ſunt haec: *poſteris laxitas mundi et rerum amplitudo damno fuit, poſtquam Senator cenſu legi coeptus, iudex fieri cenſu.* Cum hac quaeſtione arctiſſimo vinculo copulata eſt illa, an idem ſcilicet, ordinum fuerit, qui Iudicum cenſus, adeo vt, ſi quis v. c. cenſum ſenatorium habuerit, etiam iudicis, ex ordine Senatorio legendi, habuerit cenſum? Et primis quidem temporibus non ego is ſum qui dubitet, quin idem ordinum et iudicum fuerit cenſus, poſtea autem tota res commutata fuiſſe videtur. Quod quidem colligi poſſe puto ex loco o) CICERONIS ſupra

k) Lib. III. c. 7. De benefic.
l) Philipp. I, 8.
m) Libr. XXXIV, 51.
n) Lib. XIV. in prooemio.
o) Philipp. I, 8.

ſupra adducto, vbi dicit, lege Pompeia Cenſum fuiſſe non Centurioni ſolum, ſed Equiti etiam praefinitum. Quo enim attinuiſſet Cenſum ad iudicandum praeſcribere Equiti, ſi omnes, qui equeſtrem cenſum habebant, iudicare potuiſſent? Pertinet huc lex Pompeia, ab ASCONIO laudata, ſupra vero a nobis adducta, qua conſtitutum erat hoc, *vt ex ampliſſimo cenſu ex centuriis aliter quam antea lecti iudices aeque tamen ex tribus ordinibus iudicarent*, quae lex indicare videtur hoc, iudices e Senatorio et equeſtri ordine non potuiſſe legi, niſi qui eſſent ex Cenſu ampliſſimo, id eſt, vt ego quidem exiſtimo, qui tantum cenſum haberent, qui Senatorium et equeſtrem excederet.

§. VIII.

Aetas Iudicum qualis fuerit.

Inter caetera, quae in iudicibus legendis ſpectabantur, fuit et aetas legibus definita, quae res facit vt huic quaeſtioni diſceptandae paullulum immoremur. De aetate iudicum viros doctos diſputare ita intellexi, vt non ſatis conſentire inter ſe, conſpirareque videantur. Nam p) SIGONIVS quidem non dubitat affirmare, legitimum ad iudicandum annum fuiſſe ante tempora Auguſti trigeſimum quintum. In qua quidem re nititur q) SVETONII auctoritate, qui in hanc rem ſcribit haec: *Iudices a triceſimo aetatis anno allegit, i. e. quinquennio maturius, quam ſolebant.* Eiusdem ſententiae eſt r) REINESIVS, eodem SVETONII loco inductus. Sed iam dudum eſt cum viri docti animaduerterunt, hunc SVETONII locum male eſſe affectum, atque adeo emendatione aliqua indigere. Legitimum enim iudicandi muneri obeundo annum fuiſſe vigeſimum quintum, cum ex multis aliis, tum ex s) Digeſtis

p) De Ant. Iur. Ciu. Roman. II. c. 18.
q) In Aug. XXXII.
r) Inſcriptt. claſſ. VI. 26.
s) Leg. VIII. de muner. et honor.

geſtis apparet. Qua re inductus IACOBVS t) CVIACIVS, Iuriſconſultorum litteratorum facile princeps, in loco Suetoniano non triceſimo eſſe, ſed viceſimo legendum putat. Cui emendationi aſſenſus ſui quaſi calculum addiderunt viri ſummi u) CASAVBONVS et x) BYNKERSHOEKIVS. Qui cum de aetate iudicum doctiſſime egerit, non eſſe puto quare, ſcriniis ipſius compilatis, eadem re putide diſputanda animos lectorum fatigem, cum, qui eius rei cognoſcendae cupidus eſt, is ab illo viro longe doctiſſimo, multo diligentiorem, copioſioremque notitiam quam a me petere poſſit.

§. IX.

De Iudicibus Selectis.

Atque ſic quidem ſatis officio meo, cauſaeque meae ſuſceptae feciſſe me, ſi non reipſa, voluntate certe et ſtudio, finemque adeo imponere me poſſe huic commentationi putabam: cum me in eo, quod ingreſſus eram, commentandi quaſi ſtadio retinebat locus de *Iudicibus Selectis*, nobiliſſimus ille quidem ad diſputandum et vtiliſſimus, ſed idem etiam ad illuſtrandum difficillimus. Cuius quidem Diſputationis difficultas vel ex eo intelligi poteſt, quod non modo inter eruditos recentiores, ſed inter veteres ipſos non vna eſt, eademque de *Iudicibus ſelectis* ſententia. Et y) SALMASIVS quidem eo loco, quo agit de varii generis Iudicibus, mentionem facit Iudicum Selectorum, ita tamen, vt, quoniam alii iam de iis diſputarint, non eſſe putet, quare in diſputatione, de his Iudicibus inſtituenda, orationem conſumat. Haec eſt tota SALMASII de his iudicibus diſputatio. Quod ſi quis conſideraverit, non erit GRAEVII, eiusque famae tam cupidus, vt ab oſcitantiae cuiusdam ſuſpicione liberare eum velit: qui cum

t) Obſeruatt. XXI, 32. u) ad l. c. Sueton.
x) Lib. VI. Obſ. Iur. c. 17.
y) de Mod. Vſur. c. III. p. 40.

cum apud z) CICERONEM mentionem Iudicum Selectorum fieri videret: eo nomine non operae pretium esse existimauit, vt, quales hi Iudices fuerint, doceret quoniam SALMASIVS, eo, quo diximus loco, de iis egisset. Secure itaque lectores ad eum remittit. Sed hunc errorem caeteris summi viri in rem litterariam meritis condonandum putamus. Neque enim hoc ita diximus, vt de summis GRAEVII laudibus, quibus magnopere fauemus, decerptum aliquid, detractumque vellemus, sed vt insigni aliquo documento ostenderemus, viros etiam longe doctissimos in interpretandis veteribus auctoribus versari saepe ita, vt in rebus leuissimis, et ad intelligendum facillimis longam orationem consumant, alias autem quamuis difficiles ad intelligendum, tanquam satis cognitas sine vlla interpretatione adiecta relinquendas sibi esse, praetermittendasque putent. Ego quidem nobilissimam, eandemque difficillimam de Iudicibus Selectis disputationem non commodius me posse et felicius disceptare puto quam ita, vt pro diuersa tempori ratione, vocis quoque SELECTVS, in hac quidem re vsurpatae, diuersum significatum fuisse ostendam. Supra enim nos dicere meminimus, in lingua inprimis latina magnam esse eorum verborum copiam, quorum primus significatus cum tempore immutatus sit ita, vt plane amissus videatur. Quorum in numerum quemadmodum tunc diximus esse referendam vocem *Decuriae*: ita hic admonemus, significatum vocis *Selectus*, de Iudicibus adhibitae, pro diuerso tempore ipsum quoque diuersum fuisse; quem nisi quis obseruauerit, non poterit intelligere, quid sibi veteres quando de iis loquuntur, velint. Ego quidem in veterum lectione obseruasse mihi visus sum hoc, *Iudices Selectos* dici triplici sensu: quorum *primus* est hic, vt Iudices Selecti dicantur, qui post reiectionem, cum ab accusatore, tum a reo factam, et

z) in Cluentiana c. 43.

et ſubſortionem, in reiectorum Iudicum locum inſtitutam, in Iudicum numero manſerant, et quorum nomina inſcripta libellis, (quos [a]) ASCONIVS libellos ſortitionis vocat,) a Praetore obſignatis apud quaeſtorem primo deponebantur, deinde in albo publice proponebantur. Et hoc quidem ſenſu cepiſſe *Iudices Selectos* Orationum Ciceronianarum Enarratorem [b]) ASCONIVM, intellexi ex his ipſius verbis: *Moris erat, celebrata iudicum reiectione, et haberi in officio Praetoris, et in arca reponi nomina Iudicum* SELECTORVM. Et quibusdam verſibus interiectis, *His perfectis*, inquit, *iurabant in leges iudices, vt obſtricti religione iudicarent. Cum iuraſſent omnes praeter Praetorem ipſum, nomina ipſorum libellis, vt ſupra diximus, continebantur, ne pro iudicibus* SELECTIS, *vt fit in multitudine, aliqui ſuppoſiti corruptiſſime iudicarent.* *Alter* ſignificatus, quem obſeruauimus, eſt hic, vt *Iudices ſelecti* dicantur, qui ex vniuerſo ordine, apud quem Iudicia erant, legebantur, et in decurias conſcribebantur. Supra enim diximus, et rationibus, ni fallimur, ſatis luculentis confirmauimus, non omnes v. c. Senatores, ſi iudicia haberent, in iudicum numerum fuiſſe relatos, ſed quendam eorum delectum a Praetore fuiſſe habitum. Qui igitur ex vniuerſo ordine Senatorio a Praetore ſeligebantur, ii dicebaniur *Iudices ſelecti.* Et haec Iudicum ſelectorum notio obuerſari debet animis legentium haec [c]) CICERONIS verba: *Praetores vrbanos iuratos debere optimum quemque inter ſelectos Iudices referre.* Quo quidem loco contendo ſelectos Iudices a CICERONE non alios dici, quam eos, qui ex eo ordine, cuius fidei iudicia erant commiſſa, a Praetore eligerentur, et in claſſes iudicum conſcriberentur. In qua quidem interpretatione a virorum longe doctiſſimorum ſententia recedere me intelligo. Nam

a) Commentar. ad Act. prim. in Verr. c. X.
b) Commentar. ad Act. prim in Verr. c. 6.
c) in Cluentiana c. 43.

Nam praestantissimus ille d) TVRNEBVS in hoc CICERONIS loco eo sensu sumit, quo ASCONIVM Iudices selectos cepisse paullo ante diximus, adeo vt Iudices selectos nullos alios intelligendos esse velit vir doctus, quam eos, qui in numero Iudicum, post reiectionem et subsortitionem factam, mansissent, et in iudicio sedissent. Huius summi viri interpretationi assensus tanquam calculum addunt e) GRVTERVS f). HARDVINVS, et g) SYLVIVS. Magni Viri, quorum vel nomen in eorum sententiam perducere me posset, nisi veritati plus quam auctoritati tribuendum putarem. Sed ne temere sententiam meam a tantorum virorum iudicio seiungere, et insolenter quodammodo disputare videar: id agendum mihi esse intelligo, vt rationibus, quantum possim, luculentissimis eam confirmem, lectoribusque, nulla cupiditate captis, probem. Iam primum non posse in hoc CICERONIS loco per selectos Iudices intelligi eos, quos Praetor in vnaquaque quaestione sortiretur, et in quorum locum, reiectione et ab accusatore et a reo facta, alios subsortiretur, ex eo intelligitur, quod hoc ius sortiendi et subsortiendi iudices non solum Praetorum vrbanorum, de quibus CICERO hic loquitur, sed omnium Praetorum fuerit; quod cum ex multis aliis, tum ex hoc h) ASCONII loco dilucide appareret. *Cum multi Iudices in Consilio cum Praetore suo iudicaturi essent, qui quaesitor fuisset in caussa publica, necesse fuerat, eos primum de decuria senatoria conscribi, cum Senatus iudicaret; deinde in vrnam mitti, vt de pluribus necessarius numerus sortito confici possit, tertio permitti accusatori et reo, vt ex illo numero reiiciant, quos putauerint sibi aut iniquos, aut ex aliqua re incommodos*

d) Aduerf. XXIX, 16.
e) ad Cluentianam c. 43.
f) ad Plin. Lib. XXXIII, 7.
g) ad Cluent. 43.
h) Commentar. ad Act. prim. in Verr. c. 6.

fore. Et paullo poſt, *reiectione celebrata, in eorum locum, qui reiecti fuerant, ſubſortiebatur Praetor alios, quibus ille legitimus Iudicum numerus compleretur.* Praetor igitur non ſolum vrbanus, ſed omnis alius etiam, cui quaeſtio aliqua publica exercenda ſorte obtigerat, nomina Iudicum ſelectorum, hoc eſt, vt ego capio, eorum, qui ab eius anni Praetore vrbano ad iudicia ex vniuerſo ſenatu, ſi eo tempore iudicabat, eſſent delecti, horum igitur iudicum nomina coniiciebat in vrnam, ac ſorte eum iudicum numerum educebat, quem lex finierat; quod cum fecerat et accuſatori et reo poteſtatem dabat eorum iudicum reiiciendorum, a quorum iniquitate ſibi eſſe timendum putabant. Quid? quod hoc ius, ſortiendi in quaeſtione publica iudices, etſi concedente Praetore, non ſemper Praetores, ſed interdum ipſi etiam Iudices quaeſtionis habuerunt; quod quoniam ſupra nos ſatis confirmaſſe confidimus, non eſt, quare idem locis, putide adductis, confirmandum putemus. Et hoc primum eſt quod nos impedit, quo minus poſſimus ſententiae doctiſſimorum ſubſcribere, qui in hoc CICERONIS loco per *Iudices ſelectos* intelligi volunt eos, qui poſt reiectionem et ſubſortitionem factam in quaeſtione aliqua ſederint. Alterum vero quod nobis non concedit, vt horum virorum ſententiae accedamus, eſt hoc, quod CICERO dicit, Praetores vrbanos optimum quemque inter ſelectos referre IVRATOS. Vel hoc verbum viros doctos docere potuiſſet, non poſſe hanc lectionem Iudicum, de qua CICERO ibi loquitur, intelligi de ea, quae fieret, cum Iudices, in aliqua quaeſtione publica ſententiam laturi, ſortito ab eo praeſide, cui ea quaeſtio obtigerat, aut interdum etiam a iudice quaeſtionis ex vrna educerentur. Praetores enim cuiuscunque quaeſtionis omnia, quae ad inſtituendum iudicium pertinuerint, non iuratos feciſſe, ex his i) CICERONIS verbis diluc idiſſime intelligi poteſt. *Defeſſa ac refrigerata accuſatione, rem integram*

i) Act. prima in Verr. c. X.

tegram ad M. Metellum praetorem esse venturam (sperat Verres). *Quem ego hominem, si eius fidei essem diffisus, iudicem non retinuissem. Nunc tamen eo animo sum, vt eo Iudice, quam Praetore hanc rem tranſigi malim; et iurato ſuam, quam iniurato aliorum tabellas committere.* Ad quem locum ASCONIVS commentatur haec: *Cum Iudex ſit Metellus, tabellam iudiciariam iuratus accipiet: cum Praetor fuerit, et non iurabit, quia non eſt moris, et in poteſtate habebit tabellas omnium Iudicum.* Sed ſatis de hoc CICERONIS loco diſputaſſe nos, ſatisque ſententiam noſtram confirmaſſe arbitramur, qua per *Iudices ſelectos* nullos alios eſſe dicebamus intelligendos Iudices, quam eos, qui ex ordine vniuerſo, ſiue Senatorio, ſiue Equeſtri, a Praetore vrbano fuerint electi, et in decurias deſcripti. Eodem ſenſu ſumſit vocabulum *delectus* de Iudicibus, adeo vt in alio CICERONIS loco, mox adducendo, Iudices delecti nulli ſint alii, quam quos in eo loco, de quo huc vsque diſputauimus, ſelectos iudices nominavit. Sed locum ipſum, qualis ſit, videamus [k]). *Nos neque ex delectis iudicibus, ſed ex omni populo, neque editos ad reiiciendum, ſed ab accuſatore conſtitutos iudices ita feremus, vt neminem reiiciamus.* In quo quidem loco quis eſt, quin ipſe intelligat, Iudices delectos, quoniam opponantur iudicibus ex vniuerſo populo ſumtis, dici eos, qui ex certo quodam ordine ſiue Senatorio, ſiue equeſtri, ad iudicandi munus ſint electi, et in decurias deſcripti? Neque eſt quod quis exiſtimet, delectos Iudices hoc loco vocari eos, qui poſt reiectionem et ſubſortitionem in iudicio ſederint. Quis enim ſenſus foret horum verborum: *Nos neque ex delectis iudicibus*, h. e. ex iis, qui poſt reiectionem et ſubſortitionem in iudicio ſederint, *iudices ita feremus*, vt neminem reiiciamus? quid attineret de reiectione iudicum cogitare, inter quos iam facta erat reiectio, et qui poſt reiectionem relicti in iudicum numero

k) In Planciana c. 17.

fuerant? Maneat igitur certum hoc, quod ante diximus, per delectos, siue, vt alio loco CICERO nominat, selectos iudices non alios esse, quam eos intelligendos, qui a Praetore vrbano ex vniuerso quodam ordine fuerint electi, et in Classes Iudicum relati. Alio etiam sensu dicuntur Iudices selecti ab eodem [1]) CICERONE, sed id fit eo loco, quo non de Romanorum, sed prouincialium iudicibus loquitur. *Quod citius Romanus a Siculo petit, Siculus Iudex datur, quod Siculus a ciue Romano, ciuis Romanus datur, caeterarum rerum selecti iudices ciuium Romanorum ex conuentu proponi solent.* In quo loco, quoniam non agitur de iudiciis Romae, sed in prouincia habitis, vnumquemque ipsum intelligere puto, selectos iudices, non eo, quo paullo ante intelligendos esse diximus, sensu capi, sed indicari tantum eos iudices, qui ex omnibus ciuibus Romanis, in conuentu aliquo Siciliae commorantibus, eligerentur; quamobrem iidem iudices, qui hic selecti vocantur, paullo post ab eodem CICERONE electi dicuntur. Sed hoc selectorum iudicum genere hic non vtamur, sed totum id circumscriptum sit ex hac nostra disputatione, penitusque exclusum. Neque eorum Iudicum mentionem hic feciſſem, nisi cauendum esse lectoribus, non satis cautis, putassem, ne, quod summo illi [m]) TVRNEBO accidisse miror, imponi sibi hoc CICERONIS loco paterentur, hosque iudices selectos, ex ciuium Romanorum conuentu propositos, confunderent cum Iudicibus selectis iis, quorum CICERONEM duobus locis, supra adductis, mentionem facere indicauimus. Alter igitur Iudicum selectorum significatus erat hic, quo ii iudices dicebantur selecti, qui ex vniuerso ordine, apud quem iudicia erant, eligebantur a Praetore vrbano, et in decurias s. Classes iudicum conscribebantur; qui iudices dicti sunt selecti eam ob causam, quia ex vniuerso ordine, penes quem

1) Lib. II. in Verr c. 13.
m) Aduerſ. XXIX. c. 16.

quem erant iudicia, digni ſunt habiti a Praetore, qui prae caeteris ſeligerentur, et in numerum iudicum referrentur. Manſit hic Iudicum ſelectorum ſignificatus vsque ad tempora Imperatorum, ſub quibus, quemadmodum ipſarum decuriarum, ita etiam Iudicum ſelectorum ſignificatus inſignis quaedam eſt facta mutatio. Etſi autem ego non is ſum, qui poſſit certum illud tempus conſtituere, quo hic ſelectorum Iudicum ſignificatus eſt immutatus: tamen eius mutationem iam ante PLINII tempora fuiſſe factam, ex ipſius verbis paullo poſt adducendis confirmaturos nos eſſe confidimus. Significatus autem immutatus eſt ita, vt cum antea dicerentur Iudices ſelecti, qui ex vniuerſo ordine ad iudicandum a Praetore Vrbano ſeligebantur, atque adeo vocabulum *ſelectus*, de iudicibus vrſurpatum, eſſet nomen ſortis, ſub Imperatoribus factum ſit nomen cuiusdam ordinis. *Selecti* enim *iudices* tunc temporis peculiaris quidam erat ordo hominum, muneri iudicandi obeundo deſtinatorum. Sed adducendus eſt ipſe PLINII locus, non ſolum ob cauſſam eam, quia eſt in hanc rem claſſicus, ſed etiam, quia aliquoties eum ſupra laudauimus, illuſtraturosque nos eſſe, pro ingenii noſtri viribus, promiſimus n). *Decuriae quoque ipſae*, inquit, *pluribus discretae nominibus fuere, Tribunorum aeris, et ſelectorum, et Iudicum.* Iam ſupra nos dicere meminimus, per has tres Iudicum decurias non alias a PLINIO hic intelligi, quam eas, de quibus antea diſputauerimus; quarum prima Senatorum erat, Equitum altera, Tribunorum aerarii tertia; quod quoniam intelligimus non omnes facile nobis eſſe daturos, officii noſtri eſſe putamus vt confirmemus. Cum autem in his tribus Iudicum Decuriis, a PLINIO commemoratis, diſerte fiat mentio Tribunorum aerarii, non eſt quod de iis diſputandum putemus. In eo autem concedendo multos difficiles me eſſe habituruin, perpugnacesque intelligo, per *Selectos*, iudices ex ordine

n) L. XXXIII, 7.

Senatorio, per *Iudices* autem, iudices ex equeſtri ordine electos in hoc Pliniano loco intelligi. Sed non dubito, quin omnes, ante captis opinionibus non impediti, auditis meis rationibus, ſententiae meae ſubſcribendum putent. Et per *Iudices* quidem in hoc PLINII loco intelligi iudices, ex equeſtri ordine conſcriptos, ſiue alteram Iudicum decuriam, ipſius PLINII auctoritate confirmaturum me eſſe puto. De qua re paullo ante ita ſcribit: *Diuo Auguſto decurias ordinante, maior pars Iudicum in ferreo annulo fuit: iique non Equites, ſed Iudices vocabantur. Equitum nomen ſubſiſtebat in turmis equorum publicorum.* Quibus verbis quid clarius doceri poteſt quam hoc, Auguſti tempore homines ex equeſtri ordine ortos, et in Iudicum numerum relatos, non Equites, ſed iudices fuiſſe appellatos. Iudicum autem nomine Equites a Senatu fuiſſe diſcretos inſtituto Grachorum, idem PLINIVS docet his verbis: *Iudicum appellatione ſeparari eum ordinem, primi omnium inſtituere Grachi diſcordi popularitate in contumeliam Senatus.* Cum igitur oſtenderimus, PLINIVM per decuriam Tribunorum aerarii, et Iudicum, intelligere nullas alias, quam illas duas decurias Iudicum, quorum vna, libera republica, decuria Tribunorum aerarii, altera Equitum dicebatur, non facile quemquam dubitaturum eſſe putem, quin per *ſelectos* in hoc PLINII loco nulli alii ſint intelligendi, quam Iudices ex ordine ſenatorio conſcripti, quae dicebatur republ. libera Decuria Senatoria, ſeu decuria Iudicum prima. Cauſſa autem, quare tempore Auguſti Iudices, ex ordine ſenatorio delecti fuerint vocati *ſelecti*, ſine dubio fuit haec, quia eo tempore, quo ſelectorum Iudicum nomen, eo ſenſu ſumptum, quo paullo ante in duobus CICERONIS locis occurrere diximus, in Republ. Romana exortum eſt, iudices tantum ex ordine ſenatorio ſumebantur. Supra enim oſtendimus, ab ipſa harum decuriarum origine ex nullo alio fuiſſe ordine quam Senatorio Iudices a Praetore ſumptos,

ſumptos, eosque, in decurias deſcriptos, dictos fuiſſe Iudices ſelectos. Alio loco a nobis dictum eſt, quartam decuriam ab Auguſto fuiſſe adiectam, ex inferiori cenſu, quae Ducenariorum vocaretur. Quartae huius decuriae mentionem facit idem PLINIVS, ita tamen, vt eius nomen immutatum fuiſſe appareat. *Praeter hos* (Iudices, ſcilicet, ex Tribunis aerarii, Senatoribus, et Equitibus electos) *etiamnum Nongenti vocabantur ex omnibus ſelecti ad cuſtodiendas ciſtas ſuffragiorum in Comitiis.* Hic non eſt dubium, quin PLINIVS per Iudices, Nongentos vocatos, intelligat illam quartam decuriam Iudicum, Auguſti tempore Ducenariorum cognomine inſignitam, quod intelligitur ex eo, quod cum antea trium decuriarum mentionem fecerit, paullo poſt quintam adiectam fuiſſe dicat. Quartae autem decuriae iudices Nongentorum cognomen ex numero accepiſſe videntur. Hic vero diſceptanda eſt haec quaeſtio, vnde hi Nongenti fuerint electi? Et HARDVINO quidem animus inclinat eo, vt putet, quartam hanc Iudicum decuriam conſcriptam fuiſſe ex illis tribus, paullo ante a PLINIO commemoratis, qui etiam hanc ipſam cauſſam putat, quare alii in hac Nongentorum decuria ſelectos ſe, alii, Iudices appellarint. Sed ego quidem adduci nullo modo poſſum, vt ſententiae ipſius ſubſcribendum putem. Cum enim conſtet, in quartam decuriam fuiſſe conſcriptos eos tantum, qui ducena ſeſtertia poſſiderent: non video, qua ratione hi iudices ducenarii potuerint ex illis tribus, paullo ante a PLINIO nominatis, eligi, in quas ii tantum ſint conſcripti, quorum cenſus ducena ſeſtertia multum excederet. Quae res dilucide ex SVETONII loco iam adducto apparet, qui docet, Auguſtum quartam feciſſe Iudicum claſſem ex inferiore cenſu h. e. eorum, qui non tam magnum cenſum haberent, vt poſſent vni ex illis tribus decuriae adſcribi. Neque eſt quod HARDVINVS putet, ſententiae ſe ſuae confirmandae auctoritatem inuenire in his PLINII verbis: *Diuiſus*

hic quoque ordo (Nongentorum Iudicum) erat ſuperba vſurpatione nominum, cum alius ſe Nongentum, alius Selectum, alius Tribunum appellaret. Quid enim impedit, quo minus dicamus, quosdam quartae decuriae Iudices, inani quadam ſuperbia inflatos, arrogaſſe ſibi haec cognomina, idque feciſſe propterea, ne tribus illis decuriis dignitate cedere viderentur. Nam tres illae decuriae, non eſt dubium, quin Auguſti tempore conſcriptae fuerint ita, vt in vnaquaque iudices cum ex ſenatorio ordine, alio nomine *ſelecti* vocati, tum ex equeſtri ordine, *Iudices* dicti, tum etiam *Tribuni aerarii* fuerint. Hoc quartae decuriae Iudices, in vniuerſum omnes Nongenti dicti, imitati videntur, ita vt alii Selectos, alii Tribunos maluerint ſe, quam Nongentos dici; alii autem, vana illa gloriola non capti, Nongentorum cognomine contenti fuerunt. Itaque verba illa PLINII, *Nongenti vocabantur ex omnibus ſelecti*, non ſunt capienda ita, vti HARDVINVS putauit, quaſi hi Nongenti ex omnibus illis tribus decuriis fuerint electi, ſed verba *ex omnibus* indicant tantum hoc, quartae decuriae Iudices ex vniuerſo populo potuiſſe legi. In quintam denique decuriam, a Caio Principe factam, conſcripti primum ſunt omnes ii Equites, quibus ingenuis ipſis, patribus auisque paternis ſeſtertia CCCC cenſus fuerat; poſtea vero alii etiam, quin ipſi ſervitute liberati, dignitateque ornati in eam adſpirarunt. In quam rem PLINII verba ſunt haec: *Poſtea gregatim inſigne id appeti coeptum. Propterque haec diſcrimina Caius princeps quintam adiecit, tantumque natum eſt faſtus, vt quae ſub Auguſto impleri non poterant decuriae, non capiant eum ordinem, paſſimque ad ornamenta ea etiam ſeruitute liberati tranſiliant: quod antea nunquam erat factum, quoniam in ferreo annulo equites iudicesque intelligebantur.* Et huius quintae decuriae non eſt dubium, quin nulla alia, quam quartae decuriae, fuerit ratio. Quemadmodum enim Iudices, decuriae quartae adſcriptos,

vario

vario cognomine a se inuicem fuisse discretos diximus, adeo vt alius eorum Nongentum se, alius Selectum, alius denique Tribunum aerarii appellaret: ita etiam quintae decuriae iudices eodem cognominis discrimine distincti a se inuicem fuisse videntur. In o) Inscriptionibus certe saepe dicitur hic vel ille fuisse Iudex selectus ex V Decuria, et Iudex inter selectos ex quinta Decuria. Cum autem in quintam decuriam praecipue Equites sint electi, quibus a Caio Principe census erat praefinitus, et inter eos fuerint, qui selecti iudices sint dicti: non est dubium, quin eo respexerit p) SENECA, cum scripsit haec: *Vbi id, de quo sola sapientia decernit, in controuersiam incidit, non potest ad hoc iudex sumi ex turba selectorum, quem Census in album, et equestris haereditas misit;* nisi velimus dicere, SENECAM eo loco Iudicis selecti nomen pro quocunque iudice, iudicandi muneri destinato, atque adeo in decuriam Iudicum conscripto, sumpsisse; quod feciſſe puto q) HORATIVM, cum scriberet:

Vnum ex iudicibus selectis obiiciebat;

et r) OVIDIVM eo loco, quo queritur fata sua:

Nec mea decreto damnasti facta Senatus,
Nec mea Selecto Iudice iussa fuga est.

Caeterum quod s) REINESIVS scribit, cum Romae, tum per prouincias in municipiis et Coloniis tres republica libera decurias Iudicum fuisse, in eo concedendo non prius facilem me, assentientemque sibi habebit, quam eius sententiam graui aliquo Veterum testimonio confirmatam videro.

o) Reines. Syntag. Inscriptt. Class. VI. 26 et 113.
p) Lib. III. c. 7. de benef.
q) Lib. I. Serm. IV. v. 123.
r) Lib. II. v. 131.
s) Inscriptt. Class. VI. 26.

videro. Illud quidem non ego is sum, qui negare audeat, temporibus Imperatorum quosdam ex prouincialibus in vnam aliquam harum quinque decuriarum Iudicum fuisse conscriptos, quod et Inscriptio quaedam, a t) REINESIO exhibita et explicata, innuere videtur, et u) PLINII haec verba diserte dicunt: *vix singula millia in decuriis inuenta sunt*, tempore Augusti, *nondum prouinciis ad hoc munus admissis*; an vero is honos republ. libera prouincialibus habitus fuerit, quod Vir longe litteratissimus existimat, id in summam dubitationem adduci potest. Et haec quidem sunt, quae de Iudicibus selectis, et de omni decuriarum Iudicum ratione dicenda videbantur; quae tum demum omnino se mihi probabunt, si Viris iis, qui in hoc doctrinarum genere diutius sunt, feliciusque versati, non displicuisse intellexero. Quae felicitas si mihi obtigerit, non meae me operae, in elaboranda hac commentatione collocatae, poenitebit, sed vberrimos dulcissimosque eius fructus cepisse me existimabo.

t) Inscriptt. Class. VI. 113.
u) L. XXXIII. 7.

IV.

DE
PRAEFECTO VRBIS ROMANO

SCRIPTA

VIRO AMLISSIMO CONSVLTISSIMO

CHRISTIANO LVDOVICO STIGLITZIO.

Inſtituti ratio redditur.

Saepiſſime iucundiſſima illius temporis recordatio animum ſubit, VIR CONSVLTISSIME, AMICE SPECTATISSIME, quo TECUM conſuetudinis, quin ipſius contubernii vinculo coniunctus, eas litteras, quae magnifico illo humanitatis nomine celebrantur, TE comite, ſaepe etiam duce, colebam. Quemadmodum enim nobilis ille animus TVVS, inſigni liberalium artium percipiendarum amore inflammatus, me, in ipſo earumdem curſu, acrius inſtigabat, ita vegetum illud TVVM, et ad omnia ſumma factum, ingenium mihi, haerenti in multis, vehementerque laboranti, ſaepe opportune feliciterque ſuccurrebat. Iucundiſſimae autem memoriae illius recordationem nunquam repetere poſſum, quin animo meo bonae illae recurrant horulae, quas in diſputationibus, TECUM de humanitate inſtitutis, ſemper poſui ita, vt ad iudicandum perquam difficile mihi videretur, iucunditatisne plus ex ea re, an vtilitatis, abſtulerim. Quem enim, ad diſceptandum, propoſueras locum, eum ſumma verborum et elegantia, et perſpicuitate exponebas, ſententiam TVAM ſubiiſi quadam rationum grauitate confirmabas, doctri-

doctrinaeque copia defendebas ea, vt ex illa disputatione nunquam, nisi doctior, discederem: ea autem ingenii amoenitate, disputandique humanitate me, aduersarium TVVM, oppugnabas, vt, etsi semper victus a TE, ex nobili hoc doctrinae certamine, abirem, tamen mihi non tam turpe, aut molestum videretur, a TE superatum esse, quam iucundum et honorificum, TECUM contendisse. Neque de eo est, quod dubitem, quin TV, STIGLITZI OPTIME, qui nihil, nisi iniurias, obliuisci soles, adhuc memoria teneas, eam a TE mihi quondam esse positam quaestionem, quae ad Praefectum Vrbis Romanum, eius originem, munera, et dignitatem cum Regum, tum Consulum temporibus spectaret. Cui quaestioni soluendae etsi tunc quaedam afferre me memini, quae apta, accommodataque videbantur; tamen, cum limatissimo TVO, elegantiorisque doctrinae cultu politissimo iudicio non satisfeciſſe me, intelligerem, constitueb m, ex eo tempore paullo curiosius in veterum lectione obseruare, quae ad nobilissimum hunc locum illustrandum facerent, eaque, commoda aliqua occasione oblata, eleganttissimo iudicio spectanda subiicere TVO. Quare cum hic dies TVVS, quo TV, VIR CONSVLTISSIME, ingenii TVI, doctrinaeque, in Iurisprudentia summae, fructus capis vberrimos, a me non tam postulet, quam exigat, erga TE obseruantiae, amicitiaeque aliquod monumentum: eam occasionem, tanquam diuinitus mihi oblatam, studiose arripiendam, et ad TE Commentatiunculam hanc, de Praefecto Vrbis Romano, mittendam putaui, certissima illa, dulcissimaque spe fretus, fore, vt si doctrinae elegantia iudicio TVO non satisfecero, at obseruantiam, et officium erga TE meum humanitati probem TVAE. Neque vero verendum mihi esse putem, ne haec opella mea, huic commentatiunculae tributa, eo nomine, aut TIBI, aut cuiquam alii, male videatur consumta, quia viros quosdam, in hoc doctrinarum genere diu, feliciterque versatos, eun-

dem

dem locum ingenii, doctrinaeque luce colluſtrandum ſibi iam dudum ſumſiſſe, conſtet. Reuerentia, cum TIBI, tum aliis doctis hominibus debita, fecit, vt huic Commentationi, in lucem, adſpectumque proferendae, non prius manum admouerem, quam PANCIROLLVM et CONTELORIVM, quos de hac ipſa re egiſſe conſtat, conſuluiſſem eo animo, vt, ſi hunc locum, pro eius dignitate, expoſitum viderem, conſilium meum, de eadem re diſputandi, abiecturum me eſſe conſtituerem. Cum vero doctos hos viros de Praefecto vrbis ita diſputaſſe intelligerem, vt, quae huius Magiſtratus dignitas, quae munera Imperatorum temporibus fuerint, exponerent, nullam autem rationem haberent illius Praefecti Vrbis, quem Regum, Conſulumque tempore fuiſſe legimus: non eſſe putabam, quare me mei conſilii, de hoc inprimis Praefecto Vrbis diſputandi, poenitere poſſit. De Praefecto Vrbis egerunt quoque, vt TV optime ſcis, DOCTISSIME STIGLITZI, Cuſpinianus et Aegid. Bucherius, vt me docuit Praeſtantiſſimus PET. WESSELINGIVS Obſeruat. L. V. c. V. Quorum librorum conſulendorum etſi mihi copia non facta eſt: tamen, quantum ex WESSELINGIO diſcere potui, hi Viri docti conſilium idem, quod PANCIROLLVS et CONTELORIVS, in hac re ſecuti mihi videntur. Sed de hac opella mea, non meum ſit, ſed aliorum, et TVVM inprimis, VIR DOCTISSIME, iudicium: cui omne, quicquid huius Commentatiunculae eſt, diiudicandum ſubmitto. Quare ſepones paulliſper, HVMANISSIME STIGLITZI, rerum paullo grauiorum cogitationem, et dabis TE mihi, animumque TVVM huic commentatiunculae meae legendae: quam ſemper, rogo, cogites, non tam erudite eſſe, quam officioſe ſcriptam. Quo nomine ſi TIBI non diſplicuiſſe eam intellexero, non officioſam ſolum, ſed doctam quoque exiſtimabo.

Prae-

Praefectus Vrbis ab Auguſto inſtitutus, ab antiquo illo diuerſus.

Priusquam autem ad dignitatem ipſam Praefecti Vrbis, et officia, curae ipſius, fideique commiſſa exponenda aggredior, quoniam intellexi, Viros doctos, in origine huius dignitatis conſtituenda, non ſatis amice inter ſe conſpirare, operae pretium fuerit, ad ipſum rei caput aſcendere, paulloque curioſius inquirere, cui haec Praefectura originem debeat ſuam. Quod antequam ſuſcipio, diſceptanda videtur ea quaeſtio, an is Praefectus Vrbis, quem Suetonius, Auctore Auguſto, inſtitutum eſſe dicit, idem ſit cum eo, cuius ſaepiſſime, et Regum, et Conſulum temporibus mentionem fieri deprehendimus. Quod niſi antea conſtituerimus, verendum eſt, ne in ambiguo ludamus, atque adeo omnis fere diſputatio noſtra, ad certum nominis, *Praefecti Vrbis*, ſignificatum non directa, erret atque fluctuetur. Et quid aliud in cauſſa fuiſſe putas, DOCTISSIME STIGLITZI, quare Viri docti in diſputatione de Praefecti Vrbis Origine, in varias, easque contrarias ſententias fuerint diſtracti, niſi id, quod ipſius nominis ambiguitatem ex diſputatione ſua non proſcripſerint, et, relictis omnibus, certo conſtituerint, an de vno, eodemque Praefecto Vrbis Suetonius et alii Scriptores loquantur, qui de temporibus Reipublicae Romanae antiquioribus exponunt. [a]) TORRENTIVS quidem, cum, a Suetonio Praefecti vrbis auctorem Auguſtum edi, videret, non dubitauit, et Suetonium erroris coarguere, et contendere, huius praefecturae originem ab ipſo Romulo eſſe, atque adeo ab ipſis fere vrbis initiis repetendam: cuius ſententiae confirmandae cum multi alii, tum inprimis [b]) PANCIROLLVS aſſenſus ſui tanquam calculum addiderunt. [c]) GRAEVIVS contra ea, mirari ſe, dicit, quid ſit,

a) Ad Sueton. Auguſt. c. XXXVII.
b) In Notit. Dignitatt. p. 117.
c) Ad Sueton. Auguſt. c. XXXVII.

ſit, quod TORRENTIVM mouerit, vt contenderet, Praefecturam Vrbis ab Auguſto non eſſe inſtitutam, ſed auctam tantum: ipſeque adeo, Doctoris ſui d) FRED. GRONOVII auctoritatem haud dubie ſecutus, affirmat, Praefecturam Vrbis, de qua apud Suetonium eſt, non ad quemquam alium eſſe, quam ad Auguſtum auctorem, referendam. Si TV, VIR CONSVLTISSIME, hoc die, quaſi iurisdicundi munus auſpicandi cauſſa, inter hos tantos viros, de hac re diſceptantes, ſederes ita, vt ſecundum alterutram partem, tanquam Arbiter quidam Honorarius, pronunciares; ſi TE bene noui, non ampliandum cenſeres, ſed tale TVVM iudicium interponeres: *Vterque veſtrum videmini iure veſtro vti, et iuſta cauſſa contendere: et tu* TORRENTI, *qui huius Praefecturae originem, cuius quippe a multis inde annis aeterna auctoritas eſt, Romulo aſſeris; et tu* GRAEVI, *qui eandem Auguſto, vi quippe ereptam, iuſtis vindiciis reſtituis. Sed in hac controuerſia veſtra nominis ipſius ambiguitas eſt tollenda, totaque res, quae in diſceptationem venit, recte exponenda et definienda. Si enim* TV, TORRENTI, *ad Praefecti Vrbis nomen reſpicis, ab antiquiſſimis inde vrbis Romae temporibus in poſſeſſione Praefectus Vrbis eſt; ſin* TV, GRAEVI, *in hoc Magiſtratu, quem Suetonius ab Auguſto inſtitutum ſcribit, non tam nomen, quam infinitam eius poteſtatem ſpectes, nemo tecum, actione de vi feſtucaria inſtituta, contendere poteſt.* Hanc TVAM ſententiam, VIR CONSVLTISSIME, tanquam ex iure honorario translatam, in hac quaeſtione ſequar, ad eamque praeſentem diſceptationem dirigam, atque componam. De tota igitur hac quaeſtione poſita equidem diſputo ita, vt contendam, Praefectum illum vrbis, qui, auctore Suetonio, ab Auguſto conſtitutus eſt, longe diuerſum, planeque alium eſſe ab eo, cuius, cum Regum, tum Conſulum temporibus, mentionem Aucto-

d) Obſeruatt. in Scriptt. Eccleſ. p. 207. ſeqq.

Auctores Graeci et Latini faciant, huiusque dignitatem et munera cum dignitate, officiisque vrbis Praefecti Augustei, (ita breuitatis causſa mihi loqui liceat,) ne comparandam quidem esſe. Illius enim Praefecti vrbis, qui Augustum auctorem habet, longe alia ratio fuit, quam illius, quem ante Augusti tempora fuisſe legimus, atque adeo plane noua fuit: quod cum in sequentibus, auctoribus veteribus, docuero, TORRENTIVM, VERTRANIVM,*) aliosque graui opinionis errore lapsos esſe, apparebit, qui putant, Praefecturam Vrbis non ab Augusto demum inventam, institutamque esſe, sed a primis inde Vrbis annis introductam, succedente autem tempore abrogatam, ab eo Imperatore repetitam, maiorique dignitate auctam atque ornatam. Quem errorem ipse quoque TORRENTIVS quodammodo perspexit, qui, cum ad aliquem e) Suetonii locum affirmasſet, Praefecturam vrbis, cuius originem Suetonius vni Augusto tribuat, Romuli institutis deberi, alio f) loco sententiam suam retractat, et Praefecturam Vrbis Augusteam plane nouam esſe, concedit. Quam disputandi inconstantiam quis in tali viro non aegre ferat? Praefectura Vrbis igitur, cuius auctorem Augustum edit Suetonius, tota noua est, et, ab antiqua illa, longe diuersissima: quare autem Augustus nouae, a se institutae, dignitati antiquum imposuerit nomen, eius rei causſam, etsi iam alio g) loco me afferre memini, tamen, quoniam ad rem praesentem nostram inprimis facit, non credo, aegre feres, HVMANISSIME STIGLITZI, si et hic exposuero. Scilicet Augustus, vt in multis aliis rebus populum Romanum, male cautum, callidis quibusdam artibus

*) Ad Tacit. Lib. VI. Annal. c. 11. vbi Suetonium negligentiae malaeque fidei incusat.
e) Ad Sueton. August. c. XXXVII.
f) Ad Sueton Caesar. c. LXXVI.
g) In libello de Vsu et Praestant. Rom. Histor. in Interpret. Noui Testamenti p. 60.

tibus circumſcripſit: ita in eo mirifice hominum animos decepit, mentesque quaſi abſtulit, quod nouis dignitatibus, ad inuidiam vſque amplis, antiqua nomina, nihil niſi populare quiddam, certe nihil inuidioſum habentia, imponeret, horumque nominum, quibus populi aures iam dudum adſuetae erant, ſpecie populo imponeret, callidoque hoc popularitatis ludibrio, infinitae fere poteſtatis magiſtratus populo obtruderet. Quod σόφισμα πολιτικὸν et quaſi πάλαισμα, iam dudum inter veteres agnouit h) Dio Caſſius, inter recentiores i) IO. FREDER. GRONOVIVS. Auguſtus igitur, cum, ex conſilio Maecenatis, vt apud k) Dionem eſt, nouum quendam Magiſtratum creaturus eſſet, cuius et dignitas ſumma, et poteſtas fere infinita eſſet, facile autem videret, ſe, cum ſibi, tum ei magiſtratui, inuidiam populi, odiumque eſſe conflaturum, niſi populari nomine, nouae dignitati impoſito, hominum ſuſpicioni occurreret: ita ſe commodiſſime poſſe omnem dominationis ſuae opinionem populo eripere, putabat. ſi huic nouae dignitati, etſi ampliſſimae, maiorique, quam pro libertate Romana, antiquum aliquod, et ab omni invidia, odioque remotum, nomen imponeret. Proſcripta igitur ex hac diſputatione noſtra nominis *Praefecti Vrbis* ambiguitate, facilius, feliciusque noſtra procedet commentatiuncula, quae, etſi non tota, maximam tamen partem occupata erit, in illius Praefecti Vrbis, qui Regum, Conſulumque temporibus fuit, origine, dignitate, muneribusque deſiniendis.

Praefectus Vrbis a Romulo inſtitutus.

Ego quo ſaepius diligentiusque, de illius Praefecti Vrbis, quo hoc loco vtimur, origine, cogito, eo magis in ſententiam inclino eam, vt putem, eam ad Romulum auctorem

h) Lib. LIII p 507. ſeq.
i) In Orat. de Lege Regia.
k) Lib. LII. p. m. 478.

ctorem esse referendam, atque adeo ab ipsis fere vrbis initiis repetendam. Romulus enim, cum Rempublicam describeret, et vnicuique ordini suum quodque munus assignaret: ex omni populo [l]), auctore Dionysio, vnum aliquem cognitae et spectatae virtutis virum elegit, cuius curae, fideique rempublicam domi feliciter committere posset, quoties eadem sibi foris esset gerenda. Quis enim tam difficilem se, perpugnacemque in disputando praebeat, quin fateatur, in illo Dionysii loco, per τὸν ἡγεμόνα πόλεως non alium esse, quam Praefectum Vrbis, intelligendum? Nec dubitatio vlla est, quin idem vocabulum eodem sensu capiendum sit alio eiusdem [m]) Auctoris grauissimi loco, vbi Tanaquill, posteaquam Seruium Tullium docuerat, quot, quantisque bonis adiutus, auctusque in domo Tarquinii esset, ab eo sibi beneficii concedi cupit id, vt filiorum suorum natu maximum, quum primum reipublicae gerendae facultatem aliquam nactus fuisset, faceret Praefectum Vrbis. En tibi ipsius verba: ὅταν δὲ εἰς ἄνδρας ἔλθωσι, καὶ τὰ κοινὰ πράττειν ἱκανοὶ γένωνται, τὸν πρεσβύτερον αὐτῶν ἀποδεῖξαι Ῥωμαίων ἡγεμόνα. Ex quo loco et illud intelligi potest, huius Praefecturae iam tunc temporis insignem aliquam dignitatem, auctoritatemque fuisse. Idem [n]) Dionysius tradit, Sp. Lucretium, cuius ipsius quoque apud [o]) Liuium mentio fit, a Tarquinio Superbo, ad bellum profecturo, Praefectum Vrbis (ἔπαρχον τῆς πόλεως) Romae fuisse relictum. Sed ne cui forte male credulo aliqua dubitatio relinquatur, age Tacitum, Auctorem longe grauissimum, testem producamus, ita, vt dictis nostris maiorem vim, auctoritatemque addat [p]). Is igitur de hac re ita: *Antea, profectis domo*

l) Antiquitatt. Roman. Lib. II. p. m. 85.
m) Lib. III. p. 210.
n) Lib. IV. p. 273.
o) Lib. I. c. 60.
p) Lib. IV. c. 11. Annal.

domo Regibus, ac mox magiſtratibus, ne vrbs ſine imperio foret, in tempus deligebatur. qui ius redderet, ac ſubitis mederetur, feruntque ab Romulo Dentrem Romulium, poſt ab Tullo Hoſtilio Numam Marcium, et ab Tarquinio Superbo Spurium Lucretium impoſitos. Quae loca, quis non intelligit, tam perſpicue docere, huius Praefecturae originem ad ipſa Imperii Romani initia, eiusque Auctorem Romulum eſſe referendam, vt nullus dubitationi locus relictus eſſe videatur?

Praefectura Vrbis Regibus eiectis non ſublata.

Neque vero huius Praefecturae idem, qui regni Romani, finis fuit; eandem enim etiam ſub conſulum imperio manſiſſe, eius rei tot ſunt, tamque illuſtria exempla, vt, ſi omnia afferre velim, vix inepti hominis notam effugere me poſſe, putem. q) Liuius, *cum vterque*, inquit, *Conſul contra hoſtem coercendum eſſet miſſus, Q. Seruilius Praefectus Vrbis relictus fuit.* Apud r) eundem mentio fit Q. Fabii, qui, vtroque Conſule foris Rempublicam gerente, Vrbi praeerat, ideoque, paullo poſt, idem Q. Fabius a Liuio Praefectus Vrbis vocatur s). Innumera poſſem ex Dionyſio huic rei confirmandae exempla afferre, ſi vana et inani doctrinae iactandae ambitione ductus, diſputare vellem. Cum Liuio quam amiciſſime conſpirat Tacitus, loco ſupra a nobis laudato. *Dein* (exactis ſcilicet Regibus) *Conſules mandabant; duratque ſimulacrum, quotiens ob Ferias Latinas praeficitur, qui conſulare munus vſurpet.* Quae vltima verba, quia aliquid difficultatis habent, atque adeo a Viro quodam docto male ſunt capta, in ſequentibus, commodiori occaſione oblata, exponemus, et a Viri cuiusdam docti interpretatione falſa vindicabimus. Neque vero ſolum conſulum

q) Lib. III. c. 3.
r) Lib. III. c. 8. 9
s) Conf. idem Lib. III. c. 24 et 29.

tempore creatum fuisse Praefectum Vrbis, sed tunc etiam, cum Dictator esset dictus, docet t) Liuius et u) Dionysius. In decemuirali autem dominatione, etsi omnia libidinose, et contra leges Romanas, acta esse scimus: tamen huius praefecturae imaginem aliquam fuisse relictam, colligi posse puto ex x) Liuio. Et quamquam Decemuirorum tempore exigua huius Praefecturae auctoritas fuit: tamen, deiectis istis, vrbeque expulsis, dominis, ea, cum ipsa libertate videtur esse restituta. Post ea enim tempora cum Liuius, tum Dionysius Praefecti Vrbis mentionem faciunt. Quamdiu autem haec dignitas in Republica libera floruerit, eam quaestionem disceptabimus paullo post, cum antea, auctoribus veteribus, caussas exposuimus eas, ob quas Praefectus Vrbis fuerit creatus.

Quibus de caussis Praefectus Vrbis fuerit creatus?

Quae caussae fuerint, quibus Reges, et postea Consules, moti, Praefectum Vrbis constituerint, etsi ex locis Dionysii et Taciti, antea laudatis quodammodo intelligi possunt: tamen suscepti officii ratio postulat, vt a nobis paullo dilucidius exponantur. Et primis quidem temporibus Praefecti Vrbis creandi caussa nulla alia fuisse videtur, nisi haec, vt Regis, et, his eiectis, consulum, in bellicis negotiis occupatorum, munera obiret, reique publicae curam susciperet. In quam rem dignus auctor est, qui producatur y) Dionysius. Ἀυτὸς μὲν, inquit, Ῥώμυλος ἐξ ἁπάντων ἕνα τὸν ἄριστον ἀπέδειξεν, ᾧ τὰς κατὰ πόλιν ᾤετο δεῖν ἐπιτρέπειν οἰκονομίας, ὅτε αὐτὸς ἐξάγοι στρατείαν ὑπερόριον. *Ex omnibus vnum ipse declarauit praecipuum, cui rerum vrbanarum regimen committeret, quoties ipse foras duceret exercitum.* Eandem caussam reddit

t) Lib. III. c. 29. Lib. VIII. c. 36.
u) Lib. V. p. 338.
x) Lib. III. c. 41.
y) Lib. II p. 85.

reddit alio z) loco. Neque aliam affert Tacitus, cuius locum, quoniam paullo ante laudauimus, consulto omittimus, ne otio cuiquam, litterisque abundare videamur. Itaque antiquissimis temporibus praecipua caussa, Praefecti Vrbis deligendi, fuit, vt, absentibus Regibus aut Consulibus, esset Romae, qui Senatum conuocaret, ei praeesset, et Vrbem ipsam, si periculi necessitas exigeret, ab hostium impetu defenderet. Itaque etiam legimus, Praefecto Vrbis partem aliquam exercitus fuisse Romae commissam, cuius auxilio irruentium hostium vim, impetumque ab vrbe depellere posset: cuius rei exemplum praebet Vibulanus, Praefectus Vrbis, de quo est apud eundem a) Dionysium. Fuit et alia caussa Vrbis Praefecti creandi, quam, etsi non sum omnium rerum ignarus ita, vt nesciam, a Viris quibusdam doctis primam et vnam haberi, tamen retinet me veterum auctoritas, quo minus ipsorum sententiae subscribere possim. Praefectum enim Vrbis institutum volunt tum, cum Feriae Latinae primum sint celebratae, quarum sacrificiis cum Consules interesse, quin praeesse oportuerit, ne Vrbs sine imperio foret, commisisse eos vni alicui munera sua. Iam etsi ego non sum is, qui neget, inter alias caussas Praefecti Vrbis creandi fuisse etiam solemnitatem Feriarum Latinarum; in eo tamen concedendo facilem praebere me non possum, hanc caussam fuisse primam et vnicam, qui, auctoribus veteribus edoctus, sciam, et aliam praeterea caussam esse, paullo ante a nobis traditam, et originem huius Praefecturae ad tempus esse multo antiquius referendam. Cum enim haec dignitas, auctoribus Dionysio et Tacito, ab ipso Romulo sit instituta, feriarum autem Latinarum origo Tarquinio Superbo sit adscribenda, eodem b) Dionysio teste: quis non ipse intelligit, Vrbis Praefecturae originem Feriarum

z) Lib. IV. p. 273.
a) Lib. X. p. 618.
b) Lib. VI. p. 330.

Latinarum ſolemnitate multo eſſe antiquiorem. Maiori iure audiendus eſt Pomponius, a VERTRANIO ad laudatum Taciti locum adductus, qui in hanc rem veriſſime ſcripſit: *Quoties proficiſcuntur Magiſtratus, vnus relinquitur, qui iudicat, isque vocatur Praefectus Vrbi, qui Praefectus Vrbi conſtituebatur: poſtea vero Feriarum Latinarum cauſſa introductus eſt.*

Praefectura Vrbis quamdiu in Republica libera durauerit?

Hic vero oritur quaeſtio, ad ſoluendum ſatis difficilis, a nemine autem, quantum equidem ſciam, ſatis expedita; quae verſatur in definiendo eo, quamdiu Praefecturae Vrbis dignitas, auctoritasque, Reipublicae liberae temporibus, floruerit. In cuius rei diſceptatione cum non poſſim ad veterum Auctorum auxilium decurrere, confugiendum mihi eſſe intelligo ad opem diuinationis: quam ſi quis veritatis tanquam radicibus male firmam concuſſerit et deiecerit, ſententiamque me docuerit elegantiorem, is magno me ſibi beneficio obſtrictum putet. Diſputabo igitur de difficili hac quaeſtione, ſed ita, vt in Cretionibus ſcribi ſolet, *Quibus ſcio poteroque.* Iam reuocabis in memoriam, STIGLITZI OPTIME, me paullo ante, veteribus Auctoribus, docuiſſe: duplicem fuiſſe creandi Praefecti Vrbis cauſſam, alteram, ſi Reges, aut Conſules, rei gerendae cauſſa, Roma abeſſent; alteram, ſi ſolemnitas religioſa Feriarum Latinarum Conſules ex Vrbe in montem Albanum euocaret; adeo, vt a duplici Praefecti Vrbis creandi cauſſa duplex quodammodo Praefectus Vrbis conſtitui poſſit; alter, qui deligebatur, cum Conſules foris bellum gererent, alter, qui Feriarum Latinarum cauſſa creabatur. Quod ſi ſtatuerimus, (et quidni ſtatuamus, cum nihil ſit, quod veterum auctoritati aduerſetur?) facilius poſſumus, et cum minori errandi periculo, in hac diſceptanda quaeſtione, quamdiu Praefecturae Vrbis dignitas, liberae Reipublicae temporibus, durauerit, progredi. *Prae-*

Praefectus Vrbis, Praetore Romae primum creato, creari desiit.

Ego quidem, quo saepius de hac re, diligentiusque cogito, eo magis animus inclinat eo, vt putem, eum Praefectum Vrbis, qui, Consulibus ad bellum Roma profefectis, deligebatur, vsque ad id tempus creatum fuisse, quo primus Praetor Romae fuerit constitutus: quem Praefecti Vrbis munera, absentibus Consulibus, in se suscepisse, duabus rationibus inductus, mihi videor demonstrare posse. Quarum prima petita est a communi Auctorum silentio. Non enim, quamuis curiosus in ea re, aut in Liuio, aut in alio quocunque scriptore, obseruasse me memini, post Praetorem creatum vllam mentionem fieri eius Praefecti Vrbis, qui, Consulibus ab Vrbe in bellum profectis, creari solebat. Altera haec est, quod munera, quae antea ad Praefectum Vrbis pertinuerint, ea omnia fidei et curae Praetoris Vrbani commissa esse, ex Auctoribus didici; vt adeo, quamuis Consules abfuerint, nulla caussa Praefecti Vrbis creandi adfuerit, cum Praetor absentium Consulum officia peregerit. Quae res, vt nulli obscuritati et dubitationi locum relinquat, paullo dilucidius enucleatiusque disceptanda est. Quae igitur fuerunt Praefecti Vrbis, absentibus Regibus et Consulibus, munera? ea ipsa, quae Reges et Consules praesentes peragere solebant. Disertissimus est in hanc rem Taciti c) locus: *Antea profectis domo Regibus, ac mox magistratibus* (h. e. Consulibus), *ne vrbs sine imperio foret, in tempus deligebatur, qui ius redderet, ac subitis mederetur.* Et, paucis interiectis, de eadem re, idem auctor grauissimus: *durat simulacrum* (sc. Praefecturae Vrbis), *quotiens ob ferias Latinas praeficitur, qui* CONSVLARE MVNVS *vsurpet.* His lectis, sine dubio recordaris, VIR DOCTISSIME, in superioribus me promisisse interpretationem vltimorum horum Taciti verborum, quae miraberis, a Viro quodam docto in sensum, plane a

c) Lib. VI. Annal. c. 11.

mente Auctoris alienum, potuiſſe detorqueri. Notius TIBI eſt, VIR in hoc doctrinarum genere VERSATISSIME, quam, vt dicere debeam, VERTRANIVM eſſe, qui hic dormitarit. En TIBI illius verba: *Conſulare imperium, i. e. a Conſule mandatum, non munus, quod Conſulem obire moris Romani fuerit. Etenim ex ea aetate praefectus fiebat, quae Senatoria non eſſet, vti Q. Mutius dicebat, et Agellius Lib. XIV. extremo ſcriptum reliquit.* Quae docti Viri interpretatio aduerſatur, primo, ipſi linguae rationi, qua *conſulare munus* dicitur de officiis a Conſule obeundis, vt clariſſime patet ex Cicerone, mox excitando, deinde, diſertiſſimis ſuperioribus Taciti verbis, *qui* (Praefectus Vrbis) *ius redderet, ac ſubitis mederetur.* Quam autem ſententiae ſuae confirmandae auctoritatem affert *Q. Mutii*, (ſiue potius, vt dudum L. CARRIO Emendatt. lib. I. c. 19. ex veteribus libris emendauit, *Iunii*) qui eam ob cauſſam ius habendi Senatus (quod ipſum quoque munus conſulare erat,) Praefecto Vrbis denegauit, quia nondum fuerit Senatoria aetate, ea neminem, opinor, mouebit, cum ab ipſis Veteribus fuerit reiecta, vti ipſe d) Gellius docet, ad quem conferendus GRONOVIVS. Sed vt preſſius contra VERTRANIVM diſputemus, et ei Praefecto Vrbis, quo hoc loco vtimur, conſularia munera, tanquam iuſtis vindiciis, aſſeramus: age, de ſingulis, ſaltem praecipuis, et Regum et Conſulum muneribus videamus. Iam inter praecipua munera Regum, et Conſulum, primis temporibus fuiſſe hoc, vt ius redderent, nemo, credo, negabit, niſi qui in antiquitatis Romanae memoria egregie hoſpitem ſe eſſe oſtendere velit. Hoc autem munus, abſentibus et Regibus et Conſulibus, commiſſum fuiſſe Praefecto Vrbis, quis negare audeat, cum e) Taciti auctoritas grauiſſima affirmet? Quid? Senatum conuocare, ad eundem referre, et Regum et Conſulum fuiſſe,

d) Lib. XIV. c. 8.
e) Lib. VI. Ann. c. XI.

fuiſſe, quis in hiſtoria Romana tam peregrinus eſt, vt ignorare poſſit? Atqui hae ipſae partes fuerunt Praefecti Vrbis: cui rei confirmandae, ne TE, STIGLITZI OPTIME, multis obtundam, vel vnum et item alterum locum, atque eum maxime inſignem, afferam. f) Liuius de Q. Fabio: *Qua lege promulgata, quum timerent Patres, ne abſentibus Conſulibus iugum acciperent, Senatus a Praefecto Vrbis Q. Fabio vocatur.* Idem alio g) loco: *Romae a Q. Fabio Praefecto Vrbis Senatus habitus triumphantem Quintium, quo veniebat agmine, vrbem ingredi iuſſit.* Quid igitur? ſatisne grauiter TIBI, DOCTISSIME STIGLITZI, contra VERTRANIVM diſputaſſe, Praefectoque Vrbis conſularia munera, vti debebat, vindicaſſe videor? Mihi quidem ita videtur. Sed ex quo quaſi diuerticulo diſputatio noſtra digreſſa eſt, in id redeat. Scilicet eramus in eo, vt oſtenderemus, creato Romae Praetore non fuiſſe cauſſam deligendi eius Praefecti Vrbis, qui antea Conſulibus ad bellum profectis, crearetur, cum, quae antea Conſularia munera demandata fuiſſent Praefecto Vrbi, ea poſtea Praetori vrbano fuerint commiſſa: quod vt paucis doceamus, ſuſcepti officii ratio a nobis poſtulat. Munera Praefecti Vrbis ſub Regibus et conſulibus diximus fuiſſe inprimis duo: quorum alterum erat hoc, vt auctore Tacito, ius redderet, alterum autem, teſte Liuio, vt Senatum conuocaret et haberet: quorum vtrumque Praetori Vrbano fuiſſe commiſſum, age, paucis doceamus. h) Liuius, *conceſſum de Praetore vno, qui ius in vrbe diceret*: Idem alio i) loco: *Praetorem, iura reddentem, creatum.* Eundem vero Praetorem habuiſſe quoque, abſentibus Conſulibus, ius conuocandi habendique Senatus, non ſolum k) Li-

f) Lib. III. c. 9.
g) Lib. III. c. 29.
h) Lib. VI. c. 42.
i) Lib. VII. c. 1.

k) Liuius, sed l) Cicero etiam disertissime luculentissimeque docet his verbis: *Ad Cornutum, Praetorem Vrbanum, litteras deferebamus, qui, quod Consules aberant, consulare munus sustinebat, maiorum more.* In eandem rem Dio m) Cassius, οἷς (στρατηγοῖς) τὰ τῶν ὑπάτων ἔργα, ὁπόταν ἀποδημήσωσι, μέλει. *Quibus Praetoribus munera Consulum, si ab vrbe absunt, curae sunt.* Et alio loco n) Cicero: *Consules, Imperatores, alter amboue, aut, si aberunt, M. Cornutus, Praetor Vrbanus, supplicationes per dies quinquaginta ad omnia puluinaria constituat.* Quid? quod, vt olim Praefectus Vrbis, ita postea Praetor Vrbanus Vrbi praeesse dicebatur. o) Liuius: *SCtum factum est, vt Q. Fuluio extra ordinem Vrbana prouincia esset, isque potissimum, Consulibus ad bellum profectis, Vrbi praeesset.* De caeteris muneribus Consularibus a Praetore Vrbano, absentibus Consulibus, peractis consulendus est Illustris Spanhemius de Vsu et Praestantia Numismat. Tom. II. Dissert. X. pag. 119. seq. Hic vero longe absum, vt dubitem, quin TIBI, STIGLITZI DOCTISSIME, succurrat locus p) Dionis, qui, cum M. Antonii temporibus L. Caesaris Praefecti Vrbis mentionem faciat, sententiae meae, qua contendi, post Praetorem Romae creatum eam Praefecturam Vrbis, de qua huc vsque disputauerimus, iacuisse, ei, igitur, sententiae meae aduersari videatur. Sed salua res est. Neque enim vnicus ille locus aut debet, aut potest, ad sententiam nostram conuellendam, tam firmis radicibus innixam, afferri, praesertim cum, quod tunc factum est, in turbulentissimis Reipublicae temporibus, atque adeo contra morem consuetudinemque factum esse, videatur. Quod ipsum quoque Dio non

k) Lib. VIII. c. 2.
l) Lib. X. Epist. 12. ad diuersos.
m) Lib. LIX. p. m. 659.
n) Philipp. XIV. c. vlt.
o) Lib. XXIV. c. 9.
p) Lib. XLII. p. 199.

non obſcure innuit: *τὸ μὲν ἄρυ τῷ Καίσαρι τῷ Λευκίῳ ἐπέτρεψε, πολίαρχον αὐτὸν ἀποδείξας (ὃ μὴ πώποτε τῷ ἱππάρχῳ ἐξουσία ποιεῖν ἦν). Vrbis cura L. Caeſari commiſſa, eoque (quam poteſtatem nemo vnquam magiſter Equitum habuerat) Praefecto Vrbis relicto.* Maneat igitur certum, rationumque auctoritate conſtitutum, quod diximus, Praefectum Vrbis eum, in quo deſcribendo diſputatiuncula noſtra huc vſque occupata fuit, creatum fuiſſe vſque ad tempus id, quo primus Praetor Romae fuerit conſtitutus.

Praefectus Vrbis Feriarum Latinarum, Praetore Romae creato, non eſt ſublatus.

Sed ſi TV, VIR CONSVLTISSIME, non docendus, (nam quid ego TE doceam?) ſed me errantem meliora docturus, ſi, inquam, ex me quaeras, vtrum alteri illi Praefecto Vrbis, Feriarum Latinarem cauſſa creato, idem finis fuerit, quam huic, an diutius Romae floruerit: non me poenitet eius eſſe ſententiae, vt putem, Praefectum Vrbis Feriarum Latinarum, altero illo abrogato, per multa ſecula, cum Reipublicae liberae, tum Imperatorum temporibus, creatum fuiſſe. Quem quidem morem, Praefectum Vrbis Feriarum Latinarum creandi, Romani retinuiſſe mihi videntur, non tam neceſſitate coacti, (quidni enim Praetor Vrbanus etiam tum conſulare munus obire potuiſſet?) quam religione aliqua capti. Quam ſtudioſi enim, et religioſi Romani in rebus, ad ſuperſtitionem ſpectantibus, retinendis fuerint, neminem in Romana hiſtoria tam parum verſatum putem, vt ignorare poſſit. Regibus exactis, etſi nomen ipſum Regis abhorrebant et deteſtabantur: tamen, ne Regis, qui antea quaedam ſacrificia ipſe peregerat, vbiubi deſiderium eſſet, vt q) Liuius tradit, ſacrificulum creare, religionis metu, coacti ſunt. Eadem religionis ſuperſtitione permoti videntur Roma-

q) Lib. II. c. 2.

Romani, vt, Praetore Romano conſtituto, tamen Praefectum Vrbis deligerent, ſed non eo tempore, quo Conſules bellum geſturi Vrbe abeſſent, ſed, cum in monte Albano Ferias Latinas curarent. Fuiſſe autem moris Praefectum Vrbis Feriarum Latinarum creandi, cum ex aliis Auctoribus, tum inprimis ex Dione conſtat, qui inter infauſta prodigia, quae Reipublicae imminentem calamitatem portenderint, refert et hoc, quod anno quodam Praefectus Vrbis Feriarum Latinarum EX MORE non conſtitutus fuiſſet. Sed quoniam TE, VIR LITTERATISSIME, inprimis litterarum Graecarum amore mirifice captum ſcio: TIBI rem gratam facturum me ſpero, ſi ipſum loquentem inducam. r) Καὶ πολίαρχος ὠδεὶς ἐς τὰς ἀνοχὰς, ὥσπερ εἰθιστο, ἤρεθη, ἀλλ' οἱ στρατηγοὶ πάντα τὰ ἐπιβάλλοντα αὐτῷ (ὥσγε τισὶ δοκεῖ) διώκησαν. s) Idem: πολίαρχός τέ τις ἐν ταῖς ἀνοχαῖς κατασὰς. *Praefectus quidam vrbis Feriis Latinis conſtitutus.* Interpres Latinus, qui πολίαρχον reddidit *Aedilem*, ibi dormitauit. Quam rem his duobus locis tradit Dio, eam acciduſſe ſcis, VIR DOCTISSIME, Iul. Caeſaris temporibus. Idem t) Dio, tanquam ſingulare quid, proditum reliquit, tempore Auguſti, annum DCCXXXIII nullum Praefectum Vrbis Feriarum Latinarum habuiſſe: Ταραχῆς δὲ τινὸς περὶ τὴν τῦ πολιάρχυ, τῦ διὰ τὰς ἀνοχὰς αἱρομένυ, χειροτονιαν συμβάσης, ὐκ ἐπεκράτησεν αὐτῆς, ἀλλὰ ἄνευ τῆς ἀρχῆς τάυτης τὸν ἐνιαυτὸν ἐκεῖνον διεγένοντο. Eundem morem, quamquam paullulum obſcuriuſcule, tangit Facitus: *Deinde Conſules mandabant, duratque ſimulacrum, quotiens ob Ferias Latinas praeficitur, qui conſulare munus vſurpet.* Quae verba et hoc docent, Praefectum Vrbis Latinarum Feriarum etiam abſentium Conſulum munera obiiſſe; quod etſi Mutius, ſiue potius, Iunius, apud

r) Lib. XLI. p. 160.
s) Lib. XLIII. p. 238.
t) Lib. LIIII. p. 525.

apud u) Gellium, in dubitationem adducit: tamen aliorum veterum auctoritate eſt confirmatum, vti ipſius Gelliani loci conſideratio docebit, ad quem conſulendi Interpretes.

Praefecti Vrbis, ab Auguſto inſtituti, quae ratio?

Expoſita ſententia mea de duplici Praefecto Vrbis Reipublicae liberae temporibus: ipſius diſputationis ordo id muneris iniungere mihi videtur, vt de Prafecto Vrbis, ab Auguſto inſtituto, eiusque dignitate et officiis exponam, vt dilucidius appareat, verum eſſe, quod ſupra affirmarim, hunc Praefectum Auguſteum ab altero illo, Reipublicae liberae temporibus creato, longe diuerſum eſſe, nullaque veritatis ſpecie poſſe, cum TORRENTIO et PANCIROLLO, contendi, Praefectum Vrbis, in Suetonii loco laudato commemoratum, ab Auguſto non nouum quendam Magiſtratum fuiſſe, ſed ex veteri republica repetitum, maiorique dignitatis, poteſtatisque ſplendore ornatum. Quod priusquam ſuſcipio, quoniam et de hac ipſa re viri quidam docti quaeſtionem poſuerunt, quid impedit, quominus Auguſti conſilium, quod in nouo hoc Magiſtratu inſtituendo ſecutus ſit, aperiamus, praeſertim, cum id, quod Vir quidam accuratiſſimus inueniſſe ſibi viſus eſt, non magna veri ſpecie, gratiaque ſe mihi commendet. Nam GRONOVIVS parens, ad laudatum Taciti locum, cauſſam redditurus, qua Auguſtus commotus nouum hunc Magiſtratum fecerit, nullam aliam fuiſſe dicit, niſi hanc, vt, etſi alia oſtenderet, frangeret ius Praetorum, h. e. illius Magiſtratus, quem a populo creari ſineret. Cui quidem ſententiae videat Vir doctiſſimus, vt multos ſit nacturus, qui ſubſcribendum putent; cum ex Suetonio et Dione ſatis conſtet, Auguſtum non ſolum munera noua, eaque dignitate ſua ſatis ſplendida, Praetoribus detuliſſe, ſed eorum etiam numerum auxiſſe, quo, quis non videt, multum

u) Lib. XIV. c. 8.

a Viro Illuſtri male ſollicitata, recte vindicata ſunt a GRONOVIO y), in hoc doctrinarum genere, facile principe. De tota autem hac re omnino conſulendus eſt Dio z).

Praefectus Vrbis Auguſteus a Praefecto Feriarum diuerſus.

Hic vero et illud iure TVO, DOCTISSIME STIGLITZI, ex me quaerere potes, vtrum, qui Imperatorum tempore conſtitutus eſt Praefectus Vrbis, is illius quoque Praefecti Vrbis, Feriarum Latinarum cauſſa antea creati, munus obierit, an duo Praefecti Vrbis, Imperatorum quoque tempore, iique et dignitate, et muneribus diuerſi, ſint ſtatuendi? In qua re elegantiſſimo iudicio TVO commodiſſime ſatisfacturum me eſſe putem, ſi dicam, Imperatorum quoque tempore duos fuiſſe Praefectos Vrbis, immenſo ſeiunctos diſcrimine: quod quale fuerit, paucis oſtendam. Praefectus Vrbis, ab Auguſto inſtitutus, fuit perpetuus; alter autem, Feriarum Latinarum cauſſa dictus, ad tempus breue tantum conſtitutus. Illi multa ſunt, eaque longe grauiſſima munera, commiſſa; huic non niſi id, vt exiguo illo tempore, quo Conſules, Feriarum Latinarum cauſſa, Vrbe abeſſent, de rebus paucis, atque iis leuiſſimis iudicaret. In illo aetas paullo prouectior, omnesque fere magiſtratus antea iam geſti, requirebantur; in hoc ſpectabatur aetas, quae iuuentutem nondum attigerat. Sed vt maiorem auctoritatem dictis noſtris addamus, fidemque adeo iis faciamus: age ipſis veteribus, teſtibus idoneis, teſtimonium denunciemus. Et Praefectum quidem Vrbis, Latinarum Feriarum cauſſa creatum, diuerſum fuiſſe ab illo, cuius Auctor eſt Auguſtus, vel vnus a) Suetonii locus docet, vbi aliqua pars Epiſtolae, ab Auguſto ad Liuiam ſcriptae, affertur, in qua leguntur haec:

In

y) Obſeruatt. in Scriptt. Eccleſ. p. 207.
z) Lib. LII. p. 478.
a) Claud. c. 5.

Ferias Latinas praeficitur, consulare munus vsurpet. Conf. g) Dio Cassius. Nam quis illud difficile ad probandum putet, Augustei Praefecti Vrbis multa, atque ea longe grauissima fuisse munera, huius autem, Feriis Latinis creati, non nisi fere vnum atque id non grauissimum? De huius Praefecti Vrbis officiis haec duo mihi videor obseruasse: quorum alterum fuit hoc, vt de rebus plerumque leuibus iudicaret. Suetonius de h) Nerone: *Auspicatus est iurisdictionem Praefectus Vrbis Sacro Latinarum, celeberrimis Patronis, non tralaticias, vt adsolet, et breues, sed maximas, plurimasque postulationes certatim ingerentibus.* Sic Drusus, Feriarum Latinarum diebus, Praefectus Vrbis, auspicandi gratia tribunal ingressus, ius dixit, vt est apud i) Tacitum. Ipsum Augustum, Praefectum Vrbis Latinarum, ius dixisse, didici ex Nic. Damasceno apud k) FABRICIVM: ἐνιαύσης δέ τινος ἑορτῆς Λατίνης, ὁπότε καὶ τοῖς ὑπάτοις εἰς Ἄλβανὸν τὸ ὄρος ἀναβαίνειν ἔθει πατρίᾳ θυσίας ἕνεκα, τὰς δ' ἱερεῖς διαδόχας αὐτῶν τῆς δικαιοδοσίας εἶναι, καθίζει ἐπὶ τὸ βῆμα Καῖσαρ ἐν μέσῃ ἀγορᾷ. *Latinarum Feriarum tempore, quo consules in Albano monte manere, mos habet, vt ibi sacra vetusta faciant, alios autem sacerdotes ipsis in iure dicendo succedere, sedit pro tribunali Octauius medio in foro*; conferendus ad h. l. VALESIVS. Alterum munus eius fuit, vt, si res postularet, Senatum conuocaret: quod etsi Iunius apud Gellium in dubitationem adduxit: tamen aliorum auctoritate est satis confirmatum apud eundem l) Gellium. Denique fuisse Praefectum Vrbis Augustum eligendum, qui et aetate esset prouectiori, honoribusque tantum non omnibus functus, eius rei confirmandae causa

g) Lib. XLI. p. 160.
h) In Neron. c. 8.
i) Lib IV. Ann. c. 36.
k) In generis Augusti descriptione p. 7.
l) L. XIV. c. 8.

producam teſtem longe locupletiſſimum m) Dionem, qui Maecenatem, creandi noui Praefecti Vrbis conſilium Auguſto dantem, ita loquentem introducit: πολίαρχος δὲ δή τις ἐκ τῶν πάντα τὰ καθήκοντα προπολιτευμένων ἀποδεικνύσθω. *Praefectus etiam Vrbis ex primariis viris quidam creandus eſt, qui omnes magiſtratus, quos geri ante hunc conuenit, gefferit.* Praefectum Vrbis autem Feriarum Latinarum creandum fuiſſe aetate iuuenili, vel ex n) Nic. Damaſceno intelligi poteſt, qui tradit, multos homines ad Auguſtum, Praefectum Vrbis Latinarum, in foro iuris reddendi cauſſa ſedentem, confluxiſſe, θεωρίας ἕνεκα τῆ παιδός, *conſpiciendi iuuenis gratia.* In eandem rem diſerte o) Gellius ſcribit, Praefectum Vrbis Latinarum Feriarum cauſſa conſtitutum fuiſſe eum, qui nondum eſſet aetate ſenatoria: quod quomodo intelligendum ſit, docebunt ad illum locum GRONOVII. Quae autem Praefecti Vrbis Auguſtei munera fuerint, etſi ad cognoſcendum, et iucundiſſima, et vtiliſſima ſunt; tamen, quoniam ex inſtituto alio tempore in iis exponendis ſtudium noſtrum, tempusque occupare, hiſtoriamque Praefectorum Vrbis in lucem, adſpectumque eruditorum emittere conſtituimus, totam diſputationem in id tempus differendam putauimus, ne hac diſputatiuncula praeſenti, male producenda, hoc die TVO, inepti, atque adeo moleſti TIBI videremur.

Expoſita TIBI, VIR DOCTISSIME, ſententia mea de quaeſtione a TE mihi quondam poſita: peragendum eſſet id, cuius cauſſa omne, quicquid huius commentatiunculae eſt, ſuſcipiendum putaui. Nempe intelligis, STIGLITZI OPTIME, me loqui de officio, hoc die TVO TIBI gratulandi. Etſi autem hoc officium non ſolum humanitatis gratia commendabile, ſed magnitudo etiam TVORVM erga me meritorum, ipſaque amicitiae noſtrae religio mihi neceſſarium facit: tamen inſignis TVA, HVMANISSIME STIGLI-

m) Lib. LII. p. 478. n) l. c. p. 8. o) Lib. XIV. c. 8.

STIGLITZI, facilitas mihi, credo, ignoſcet, ſi hoc die TVO id omiſero, non quo ita inhumanus ſim, vt gratulandi officium non lubenter praeſtem, ſed quoniam ipſe, qui omnem TVAM fortunam communico, ex his honoribus TVIS tantum voluptatis percipio, vt eo nomine ab aliis potius gratulandi officium poſtulare poſſe mihi videar, quam vt TIBI id praeſtare poſſim. Praeterea in humaniſſimo hoc, iucundiſſimoque officio, illud perquam difficile ad iudicandum mihi accidit, TIBI ne plus, an PARENTI TVO OPTIMO, ſit gratulandum. Qui cum et ſuis virtutibus, quas quidem humanitas capere poteſt, aſſecutus ſit hoc, vt felicitatis humanae menſura in EO conſtare videatur, tum inprimis TE filio, magnificentia paternarum virtutum conſpiciendo, atque adeo a PARENTE, non tam ob neceſſitatem naturae, quam virtutum gratiam, amando, omnium hominum fortunam facile ſuperauerit: qua ratione ſatis digne EI gratulari, h. e. animum meum, IPSIVS felicitate ſuauiſſime affectum, verbis, ſatis aptis, declarare me poſſe putes? TE vero, STIGLITZI OPTIME, quis tanta ingenii, orationisque facultate ornatus ſit, vt, pro felicitate TVA, ſatis digne praedicare poſſit, qui et ab ipſa natura ad eas virtutes, quibus homines ad altioris fortunae cultum excitantur, factus, formatusque videare, et PARENTEM diuino beneficio nactus ſis eum, quem, omnium virtutum comitatu ſtipatum, diuina ſapientia in hoc vniuerſo, tanquam ampliſſimo theatro, eo conſilio poſuiſſe videtur, vt et ipſa illuſtriſſimo aliquo documento doceret, quam larga et benefica ſit, in animi dotibus homini impertiendis, et homines haberent optimarum virtutum imaginem, quam non ſolum admirabundi, venerabundique adſpicerent, ſed ad eam actiones ſuas componerent, eamque, quantum fieri poſſit, vita ſua referrent. Iam illud quis neget, ſummae felicitatis TVAE eſſe adnumerandum, adeo vel eo nomine impenſe TIBI gratulandum, quod, AVCTORE PARENTE TVO, ingenium TVVM, ad omnia

ſumma factum, optimarum artium cultu ita formatum eſt, vt et dudum Princeps Iuuentutis in magnifica illa Vrbe cenſearis, et hodie ſummos in iure capias honores, maioresque, ſi bene auguror, ſis percepturus; quos vt quamprimum conſequare, laetiſſimisque rebus ſemper geras, ex animo precor. Habes, STIGLITZI OPTIME, meae, erga TE, obſeruantiae monumentum, ſi eius dignitatem ſpectas, exiguum, ſi animum meum, ampliſſimum. In magni beneficii, a TE mihi tributi, loco ponam, ſi intellexero, TE hanc commentatiunculam officioſam magis, quam eruditam, habuiſſe. Maiori autem TIBI me obſtringes beneficio, ſi, tanquam bonus aliquis ſponſor, PARENTEM TVVM OPTIMVM, PATRONVMQVE meum, ſine accerrimo pietatis ſenſu ne cogitandum mihi quidem, de mea erga IPSVM obſeruantia, ſiue potius pietate, praeſtanda, certum eſſe iubeas, EIque nomine meo ſanctiſſime confirmes, in laetiſſimis rebus meis hoc vnum ingratum mihi, acerbumque eſſe, quod IPSIVS erga me beneficiorum nullam partem, non dicam referenda, ſed ne cogitanda quidem gratia aſſequi poſſim. Quod quidem vt non ingrato cuidam animo, ſed magnitudini beneficiorum, ab IPSO in me collatorum, adſcribat, TV meo nomine IPSVM quam humaniſſime rogabis. Caeterum bona fide confirmare EI potes hoc, me non ſolum omnem occaſionem, pietatis IPSI declarandae meae, curioſe eſſe anquiſiturum, oblatamque ſtudioſe arrepturum, ſed animum etiam meum ILLI ita deditum, deuotumque eſſe, vt mihi quodammodo dulce fuerit, pro EO mori. De meo denique erga TE, OPTIME STIGLITZI, amore, non eſſe putem, quare TE certum eſſe iubeam, qui a multis inde annis amiciſſimum animi, erga TE, mei ſenſum ita confirmatum perſpexeris, vt non, niſi cum ipſa vita mea, deponi poſſe videatur.

V. DE

V.

DE PROVOCATIONE D. PAVLI AD CAESAREM.

Cum nuper ad nos, certo auctore, perlatum esset, a REGE nostro POTENTISSIMO et CLEMENTISSIMO amplissimum praemium virtuti, exquisitaeque doctrinae TVAE, VIR ILLVSTRIS et GENEROSISSIME, esse tributum hoc, vt in illud, et sanctitate, et auctoritate gravissimum, iudicium Regium, ad quod prouocatione certatur, cooptarere; eum nuncium nos, Illustris huius Moldani Doctores, ita accepimus, vt in huius tantae felicitatis TVAE societatem admittendos esse, eumque honorem TVVM ad nostri Moldani quoque laudem, splendoremque redundare existimaremus. Nam cum Illustris Schola Moldana, Alma sane liberalium artium Mater, TE, VIR ILLVSTRIS, tanquam diuino munere concessum, disciplinae Alumnum aliquot annos in sinu suo quasi fouerit, et liberalioris doctrinae lacte, animique pastu humanissimo aluerit, nutriendoque eo perduxerit, vt iam, maturis et ingenii et doctrinae viribus, dulcissimos et vberrimos virtutis, eruditionisque fructus, toti Reipublicae saluberrimos, ferre possis: quidni et Illa, et nos ipsi non ambitiose magis, quam vere gloriemur, magnam huius tantae felicitatis TVAE partem ad nos transfundi, nosque adeo in honoris TVI societatem esse quasi vocandos. Habet sane Illustre Moldanum nostrum hoc, vt, felici quodam fato suo, quamplurimos pastu et corporis, et animi aluerit, qui postea et ingenii quodammodo diuini, et eruditionis exquisi-

quisitissimae splendore Rempublicam litterariam ita illustrarunt, et nunc quoque illustrant, vt Orbis eruditi lumina clarissima et sint, et habeantur: inter quos, tanquam primae magnitudinis stellas, exsplendescere summe Reuerendos Duumuiros illos Reipublicae Christianae, in ditione Saxonica, constituendae et tuendae, HERMANNVM et AM-ENDIVM, vna omnium et consentiente eruditorum voce ita confirmatur, vt, quo quis elegantiorem accuratae doctrinae iudicem dici se, haberique velit, eo magis contendendum id sibi, propugnandumque putet. Ego quidem haud scio, an in summa felicitatis scholarum Illustrium sit ponendum, si splendore virtutum, eruditionisque eorum illustriores reddantur, quos olim, Alumnos suos, cibo et corporis, et animi liberalissime aluerint, et eduxerint, cum nullum fere neque dulcius, neque largius educationis, institutionisque praemium persolui iis posse videatur. Quemadmodum enim Parentes tum demum dulcissima, vberrimaque θεραπήια, magnamque adeo felicitatem consecuti sibi videntur, si, splendore virtutum liberorum, generi suo, nominique aliquid claritatis affundi vident; ita scholae, Almae sane liberalioris, honestiorisque vitae Parentes, gratissimos et largissimos institutionis suae fructus percepisse se, honorisque fastigium quodammodo attigisse putant, cum disciplinae suae quondam Alumnos ita adoleuisse intelligunt, vt eorum ingenii, doctrinae, virtutumque splendore suum nomen et dignitas clarior indies, illustriorque reddatur. Quare cum TV quoque, VIR ILLVSTRIS ac GENEROSISSIME, huic Illustri scholae nostrae, vel eo nomine longe felicissimae, quod ILLVSTREM PARENTEM TVVM, magno aliquo beneficio diuino, nacta sit Praestitem et Ephorum eum, quo nullus ei, etiamsi mente fuisset, cogitationeque fingendus, neque liberalior et indulgentior, neque salutis communis studiosior obtingere potuisset, huic, igitur, scholae nostrae cum TV quoque illius tantae felicitatis auctor sis; facile

vel

vel IPSE intelliges, quam gratus, quamque iucundus ille de ampliſſimo hoc honore TVO nuncius cum aliis, tum mihi fuerit, et quantopere animus iamdudum geſtierit, humaniſſimo illo, dulciſſimoque gratulandi officio perfungi. Quamquam enim gloriari non poſſum, eam mihi obtigiſſe felicitatem, vt TIBI aliquid meae qualiscunque doctrinulae impertirem, quia TV curriculum vitae ſcholaſticae feliciter emenſus, non ſine ſumma et laude, et futurae eruditionis expectatione ſtadium Academicum iam ingreſſus eras, cum, felici quodam fato meo, accidit, vt, diuina prouidentia, ſapientiſſima rerum humanarum gubernatrice, et ſanctiſſima POTENTISSIMI REGIS noſtri auctoritate in Illuſtre hoc Moldanum euocarer; tamen, quoniam quicquid honoris, felicitatisque caſtae huic Muſarum ſedi acceſſerit, eius aliquam partem in me quoque redundare arbitror, tantum ex honore TVO voluptatis percipio, vt ipſe aliquo honore auctus eſſe, atque adeo non vani gaudii vſura frui poſſe videar. Hunc iucunditatis ſenſum acriorem mihi, ſuauioremque reddit cum ſumma TVA erga me beniuolentia, indiciis maxime ſolidis mihi declarata, quoties TECUM colloquendi felicitas obtigit, tum INDVLGENTISSIMI PARENTIS TVI, non generis claritate magis, quam ſuarum virtutum ſplendore ILLVSTRIS, plane eximia, nec vllis vnquam verbis ſatis praedicanda, comitas et clementia, qua me ex eo inde tempore dignatus eſt, quo mihi docendi munus in Illuſtri Moldano clementiſſime commiſſum eſt. Huius autem laetitiae meae, ex TVO honore perceptae, tanta vis fuit, vt non anguſtis animi taciti quaſi finibus coerceri ſe, cohiberique pateretur, ſed in lucem, adſpectumque prorumpere, TIBIque meam obſeruantiam, tanquam teſtis aliqua grauiſſima, publice probare geſtiret. Itaque, cum hoc tempus TVVM mihi commodiſſimam, exoptatiſſimamque occaſionem obſeruantiae in TE meae declarandae ſuppeditarit, eam, tanquam diuinitus oblatam, ſtudioſe arripi-

endam, et per, Interpretem aliquem publicum (hanc ipſam puta Commentatiunculam *de prouocatione Pauli ad Caeſarem,)* gratulandi officium peragendum putaui. In quo quidem nobiliſſimo Actor. Apoſt. XXV, 11. loco illuſtrando ſi ſtudii aliquid, temporisque collocarem, operam non male me eſſe, fruſtraque conſumpturum exiſtimabam, ratus, rem me eſſe ſuſcepturum neque perſona illa, quam TV, VIR ILLVSTRIS, ſuſtines, Regii quippe iudicii, ad quod prouocatione certatur, CONSILIARIVS GRAVISSIMVS, indignam, neque a ſtudiorum meorum, munerisque, mihi commiſſi, ratione ſeiunctam. TV vero, VIR ILLVSTRIS, animum ab aliarum rerum, paullo graviorum, cogitatione abduces, et transferes ad hanc Commentationem legendam, et diiudicandam. In quo quidem humaniſſime rogandus es, vt TIBI perſuadeas, hanc Commentatiunculam non tam docte eſſe, quam officioſe ſcriptam, neque vllum fere locum ingenii, doctrinaeque oſtentandae eſſe poſſe, vbi obſeruantiae ſenſus animum occupauerit. Quare dabis precibus humaniſſimis meis hoc, vt in ea legenda non tam elegantiam aliquam et doctrinam, qua haec Commentatio neque commendari ſe, neque aeſtimari vult, quam meam erga TE obſeruantiam ſpectes: cuius cogitatione et potenti quaſi commendatione generoſus ille, et magnificus animus TVVS plenus, mihique conciliatus, in iis, quae non ſatis eleganter, diligenterque diſputata videantur, neque nimis acute cernat, neque faſtidio adhaereſcat.

Quomodo Paulus, coram Procuratore Feſto conſtitutus, dicere potuerit, ſe coram Caeſaris Tribunali ſtare?

Iam primum Paulus, a Iudaeis apud Feſtum quorundam criminum, quamquam falſo, poſtulatus, cum intelligeret, animum Iudicis inclinare eo, vt Iudaeorum importunis precibus, libidinique concederetur, omne ſibi imminens periculum hac vna voce, ἐπὶ βήματος Καίσαρος ἑστώς

ἑστώς εἰμι, *coram tribunali Caesaris constitutus sum*, et Καίσαρα ἐπικαλοῦμαι, *ad Caesarem prouoco*, a se depulit, callidasque adeo aduersariorum artes elusit. Iure vero, Romanorumque moribus conuenienter Paulum ad Caesarem certare prouocatione, eiusque auxilio, tanquam clypeo aliquo, contra omnes aduersariorum impetus munire se potuisse, vel ex eo dilucide cognosci potest, quod Festus, hac voce audita, omnem eius rei cognitionem omittendam sibi, Caesarisque cognitioni delegandam putauit. In quo quidem duo sunt, quae dubitationem aliquam mouere, disceptationique adeo locum facere possint: quorum alterum est, *quomodo Paulus, coram Festi tribunali constitutus, dicere potuerit,* ἐπὶ βήματος Καίσαρος ἑστώς εἰμι, *sto coram tribunali Caesaris;* alterum autem, *quo iure ad Caesarem prouocare potuerit.* Et primam quidem quaestionem facilius disceptare poterimus, si prius, auctoribus veteribus, constituerimus, quod munus, quamque personam Festus in prouincia sustinuerit. D. Lucas non diserte aliquo dignitatis nomine Festum insigniuit, quo, tanquam nota aliqua non fallaci, dignosci possit, *Procuratorisne*, an *Legati Caesaris* munus in Iudaea obierit. Quamquam enim eius Antecessorem, Felicem, a) ἡγεμόνα appellat, nec dubitatio vlla relicta est, quin Festus idem nomen honorificum, idemque munus, eo indicatum, obtinuerit; tamen, cum vocis ἡγεμόνος tam varius sit, tamque diuersus significatus, vt modo potestatem summam, modo minorem, arctioribusque limitibus circumscriptam denotet; non possumus sane, sine aliquo errandi periculo, definire, quod munus Festi, quae potestas fuerit, et vtrum *Legati Caesaris*, an *Procuratoris* tantum auctoritate prouinciam Iudaeam administrarit. Nam ἡγεμόνες interdum dicuntur ipsi *Imperatores Romani*, interdum *Legati Caesaris s. Propraetores*, interdum etiam *Procuratores Caesaris;* quem varium huius vocis significatum

a) Actor. XXIII, 24.

ficatum luculentiſſime vel ex vno Ioſepho docebimus in *Lectionibus noſtris Flauianis*, propediem, Θεῷ διδόντος, in lucem, adſpectumque eruditorum emittendis. Cum igitur ab ipſa ἡγεμόνος voce nihil praeſidii, adiumentique petere poſſimus ad definiendum, quod munus, quamque perſonam Feſtus in prouincia ſuſtinuerit; ad Hiſtoriae Romanae opem decurrendum eſt, quae, vti in multarum aliarum, ita in huius quoque vocis accurata interpretatione egregiam nobis operam praeſtat. Scilicet hac Magiſtra edocti ſcimus, Feſtum in prouincia Iudaea non *Legatum Caeſaris ſ. Propraetorem*, ſed tantum *Procuratorem* fuiſſe. Praeſides enim, qui Iudaeam, auctoritate Caeſaris, adminiſtrabant, proprie et erant, et dicebantur *Procuratores*. Itaque a Graecis ſcriptoribus, cum de rebus Romanorum exponunt, ſolenni fere voce ἐπίτροποι vocantur, iisque ἐπιτροπὴ et ἐπιτροπεύειν tribuitur: quod, quoniam ad rem praeſentem facit, neque cognitu iniucundum eſt, dabis mihi pro TVA, VIR ILLVSTRIS, humanitate veniam, ſi aliquot locis, ex vno Ioſepho, a cuius lectione adhuc recens ſum, petitis, confirmauero. Ioſephus igitur de Fado, Iudaeae Procuratore, Lib. XX. Antiquit. C. I. p. 955. *Edit. Hauercamp.* Φάδος δὲ ὡς εἰς τὴν Ιουδαίαν ΕΠΙΤΡΟΠΟΣ ἀφίκετο, *Fadus vero cum Procurator Iudaeam veniſſet:* quo loco hic Fadus diſerte a Caſſio Longino, *Praeſide ſ. Legato Caeſaris*, in Syriam miſſo, diſtinguitur. De hoc ipſo Fado eodem Libro C. V. §. 1. Φάδου τῆς Ιουδαίας ΕΠΙΤΡΟΠΕΥΟΝΤΟΣ, *cum Fadus Iudaeae Procurator eſſet*: et Cap. VI. §. 2. Cumanus, ipſe quoque Iudaeae Procurator, ἐπίτροπος dicitur. Sic huius Cumani Succeſſor, et Feſti noſtri Anteceſſor, Felix, τῆς Ιουδαίας ΕΠΙΤΡΟΠΕΥΣΑΙ, *Iudaeae Procurator fuiſſe*, dicitur Cap. eodem §. 2. neque aliter de eodem Felice in Vita Ioſephi T. II. p. 2. §. 3. Sic adminiſtratio Geſſii Flori, qui ipſe quoque Iudaeae Procurator fuit, Lib. XX. Antiq. C. XI. §. 1. ΕΠΙΤΡΟΠΗ vocatur. Hic vero

vero intelligo, TE, VIR ILLVSTRIS, et DOCTISSIME, dubitationem contra ea, quae diximus, mouere posse ex eo, quod [b] Lucas administrationem Iudaeae non ἐπιτροπὴν, vt Iosephus loco paullo ante laudato, sed ἐπαρχίαν vocat, quae vox amplioris cuiusdam auctoritatis, potestatisque esse videtur, quam quae Procuratoribus Caesaris concessa est, inprimis cum ἐπίτροποι et ἔπαρχοι, vt diuersi muneris praefecti, interdum v. c. apud [c] DION. CASSIVM distinguantur. Cf. de vocibus ἐπάρχων et ἐπαρχίας [d] VALESIVS. Sed haec dubitatio tanta non est, quin commode tolli possit. Scilicet Lucas cum Iudaeae procurationem ἐπαρχίαν vocat, quae proprie ἐπιτροπὴ dicenda erat, voce ἐπαρχίας generaliori significatu vsus est pro quacunque administratione prouinciae, siue ea *Legati Caesaris*, siue *Procuratoris* sit. Quemadmodum enim apud Latinos vox Praesidis denotat omnes omnium prouinciarum Rectores, vt [e] alio loco monui; sic Scriptores Graeci ἐπάρχους et ἐπαρχίαν de cuiuscunque prouinciae Praesidibus et gubernatione vsurpant. Neque est, quod quis putet, Lucam, cum Iudaeam prouinciam, eiusque gubernationem ἐπαρχίαν dixit, a Graecorum more loquendi discessisse. Nam ita optimus quisque Auctorum. Sic idem Iosephus, etsi probe sciret, hunc ipsum Festum, quo hoc loco vtimur, Procuratorem tantum Iudaeae fuisse, tamen ἔπαρχον [f] vocat: ἐπὶ τούτοις ἠγανάκτησαν ὅ, τε βασιλεὺς Ἀγρίππας, μάλιστα δὲ Φῆστος ὁ ΕΠΑΡΧΟΣ, *ista aegre tulerunt et Rex Agrippa, et maxime Festus Praeses.* Sic idem Iosephus Fadum, quem, vti paullo ante ostendimus, ἐπίτροπον vocauit, diserte [g] alio loco ἔπαρχον appellat. Accedit alia

b) Actor. XXV, 1.
c) Lib. LII. p. 487. Edit. Leunclau.
d) Ad Eusebium Lib. IX. c. 11.
e) In Libello de vsu et praestant. Romanae Histor. in Interpret. N. T. p. 62. sq.
f) Lib. XX. Antiquit. C. VIII. §. 11.
g) Lib. XIX. Antiquit. C. IX.

alia ratio, quare Procuratores Iudaeae, ἐπίτροποι proprie vocandi, digni ſint, qui τῶν ἐπάρχων nomine inſignian-tur. Scilicet, Veteribus Auctoribus, ſcimus, Procurato-rum Iudaeae longe maiorem dignitatem, auctoritatem, et poteſtatem, quam aliorum, fuiſſe, vt adeo vel hanc ob cauſſam iure ἔπαρχοι dici poſſe videantur. Nam Procu-ratores in prouincias, plerumque minores, mittebantur fere ſine *poteſtate*, h. e. iuris dicundi facultate, niſi in re-bus ad Fiſcum Caeſaris ſpectantibus, atque adeo tantum conſilio eo, vt reditus, et tributa Caeſaris colligerent, et omnia, quae ad Fiſcum pertinerent, curarent: in quam rem locus claſſicus eſt apud h) DION. CASSIVM: quae cauſſa eſt, quare hi Procuratores Graecis dicantur οἱ ἐπὶ τὴν διοίκησιν χρημάτων προστεταγμένοι: de quibus alio et tempore, et i) loco copioſe diſputauimus. Procura-torum autem, in Iudaeam prouinciam a Caeſare miſſorum, multo maior dignitas, et poteſtas erat, cum non ſolum curam redituum Caeſaris colligendorum, ſed iurisdictio-nem etiam, quin ius vitae et necis, ſeu *ius gladii*, vti poſtea dicebatur, haberent. Quod diſertis verbis teſtatur de Coponio, omnium primo, poſt Archelaum Viennam relegatum, Iudaeae Procuratore k) IOSEPHVS, Hiſtoricus maximus ſane et grauiſſimus: τῆς δὲ Ἀρχελάου χώρας εἰς ἐπαρχίαν περιγραφείσης ἐπίτροπός τις ἱππικῆς παρὰ Ῥωμαίοις τάξεως Κωπώνιος πέμπεται, μεχρὶ τοῦ κτείνειν λαβὼν παρὰ τοῦ Καίσαρος ἐξουσίαν, *Archelai ditione in prouinciam redacta, Procurator quidam equeſtris ordinis apud Romanos Coponius mittitur, ad necis vſque ius accipiens poteſtatem.* Cf. idem IOSEPHVS in hanc rem l) aliis locis. Iam cum Praeſides Iudaeae ex eo Procurato-rum genere fuerint, qui *ius gladii*, atque adeo iuris di-cundi

h) Lib. LIII. p. 506. et Lib. LII. p. 480.
i) In Libello citat. p. 66. ſqq.
k) De B. I. Lib. II. C. VIII. §. 1.
l) Lib. XX. Antiquit. C. I. §. 1. C. VI. §. 1.

cundi potestatem haberent; ad intelligendum non difficile erit, quomodo Paulus coram iudice Festo reus constitutus, dicere potuerit, *se coram Tribunali Caesaris stare.* Cum enim Procuratores Iudaeae potestatem iuris dicundi a Caesare accepissent, atque adeo ipsius Caesaris nomine et auctoritate, seu, vt postea dici coeptum est, *vice sacra* cognoscerent et iudicarent; recte is dici potest ἐπὶ τοῦ βήματος Καίσαρος ἑστώς, *coram Caesaris tribunali constitutus*, qui coram huius prouinciae Procuratore, criminum postulatus, causae defensionem suscipit suae.

Quo iure Paulus a Festo ad Caesarem prouocare potuerit?

Hac igitur disputatiunculae parte confecta, illa dubitatio, difficultasque tollenda est, quo iure Paulus a Festo ad Caesarem prouocare potuerit: quod quidem diligentius faciendum est, quo minus Interpretes ad hunc Actorum locum de illa difficultate tollenda videntur solliciti fuisse. Ego quidem longe absum, vt dubitem, quin TIBI, VIR ILLVSTRIS, et in Veterum monimentis cognoscendis VERSATISSIME, quaedam hic occurrant, quae aliquam dubitationem mouere, atque adeo illi quaestioni, *quo iure Paulus a Festo ad Caesarem prouocare potuerit?* locum dare possint. Nam si quis Imperatorum tempora, quae Neronis principatum praecesserunt, memoria repetere velit, inueniet sane, morem obtinuisse eum, ex quo vix iure aliquo videatur a Praesidibus Prouinciarum ad Caesarem prouocari potuisse. Nam Augustus de *appellationibus prouincialium* constituit hoc, vt *ad viros Consulares*, ei rei praefectos, non igitur *ad SE*, fierent. In quam rem [m]) SVETONIVS ita: *Appellationes quotannis vrbanorum quidem litigatorum Praefecto Vrbis* (ita enim pro vulgato illo et inepto, *Praetori Vrbano*, legendum esse dudum vidit πολυμαθέστατος ille CASAVBONVS,) *delegauit, at PROVINCIALIVM Consularibus Viris, quos singulos cuiusque prouinciae negotiis praeposuit.* Quid?

m) In August. C. XXXIII.

Quid? quod, eodem n) SVETONIO auctore, ſcimus, Caligulam magiſtratibus liberam iurisdictionem conceſſiſſe: cuius in hanc rem verba diſerta ſunt haec: *Cai. Caligula magiſtratibus iurisdictionem liberam, et SINE SVI APPELLATIONE conceſſit.* Quid? Neronem ipſum, ad quem Paulus prouocauit, nonne legimus apud o) SVETONIVM id conſtituiſſe? *vt omnes appellationes a iudicibus ad Senatum* (non ergo ad ipſum Caeſarem,) *fierent.* Iam, etſi ego non is ſum, qui neget, haec tria SVETONII loca videri quidem docere, non iure potuiſſe Paulum ad Caeſarem prouocare: tamen idem ille contendo, eadem, ſi paullo curatius conſiderata cum aliis comparentur, eam vim non habere, vt ab ea ſententia, qua Paulum iure ad Caeſarem prouocaſſe dicimus, demouere nos poſſint. Nam, quod ad primum illum locum, vix prope verum eſt, Auguſtum, *qui,* vti p) SVETONIVS auctor eſt, *ipſe ius dixit* (quod quomodo intelligendum ſit, egregie, vt omnia, docet ERNESTI V. Cel. ad SVETONIVM Excurſ. II.) ASSIDVE, *et in noctem nonnunquam,* eum, igitur, Auguſtum *omnes omnium Prouinciarium appellationes* a ſe reieciſſe, et viris Conſularibus delegaſſe: ſed ita potius SVETONIVS capiendus eſt, vt dicamus, Auguſtum non niſi leuiorum quarundam rerum, minorumque cauſſarum prouocationes viris Conſularibus commiſiſſe, graviorum autem cauſſarum appellationes ſibi delegari voluiſſe. Scilicet fuit hoc Imperatorum σόφισμα quoddam πολιτικὸν, et imperii arcanum, quod in omnibus rebus poteſtatis ſumma quaeque ad ſe, callidis quibusdam artibus, raperent, leuiora autem, et inanem quandam poteſtatis quaſi ſpeciem magiſtratibus ordinariis relinquerent, adeo vt hi non niſi nomen, illi autem rem ipſam tenerent. Fuiſſe etiam cum Auguſti, tum ſubſecutis temporibus

n) In Calig. C. XVI.
o) In Neron. C. XVII.
p) In Auguſto C. XXXIII.

poribus ad Caesarem prouocatum, diserte tradit q) TACITVS, qui *Messalinum ad Imperatorem prouocasse* scribit. Quod ad alterum SVETONII locum, quo *Caj. Caligula magistratibus liberam iurisdictionem, et fine sui appellatione concessisse* dicitur, refertur id a SVETONIO inter ciuilitatis Caligulae documenta, quibus initia principatus sui commendaret: neque tamen is mos diu viguit, sed paullo post abrogatus est, cum sciamus, multas ad hunc ipsum Caesarem prouocationes fuisse factas. In quam rem distertis verbis de hoc C. Caligula r) DION CASSIVS, ἐδίκαζε δὲ καὶ ἰδίᾳ καὶ μετὰ πάσης γερουσίας, καὶ τινὰ καὶ ἐκείνῃ καθ' ἑαυτὸν ἔκρινεν. ὃ μέντοι καὶ αὐτοτελὴς ἦν, ἀλλ' ἐφέσιμοι δίκαι ἀπ' αὐτῶ ἐγίγνοντο συχναί. *Iudicia peragebat partim solus, partim toto Senatu adhibito, nonnulla Senatus seorsim cognoscebat, licet definitiuam sententiam ferre non posset, sed ab eo AD CALIGVLAM APPELLATIONES ERANT FREQVENTES.* Nec tertius denique SVETONII locus, quo tradit, *omnes appellationes ad Senatum esse faciendas*, ita intelligendus est, vt omnes omnino prouocationes Senatui delegatas fuisse putemus, et ita quidem, vt ab eo non posset ad ipsum Neronem prouocari; sed ea de caussa Nero, homo quippe meris nugis fere, et ineptiis occupatus, ad Senatum appellationes reiecit, ne earum molestia interpellaretur. Neque enim existimandum est, nunquam ad ipsum Neronem prouocationibus fuisse certatum. Multas enim, quin plures, quam par esset, ad eum factas esse, vel ex *multa, appellatoribus a Nerone proposita*, apparet, vt est apud s) TACITVM. Optimum quemque Principem, historia docet, id feciisse, vt multarum rerum, leuiorum inprimis, cognitiones aliis, sine sui appellatione, defer-

q) Lib. VI. Ann. C. V.
r) Lib. LIX. p. 654.
s) Lib. XIV. Annal. c. 28.

deferrent. Sic v. c. optimus ille Principum, M. Antoninus Philoſophus, qui, vt auctor eſt t) CAPITOLINVS, *etſi rei iudiciariae ſingularem diligentiam adhibuit, tamen capitales tantum cauſſas hominum honeſtorum IPSE cognovit.* Hoc ipſum quoque Neronem feciſſe, et non niſi grauiorum cauſſarum prouocationes in ſe recepiſſe, ex hoc u) TACITI loco dilucide intelligi poteſt. *Trahebantur vt conſcii Vulcatius Tullinus ac Marcellus Cornelius Senatores, et Calpurnius Fabatus eques Romanus: qui, APPELATO PRINCIPE, inſtantem damnationem fruſtrati, mox NERONEM, CIRCA SVMMA SCELERA DISTENTVM, quaſi minores euaſere.* Inſignis in hanc rem eſt hic TACITI locus, cum non ſolum doceat, prouocationes ad Neronem eſſe factas, ſed illud etiam, hunc Caeſarem, more aliorum, non niſi grauiſſimorum criminum cognitiones habuiſſe. Quid igitur? Satisne, auctoribus veteribus, probatum putas, VIR ILLVSTRIS, *iure ſuo vſum eſſe Paulum, cum a Procuratore Feſto ad Neronem prouocaret?* mihi quidem videtur: ſed in ea re non meum, ſed aliorum, et TVVM inprimis ſit iudicium.

Quo iure Imperatores prouocatione ad ſe certare voluerint?

Cum autem, auctoribus veteribus, oſtenderimus, prouocationes cum in ipſa Vrbe, tum ex prouincia ad Imperatores fuiſſe factas; diſceptanda eſt illa quaeſtio, praeſenti huic rei confuſa, et colligata ita, vt non facile dirimi ab ea, ſeiungique poſſit, *quo iure Imperatores prouocationes ad ſe fieri voluerint?* Scilicet Imperatores, etſi ob alias etiam, tamen inprimis ob hanc cauſſam ad ſe a Magiſtratibus, et Prouinciae Praeſidibus prouocari volebant, *quia habebant poteſtatem tribunitiam.* Nempe intelligis, VIR ILLVSTRIS, ac DOCTISSIME, rationem, qua

t) In eius vita C. X.
u) Lib. XIV. Ann. C. 8.

qua commotus dixerim, *quia habebant tribunitiam poteſtatem*, non autem, *quia tribunatum gerebant*. Optime enim ſcis, Imperatorum tempore haec duo, *Tribunatum gerere*, et *tribunitiam poteſtatem habere* quam maxime diverſa, et a ſe fuiſſe ſeiuncta. Nam Imperatores, et quodammodo etiam ipſorum filii et ſucceſſores, *habebant* illi quidem *tribunitiam poteſtatem*, minime autem *tribunatum gerere* dicebantur, cum hoc non niſi priuatis, qui Tribuni plebis eſſent, conueniret. In quam rem locus eſt plane egregius, et claſſicus x) DION. CASSII, longior tamen, quam pro anguſtis finibus, quibus hanc Commentatiunculam includendam putaui. Quid? quod Imperatores, etſi *tribunitia poteſtate inſtructi eſſent*, nunquam tamen *Tribuni plebis nomen* vſurparunt. Teſtis huius rei idem y) DION: τὸ ὄνομα αὐτὸ τὸ τῶν δημάρχων ἀφ' ὁ Αὔγυστος, ἀπ' ἄλλος ἀδεὶς αὐτοκράτωρ ἔσχεν. *Tribuni plebis nomen neque Auguſtus, neque vllus alius Imperator geſſit.* Tribunitia igitur poteſtate ornati Imperatores cum eſſent, eo nomine prouocationibus ad ſe certari volebant. Sed huius tribunitiae poteſtatis, ab Imperatoribus vſurpatae, quae vis fuerit, paullo accuratius conſtituendum, definiendumque eſt, praeſertim cum animadverterim, Viros, in hoc litterarum genere facile principes, in diuerſas, easque maxime diſcrepantes ſententias de hac re fuiſſe diſtractos. Nam NORISIO quidem animus inclinat eo, vt putet, qua poteſtate tribunitia Imperatores vſi ſint, eam iisdem fere terminis fuiſſe, limitibusque circumſcriptam, quibus olim, Reipublicae liberae temporibus, Tribunorum plebis poteſtas fuerit cohibita. z) PAGIVM contra ea non eius eſſe ſententiae poenitet, vt contendat, quae tribunitia poteſtas Imperatoribus fuerit conceſſa, eam longe, multumque ſuperaſſe iura, tribunitiae

x) Lib. LIII. p. 508.
y) Lib. LIII. p. 519.
z) In Critic. Baron. A. C. 147. T. I. p. 143.

poteſtati, Reipublicae liberae temporibus, tributa, adeo vt illorum Tribunorum plebis vis et poteſtas cum tribunitia poteſtate Imperatorum ne comparanda quidem eſſe videatur. Quae quidem PAGII ſententia tanta veri ſpecie et gratia prae illa NORISII ſeſe commendat, vt quo quis magis eſt in antiquitatis memoria cognoſcenda verſatus, eo magis ei ſubſcribendum putet. Scriptores Veteres, quorum auctoritas in his rebus minime defugienda eſt, luculentiſſimum praeſidium ſententiae PAGII afferunt. Sic [a]) DION CASSIVS, *τὴν δὴ δύναμιν, τὴν τῶν δημάρχων πᾶσαν, ὅση περ τὰ μάλιστα ἐγένετο, προσίθενται*, *Imperatores omnem tribunitiam poteſtatem, quanta vnquam maxima fuit, accipiunt.* Et [b]) TACITVS, grauiſſimus ſane harum rerum auctor, quanta *tribunitiae poteſtatis* Imperatorum vis fuerit, atque poteſtas, diſerte his verbis docet: *id ſummi faſtigii vocabulum* (Tribunitiae poteſtatis) *ab Auguſto fuiſſe repertum, ne Regis aut Dictatoris nomen aſſumeret, ac tamen appellatione aliqua CAETERA IMPERIA PRAEMINERET.* [c]) VOPISCVS in eandem rem haec tradit: *quae* (tribunitia poteſtas) *pars maxima regalis imperii eſt*: vbi SALMASIVS, *ὁ πάνυ*, conſulendus. Inprimis in hanc rem lectu digniſſimus locus eſt [d]) DION. CASSII, longior autem, quam qui huc transferendus ſit. Inter recentiores hanc PAGII ſententiam luculentiſſimis Veterum teſtimoniis confirmauit Illuſtris SPANHEMIVS in nunquam ſatis laudando [e]) opere, etſi ſemper laudetur. Auguſtus igitur et caeteri Imperatores, tribunitia poteſtate ornati, cum vel ſolo iure tribunitio plebem, omnesque omnino ab iniuriis defendere ſe velle prae ſe ferrent; ad intelligendum vnicuique facillimum eſt, huius tribunitiae poteſta-

a) Lib. LIII p. 508.
b) Lib. II. Ann. c. 56.
c) In Tacito C. I. T. II. p. 596. Edit. Hakian.
d) Lib. LIII. p. 519.
e) De Vſu et Praeſt. Numiſm. T. II. p. 424. ſqq.

poteſtatis rationem et religionem ab iis exegiſſe hoc, vt, quemadmodum olim Reipublicae liberae temporibus Tribuni plebis, ſic et ipſi omnibus, iniquitate potentiorum oppreſſis, ſuccurrerent. Sed in hac quoque re magna agnoſcenda eſt praeſtantia Tribunitiae poteſtatis Imperatorum, prae illa, quam Tribunis plebis olim conceſſam fuiſſe ſcimus. Nam Tribuni plebis, Republica libera, aderant illi quidem auxilio ciuibus ſuis, et, ſi prouocatione ad ipſos certatum eſſet, auctoritate ſua eos ab omni importunorum vi, iniquitateque defendebant: quoniam autem poteſtatem habebant, tam anguſtis locorum limitibus circumſcriptam, vt extra Vrbis pomoerium vix euagari poſſet: facile intelligitur, illam Tribunorum plebis poteſtatem non niſi iis ciuibus, qui Vrbis moenibus continerentur, praeſidii aliquid, auxiliique afferre potuiſſe. De hac Tribunorum plebis poteſtate, anguſtis locorum terminis coercita, inſignis eſt f) DION. HALICARNASSENSIS locus. Longe alia autem erat, eaque praeſtantior ratio poteſtatis tribunitiae Imperatorum: quae cum Vrbis Romae moenibus minime cohiberi ſe, coercerique pateretur, ſed longiſſime, et per prouincias adeo, euagaretur; quis non ipſe intelligit, eam ciuibus, non ſolum Romae habitantibus, ſed per prouincias etiam hinc inde diſperſis, iniquitate Magiſtratuum afflictis, ſuccurrere, praeſensque auxilium ferre potuiſſe. Haec igitur tribunitia poteſtas cum Imperatoribus conceſſa eſſet: prouocatione, in rebus paullo grauioribus, ad ſe certari, neque decerni aliquid, niſi grauiſſima ipſorum, ſanctiſſimaque interceſſiſſet auctoritas, voluerunt. Quod cum ex multis aliis Veterum monimentis, tum ex g) PLINIO patet, in quo ſaepius cognitiones prouincialium iudicio, arbitrioque Traiani delatae leguntur. Ex iure enim poteſtatis tribunitiae Imperatores intercedebant, ne prouinciarum Rectores pro libidine, cupi-

f) Lib. VIII. Antiq. Roman. p. 554. Edit. Sylburg.
g) Lib. X. Epiſt. paſſim.

nteque decernerent, sed in Prouincialium quoque **cau-**
, paullo grauioribus, summam rei arbitrio, cognitioni-
e Imperatoris committerent. Quod cum Paulus, **iuris**
ippe Romani haud ignarus, probe sciret, iam **iamque**
dadeorum odio, libidinique condonandus, ad **Imperato-**
em Neronem prouocabat, eaque re iniquum illud **Festi**
decretum vanum, irritumque reddebat. Cognito **enim,**
Paulum ad Caesarem prouocasse, Festus omnem **eius rei**
cognitionem omittendam sibi, h) Paulumque Romam, **Ne-**
ronis cognitioni tradendum, putabat mittendum.

Cuius custodiae Paulus Romae fuerit traditus?

Cum autem disputatio nostra delata sit eo, vt Paulum, prouocatione ad Caesarem facta, Romam missum, cognitioni Caesaris tradendum, diceremus; quid impedit, quominus et haec, quoniam prioribus illis apta et colligata videntur, disceptemus, cuius custodiae Paulus Romae fuerit traditus, a quo eius caussa cognita et diiudicata, et denique, quem illa ad Caesarem prouocatio euentum habuerit. Et primae quidem quaestionis soluendae rationem nobis suppeditat ipse i) D. Lucas his verbis: Ὅτε ἤλθομεν εἰς Ῥώμην, ὁ ἑκατόνταρχος παρέδωκε τὰς δεσμίους τῷ στρατοπεδάρχῃ· τῷ δὲ Παύλῳ ἐπετράπη μένειν καθ' ἑαυτὸν σὺν τῷ φυλάσσοντι αὐτὸν στρατιώτῃ, *cum veniſſemus Romam, Centurio* (Iulius cum Paulo aliisque vinctis Romam missus) *tradidit vinctos PRAEFECTO PRAETORIO: Paulo autem permiſſum eſt ſeorſim manere cum milite, qui eum cuſtodiret.* Haud dubie aliquid animadvertisti, VIR ILLVSTRIS ac DOCTISSIME, in hac interpretatione latina, in quo nescio, an omnes statim assensum mihi suum sint praebituri. Scilicet τὸν στρατοπεδάρχην interpretatus sum *Praefectum Praetorio*: cuius interpretationis

h) Actor. XXV. 12. et XXVII. 1.
i) Actor. XXVIII. 16.

tionis ratio haec est. Nempe k) Paulus, *ἐπικαλεσάμενος τηρηθῆναι αὐτὸν εἰς τὴν τοῦ Σεβαστοῦ διάγνωσιν, qui ad Caesarem prouocauerat, suamque causam illius cognitioni committi volebat*, erat *δέσμιος τοῦ Καίσαρος*, h. e. *auctoritate Caesaris in vincula et custodiam datus*. Iam vero Imperatorum temporibus is obtinuit mos, vt ex prouinciis vincti, Romam ad Caesarem missi, Praefecto Praetorio custodiendi committerentur. Cuius rei illustrissimum exemplum est Regis Agrippae apud l) IOSEPHVM. Ibi enim Praefectus Praetorio, Macro, dicitur ex custodia ad Imperatorem adduxisse quendam *δέσμιον*, et postea ipsum Regem Agrippam vinxisse, eique custodiendo praefecisse Centurionem et milites. Agrippam autem vinctum ad Vrbem custoditum fuisse in ipsis Castris Praetoriis, ex eo dilucide intelligitur, quod mortuo Tiberio, Caius dicitur Pisoni, Praefecto vrbis, per litteras iniunxisse hoc, vt, quia Macro, Praefectus Praetorio, adhuc abesset, Agrippam transferret *ἐκ τοῦ στρατοπέδου* h. e. *e Castris Praetoriis* (siquidem nulla alia erant Romae) in domum, vbi prius habitasset, quam in vincula fuisset coniectus. Praefectus autem Praetorio, cuius curae Paulus traditus erat, eum custodiendum commisit militi, *τῷ φυλάσσοντι αὐτὸν στρατιώτῃ*, vt D. Lucas scribit. Per hunc autem *στρατιώτην* nullus alius intelligendus est, quam *miles cohortium praetoriarum*, imperio Praefecti Praetorio subiectarum, non miles quidam eorum, qui vna cum Paulo et reliquis captiuis Romam missi erant, quae VLR. HVBERI sententia est, recte et grauiter vanitatis conuicta et explosa m) a PERIZONIO, Viro in hoc litterarum genere summo. Scilicet ita tulit Romanorum, Imperatorum temporibus, consuetudo, vt Rei, quorum causae ad cognitionem Caesaris spectarent, vincti traderentur custodiae

k) Actor. XXV. 21.
l) Lib. XVIII. Antiquit. C. VI. §. 6.
m) Dissertatione II. DE PRAETORIO §. 47. sq.

militum Praetorianorum, quorum magna tunc temporis Romae copia erat. Sic ſaepe apud n) TACITVM *cuſtodia militaris* non alia intelligenda eſt, quam militum Praetorianorum. Quod autem D. LVCAS dicit, τῷ Παύλῳ ἐπετράπη μένειν καθ' ἑαυτὸν, σὺν τῷ φυλάσσοντι αὐτὸν στρατιώτῃ, id ipſum quoque ex more quodam romano, tunc temporis recepto, explicandum, et illuſtrandum eſt, quo Reus, coram Caeſare ſiſtendus, militi Praetoriano catena, quae et reum, et militem copulabat, alligatus diligentius obſeruabatur, et cuſtodiebatur. In quam rem egregius eſt o) IOSEPHI locus, vbi Agrippa, iuſſu Tiberii, a Praefecto Praetorio, Macrone, vinctus, catena alligatus dicitur cuidam militi Praetoriano: ἠξίωσε τὸν ΣΥΝΔΕΔΕΜΕΝΟΝ αὐτῷ στρατιώτην, *rogauit militem, qui ei vna, eademque catena alligatus erat:* et paullo poſt mentio fit ἑκατοντάρχου συνδέτου ἐσομένου, *centurionis, qui catena Agrippae copularetur.* Vid. de hoc more pluribus diſputantem, quem ad h. l. laudat HAVERCAMPVS, p) BRISSONIVM. Idem accidiſſe PAVLO videmus, qui catena alligatus cuſtodiae traditus eſt militis Praetoriani, quocum per biennium in conductis aedibus q) maneret. Quo haud dubie quoque PAVLVS reſpexit, cum in Epiſtolis, Roma ſcriptis, *catenae* et *vinculorum* mentionem facit.

A quo Pauli cauſſa cognita et iudicata fuerit?

Confecta autem hac diſputatiuncula, diſceptanda eſt altera illa quaeſtio, *a quo cauſſa Pauli cognita et iudicata fuerit?* De qua re cum Veteres nihil diſerte tradant, confugiendum eſt ad id, quod maxima veri ſpecie ſeſe commendat. Ego quidem, quo diligentius morem, Imperatorum tempore receptum, conſidero, eo magis eius ſum ſen-

n) Lib. Ann. III. c. 22. Lib. XIV. c. 60. Lib. XVI. c. 10.
o) Lib. XVIII. Antiquit. c. VI. §. 7.
p) De Formulis Lib. V.
q) Actor. XXVIII. v. 30.

ſententiae, vt PAVLVM auditum, eiusque cauſſam a Praefecto Praetorio cognitam fuiſſe putem. Neque vero eſt, quod quis putet, huic ſententiae aduerſari id, quod PAVLVS ad nullum alium, quam ad ipſum Caeſarem prouocarit. Nam non exiſtimandum eſt, omnes omnino prouocationes, cum in ipſa Vrbe, tum ex prouinciis ad Imperatores factas, ab iis fuiſſe ſuſceptas et cauſſas cognitas. Quomodo enim vnus homo, quamuis aſſiduus in cauſis cognoſcendis, tot prouocationibus par eſſe potuiſſet? Quid igitur? ſcilicet plerasque earum delegarunt Viris aliis, huic rei conſtitutis, ipſique Caeſares cauſſas non niſi maiores, hominumque honeſtiorum cognoſcebant. Quod cum ex multis aliis, tum Auguſti, et M. Antonini exemplis cognoſcitur, qui, etſi erant *in iure dicundo aſſidui*, tamen plerasque prouocationes aliis delegarunt, cum *cauſſas capitales* tantum ſuae cognitioni reſeruarent, auctoribus r) SVETONIO et s) SPARTIANO. Hic mos adeo inualuit, vt Imperatores, qui poſt Neronis tempora principatum tenuerunt, perpetuos et ſtatos iudices, *Praefectum Vrbis* et *Praetorii* conſtituerent, qui iſtis prouocationibus, ad Caeſarem factis, vacarent, vt dudum ex Codice docuit t) IAC. CVIACIVS, Phoenix ille litteratorum Iurisconſultorum. Quae cauſſa eſt, quare u) VOPISCVS ſcribat, *Probo principatum adepto REDIISSE ad Praefectum Vrbis appellationes omnium poteſtatum, omnium dignitatum*: cum *rediiſſe* dicit, docet, eas iam antea Praefecto Vrbis fuiſſe delegatas. Praefecto Praetorio autem (cuius dignitas ſuccedente tempore tantopere aucta eſt, vt huius Praefecti munus proximum ab Auguſto haberetur,) multas prouocationes, ad Caeſarem factas, fuiſſe delatas, eius rei tot documenta in Veterum monimentis extant, vt non eſſe

r) In Auguſt. C. XXXIII.
s) In Vita M. Anton. C. X. et XXIV.
t) Obſeruatt. XXI. 33.
u) In Vita Floriani C. VI. T. II. p. 630.

putemus, quare exemplis confirmemus. Vide x) CONRADI. PAVLI autem cauſſa quin a *Praefecto Praetorio* fuerit cognita, non eſt, quare dubitemus, cum PAVLVS, Romam miſſus ad Caeſarem, diſerte y) dicatur traditus τῷ στρατοπεδάρχῃ, h. e. *Praefecto Praetorio*. PAVLVS igitur, a Iudaeis reus factus, per biennium Romae commoratus, aliquoties a Praefecto Praetorio, eius Aſſeſſoribus, et reliquis Ducibus militum Praetorianorum auditus eſt, et quidem, pro illius temporis more, in ipſis illis Caſtris Praetoriis, in quibus cauſſae a Praefecto Praetorio cognoſcendae erant. Neque vero is ſum, qui neget, PAVLVM poſtea ab ipſo quoque Nerone auditum fuiſſe, ſiue ea cognitio priuatim in quacunque Aulae Caeſaris parte, ſiue publice in Caſtris Praetoriis facta ſit. In ipſis enim Caſtris Praetoriis ſaepiſſime cauſſas fuiſſe cognitas, et ius dictum, z) PERIZONIVS contra HVBERVM tam luculenter, et graviter docuit, vt ne Pyrrhoni quidem de ea re dubitandi locus relictus eſſe videatur. Quas cauſſas autem, auctoritate Caeſaris cognoſcendas, Praefectus Praetorio accipiebat, eas ipſe diſceptabat, ita tamen, vt in rebus, paullo gravioribus, priuatim Caeſarem conſuleret, et ad illius arbitrium cognitionem dirigeret ſuam. Quid? quod Praefectus Praetorio, ſi quem capitis damnaſſet, ſententiam ad Caeſarem deferebat, eo tantum conſilio, vt ex more ſubſcriberet: quod dilucide apparet vel ex magnifica illa, ſatisque nota voce Neronis apud a) SVETONIVM, et b) SENECAM.

Quem

x) Differt. de Prouocationibus §. 57.

y) Actor. XXVIII. 16.

z) In Diſſertatt. de Praetorio p. 215. 267. ſq. et inprimis p. 683. ſqq.

a) In Neron. C. X.

b) Lib. II. de Clement. C. I.

Quem euentum Pauli prouocatio ad Caesarem habuerit?

Reſtat, vt expediamus quaeſtionem hanc, *quem euentum illa prouocatio* PAVLI *habuerit?* In quo quidem diſputandi ratio facilius nobis, feliciusque ſuccedet, quo dilucidius ipſe PAVLVS huius rei euentum c) exponit: Γινώσκειν δὲ ὑμᾶς βέλομαι, ἀδελφοὶ, ὅτι τὰ κατ' ἐμὲ μᾶλλον εἰς προκοπὴν τῦ Εὐαγγελίυ ἐλήλυθεν. Ὥϛε τὰς δεσμάς μυ Φανερὰς ἐν Χριϛῷ γενέσθαι ἐν ὅΛΩι ΤΩι ΠΡΑΙΤΩΡΙΩι, καὶ τοῖς λοιποῖς πᾶσι, *Res meae ceſſerunt in melius ad incrementum doctrinae Chriſtianae, adeo vt cauſſa vinculorum meorum manifeſta in Chriſto fuerit in TOTO PRAETORIO, et apud reliquos omnes.* Scilicet PAVLVS, a Iudaeis non niſi quorundam errorum, ad Religionem ſpectantium, accuſatus, priuatim a Praefecto Praetorio, ita vt Feſtus ex prouincia cauſſam perſcripſerat, ſaepius per illud biennium, quo Romae in vinculis detinebatur, auditus eſt: cum autem neque ipſe Feſtus, a quo Romam vinctus miſſus erat, quicquam morte dignum in eo d) inueniſſet, neque Iudaei ex prouincia adeſſent, qui reum accuſando premerent; factum eſt, vt non ſolum laxius cuſtodiretur, liberaliusque haberetur, ſed etiam ſaepius a Praefecto Praetorio auditus, nec vllius criminis conuictus, tandem, re omni ad Neronem per Praefectum Praetorio delata, abſolueretur. Iam PAVLVS, δέσμιος τῦ Καίσαρος ex prouincia miſſus, cum traditus eſſet στρατοπεδάρχῃ ſ. *Praefecto Praetorio*, a quo commiſſus eſt cuſtodiae cuiusdam militis Praetoriani, multam conſuetudinem cum militibus Praetorianis, commodiſſimamque occaſionem habuit, iisdem cauſſam vinculorum ſuorum declarandi, atque adeo doctrinam Chriſtianam annunciandi. Et hoc ipſum eſt, quod PAVLVS gloriatur, *cauſſam vinculorum* ſuorum manifeſtatam fuiſſe ἐν ὅλῳ

c) In Epiſtol. ad Philipp. C. I. v. 12. ſq.

d) Actor. XXV. 25. et XXVIII. 18.

ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ, h. e. *inter omnes milites Praetorianos.* Nam VLR. HVBERVS, qui πραιτώριον hoc de *Auditorio* f. *loco quodam in Aula Caesaris, cauſis cognoſcendis deſtinato,* accipit, grauiſſime errat, recte eo nomine caſtigatus e) a PERIZONIO, qui *Praetorium*, de re vrbana vſurpatum, non niſi de *cohortibus Praetoriis* vſurpari, veterum auctoritate luculenter, et paene mathematice demonſtrauit, adeo, vt mirari ſubeat, etiam nunc viros doctos inueniri, qui τὸ πραιτώριον in Epiſt. ad Philipp.I, 13. de *Palatio* ſ. *Aula Imperatoris* accipiendum eſſe contendant, quod eſt contra omnem loquendi vſum; nec vllus vnquam locus neque ab ipſo HVBERO, neque ab eius ſequacibus allatus eſt, qui iſtum tam inauditum ſignificatum probare poſſit. Et hic quidem fuit prouocationis ad Caeſarem euentus, non minus PAVLO exoptatus, quam multis aliis, luce quippe religionis Chriſtianae, ea occaſione, colluſtratis, ſalutaris. Haec prima autem cauſſae defenſio, qua PAVLVS Romae coram Caeſare Nerone vſus eſt, diligenter, accurateque diſcernenda eſt ab altera illa, ipſo quoque Nerone Iudice ſedente ſuſcepta, quae non aeque feliciter, ac prima illa PAVLO ſucceſſit, adeo vt in ſummum vitae periculum ſe adductum eſſe, quin necem iam ſibi imminere, ipſe f) ſcribat. Nam g) HVBERVS in grauiſſimo verſatur errore, cum *duplicem* Pauli *reatum* confuderit, et res duas, cum tempore, tum ratione ſua longe diuerſiſſimas, permiſcuerit. Nam, auctoribus veteribus, ea opinio ad nos, quaſi per manus tradita, eſt propagata, PAVLVM bis veniſſe Romam, cauſſam pro ſe dicturum: primum, quum a Feſto ad Caeſarem e Iudaea miſſus eſſet, vbi vinculis ſolutus, et abſolutus eſt; deinde aliquot annis poſt, vel ſua ſponte Romam, Euangelii praedicandi cauſſa, rediit, vel auctoritate Neronis, tunc temporis furiis quaſi ad

e) In Diſſertt. de Praetorio.
f) II Epiſt. ad Timoth. C. IV. 6.
g) In Comment. II. de Praetor. c. 2.

ad omne Christianum nomen penitus extinguendum agitati, retractus est. Digna sunt in hanc rem verba h) LVD. CAPELLI: *Vulgata est, et receptissima Patrum omnium, vixque ab vllo, quod sciam, hodie improbata sententia, Paulum Apostolum post biennium illud Romae actum, (cuius meminit Lucas Actor. XXVIII.) vinculis solutum, per aliquot annos Occidentem praedicando Euangelium peragrasse, postremo sub finem imperii Neronis, quum Romam rediisset, a Nerone capite truncatum fuisse.* Illud quoque a viris doctis iam dudum extra omnem dubitationem positum est, PAVLVM priori reatu, seu eo tempore, quo a Festo ex Iudaea Romam ad Caesarem missus est, scripsisse Epistolam ad Philippenses, et quidem paullo ante, quam vinculis esset solutus, quem felicissimum causae suae euentum ipse, certissimae spei plenus, in ea i) Epistola praedicit: posteriori autem reatu, quem aliquot annis post accidisse diximus, alteram illam ad Timotheum Epistolam, et quidem paullo ante, quam violentam subiret mortem, quam sibi imminere, ea k) Epistola non obscure significat. Non leuiter igitur HVBERVS hallucinatus est, qui duplicem hunc Pauli reatum, diuerso et tempore, et successu Romae factum, pro vno, eodemque habuit. In cuius opinionis errorem mirum sane hunc Virum doctum incidere potuisse, cum PAVLVS ipse diserte doceat, se bis, et diuersis quidem temporibus Romae causam pro se dixisse, ita tamen, vt duplicis illius cognitionis, et iudicii euentum maxime diuersum fuisse testetur. Nam in Epistola ad Philippenses gloriatur, *res suas magis, magisque cessisse in Euangelii incrementum, adeo vt causa, ob quam in vincula fuerit coniectus, manifestata fuerit per omne Praetorium et per alios omnes multosque Fratrum, felicissimo huius reatus*

h) In Append. Historiae Apostol.
i) C. I. 25. 26. C. II. 24.
k) C. IV. 6.

reatus exitu erectos, et ſpei plenos, auſos eſſe copioſius et confidentius doctrinam Chriſtianam alios docere. Haec eſt magnifica praedicatio feliciſſimi illius, ſaluberrimique euentus, qui primum PAVLI reatum Romae ſecutus eſt. Sed quam diuerſa, et quam miſera fuit alterius reatus conditio! quam miſerabilis eſt illius deſcriptio! Nam in[l]) II Epiſt. ad Timoth. conqueritur, in prima Apologia ſua (in poſteriori enim reatu duplicem coram Nerone habuit, quod ſi cogitaſſet HVBERVS, iſtum grauem errorem non commiſiſſet,) ſe ab omnibus Fratribus, metu infeliciſſimae conditionis PAVLI percuſſis, fuiſſe deſtitutum, ſibi certiſſimam necem inſtare, et multa alia, quae nulla ex parte reſpondent iis, quae ad Philippenſes de ſui reatus, quo tunc tenebatur, ratione, felicitateque praedicauit. Plura in hanc rem contra HVBERVM more ſuo, hoc eſt, non minus docte, quam eleganter diſputat [m]) PERIZONIVS, amabile illud, omnibusque Eruditis venerandum nomen.

Sed intelligo, me longius, quam pro voluntate, opinioneque mea, in diſputando eſſe progreſſum, non inepto quodam putidae doctrinae oſtentandae ſtudio abreptum, ſed iucundiſſima TVAE, VIR ILLVSTRIS, imaginis, animo meo per totam hanc diſputationem obuerſatae, cogitatione prouectum. Neque diffiteor, iucundiſſimam hanc cogitationem tam blandam et nunc animo meo adhibere vim, vt vix temperaturus mihi eſſem, quin hanc diſputatiunculam longius producerem, niſi mihi verendum eſſet, ne ineptus, maleque ſedulus et in grauiſſima tempora peccare viderer TVA; praeſertim cum id mihi agendum eſſe intelligam, cuius cauſſa, quicquid huius Commentatiunculae eſt, ſuſcepi. Scilicet intelligis, VIR ILLVSTRIS, humanitatis, obſeruantiaeque in TE meae,

l) C. IV.

m) In Reſponſ. ad Comment. II. Huberi de Praetorio pag. 318. ſqq.

meae, rationem poſtulare, quin exigere hoc, vt gratulandi officium TIBI praeſtem. Quod quidem officium cum per ſe ſit et humanitatis gratia liberaliſſimum, et iucunditatis ſenſu animo ingenuo dulciſſimum, tum mihi fit longe iucundius, atque amabilius, quo plures ſunt, eaeque grauiores cauſſae, quae id mihi iniungunt. Hic vero dubius animi, ancepsque haereo, TIBI ne potius, an ILLVSTRI PARENTI TVO dulciſſimum hoc officium praeſtare debeam. De ILLVSTRI enim parente TVO, neminem tam anguſti, ieiunique animi eſſe puto, quin liberaliſſime fateatur, EI ſummopere gratulandum eſſe, cum et ſuis virtutibus, quarum ornatiſſimo, feliciſſimoque comitatu quaſi ſtipatus omnibus viris bonis non minus amabilem SE, quam venerabilem reddit, tum inprimis TE, magnificarum virtutum paternarum haerede, conſecutus ſit hoc, vt plerorumque, feliciſſimorum etiam, fortunam ſuperaſſe, faſtigiumque felicitatis, quae quidem in humanitatem cadit, attigiſſe videatur. TIBI autem, VIR ILLVSTRIS, quis tam malignus, alienaeque felicitati tam invidus ſit, quin vel eo nomine vehementer gratulandum concedat, quod, naſcendi felicitate, PARENTEM nactus ſis eum, qui, IPSE quippe liberalium ſtudiorum, omnisque humanioris doctrinae auctor elegantiſſimus, feliciſſimum illud TVVM, et ad omnia ſumma factum ingenium, animumque illum TVVM vere generoſum, vti ſummo loco natum, ita ad ſumma quaeque contendentem, omnibus liberalibus artibus formandum, et ad altioris fortunae cultum excitandum tam fideliter curauit, vt EIVS ſapientiſſimis conſiliis euentus feliciſſime reſponderet. Nam TV, VIR ILLVSTRIS, et diligentiſſima, fideliſſimaque PARENTIS TVI OPTIMI cura, et TVA ingenii felicitate, induſtriaeque aſſiduitate aſſecutus es hoc, vt non ſolum ſplendidiſſimae Familiae TVAE, Familiae autem? immo totius nobilitatis doctae decus, ornamentumque habeare, ſed etiam

etiam nunc ampliſſimis honoribus, a POTENTISSIMO AC SAPIENTISSIMO REGE noſtro virtuti, eruditionique TVAE tributis, ornatus conſpiciare. Ita mihi ſemper Deum propitium eſſe velim, vt ego ſincera mente opto, vt et hos, quos iam conſecutus es, honores, quamuis magnos, maiores propediem ſequantur, et iis ad prouectiorem vsque aetatem, rebus proſperrimis, florentiſſimisque, fruare. Caeterum, quum laetiſſimo hoc tempore TVO (quamquam ſemper expoſitae humanitatis, liberalitatisque es) a TE aliquid paullo confidentius expetere me poſſe putem: humaniſſime TE rogatum volo, vt, tanquam bonus aliquis ſponſor, ILLVSTRI PARENTI TVO nomine meo ſanctiſſime confirmes, me in obſeruantiae, pietatisque officiis, IPSI praeſtandis, tam diligentem, religioſumque in poſterum quoque eſſe futurum, vt nulli clientum IPSIVS ceſſiſſe videar. De mea autem in TE, VIR ILLVSTRIS, obſeruantia non eſſe puto, quod multis verbis certum TE eſſe iubeam, qui TE quam humaniſſime rogem, vt omnia humanitatis, obſeruantiaeque officia a me expectes: nunquam ſane committam, vt TVAM de me ſpem, expectationemque deſtituiſſe videar. Vale. Dab. Grimae prid. Kal. Iul. A. R. S. CIↃ IↃ CCLIII.

VI. DE

VI.

ELOGIVM

M. HENR. AVGVSTI SCHVMACHERI,

quinquaginta fere annos Rectoris Scholae Regiae Grimanae meritiſſimi.

Si omnino iuſtum, et e re bonarum literarum eſt, eorum Virorum memoriam ad poſteritatem proferre, et ab iniuria obliuionis vindicare, qui ingenii felicitate, et laboris aſſiduitate, doctrinaeque ſplendore Rempublicam ornarunt; debet profecto hoc officium iis praecipue viris praeſtari, qui vitae ſanctitate, laboris aſſiduitate, docendique peritia et fide de iuuentute in ſcholis, bene conſtitutis, optime meriti, inque eo munere obeundo cum magna diſcentium vtilitate, et laude omnium in ea re elegantium iudicum ſunt verſati. Nam, quo praeſtantius, totique Reipublicae cum ſacrae, tum ciuili fructuoſius eſt munus, iuuentutem in ſcholis ad pietatem, honeſtatem, morum elegantiam, doctrinaeque cultum fingendi et formandi, et quo maioris prudentiae, doctrinae, et laboris eſt, hoc praeſtantiſſimum munus rite obire; eo maiori laude digni cenſendi, poſteritatisque memoriae eo diligentius commendandi ſunt, qui, nullo laborum, nullo moleſtiarum metu deterriti, hoc munus ſubeundum, idque e re iuuentutis ſcholaſticae, omnium bonorum votis, Reipublicaeque ſalute peragendum ſibi putarunt. Nam, ſi rem accurate volumus, opinionibusque praeconceptis non impediti diiudicare; fateamur neceſſe eſt, ſcholas bene conſtitutas nihil aliud eſſe, quam foecundiſſimum quoddam quaſi ſeminarium omnis ordinis hominum. Ex eo enim prodierunt, et etiamnum prodeunt Principum amici et conſiliarii graviſſimi, duces belli callidiſſimi, Rerumpublica-

rum gubernatores prudentiſſimi, diuinarum literarum interpretes et defenſores feliciſſimi, diuini humanique iuris conſultiſſimi et antiſtites ſapientiſſimi, artis, valetudinem corporis humani cum tuendi, tum reſtituendi, auctores ſolertiſſimi, ciues boni, Reique publicae vtiliſſimi. Quid multa? nullus omnino honeſtorum ordinum eſt, quin, ſi gratum dici ſe, haberique velit, ingenue, liberaliterque fateatur, ſe magnam artis ſuae, vitae honeſtae, felicitatisque adeo partem debere ſcholis. Neſcio ſane, an vllum eruditorum genus, vllus ordo reperiatur, cui diuina prouidentia praeſtantius, totique Eccleſiae, Reipublicaeque fructuoſius munus impoſuerit, latioremque quaſi campum aperuerit, de tota Republica optime merendi, quam ſcholarum magiſtris. Nam plurimum refert, Reique publicae intereſt, quibus opinionibus, quibus praeceptis integri adhuc, et teneri adoleſcentulorum animi imbuantur et inſtituantur, cum, quales in ſcholis formati ſint, tales plerumque adultiores facti eſſe ſoleant. Scilicet, eo ſpectavit oraculi reſponſum, Athenienſibus conſulentibus, quibus artibus inter caeteras Graeciae ciuitates principatum obtinerent, ſapienter quidem, ambigue tamen redditum: *Si rem omnium pretioſiſſimam puerorum auribus inſtillarent*: innuens nempe virtutis, doctrinaeque praecepta, quibus nihil praeſtantius per aures in animum poſſet demitti. Sed de ſcholarum, bene conſtitutarum, praeſtantia, commodisque in totam Rempublicam inde redundantibus, iam dicere nec iuuat, nec vacat. Legant, quibus volupe eſt, et ii inprimis, qui nimis contemtim, abiecteque de ſcholis, earumque magiſtris ſentiunt, quae *) viri docti dudum in hanc rem diſputarunt. Quo grauius autem et praeſtantius munus ſcholaſticum eſt, et quo latius diffunditur magiſtrorum ſcholarum opera et doctrina; eo iuſtius ſane eſt, eorum Virorum memoriae, et, quantum fieri poteſt, immorta-

*) Vid. variae in hanc rem Oratt. in Declamatt. Melanchthon. T. I.

mortalitati ipſi proſpicere, qui diu in hoc munere ſunt, et cum egregia laude magnaque iuuentutis vtilitate verſati. Quare, cum SCHVMACHERVS fuerit is, qui ſcholam Regiam Grimenſem, a duobus inde ſeculis et doctorum exquiſita doctrina celeberrimam, et fama ſummorum virorum, qui ex ea, tanquam ex equo Troiano, prodierunt, florentiſſimam, eam igitur ſcholam quinquaginta fere annos, quae rara ſane felicitas eſt, et accurate, fideliterque docendo, et grauiter, prudenterque regendo ornauit; rem me putaui ſuscepturum iuſtam, magnisque optimi viri meritis debitam, ſi ego SCHVMACHERO, Rector Rectori, gener Socero, hoc monimento condendo, eius memoriam ad poſteritatem propagare, immortalitatisque famae commendare ſtuderem. Debemus hoc, cineres Viri boni, ſancti, et ad utilitatem, dignitatemque Scholae Regiae Grimanae quodammodo nati, molliter fouendi, officium bonis literis, quarum permultum intereſt, exempla magnorum Virorum, etiam mortuorum proponere, vt habeant alii, quod admirabundi, venerabundique intueantur, hacque virtutum contemplatione, tanquam calcari quodam, ad eundem honeſtarum rerum ſenſum amoremque magnarum laudum concipiendum incitentur. Debemus hoc patriae noſtrae, quae de ſua ſibi felicitate gratulatur, tantos Viros in ſuo quaſi ſinu fouiſſe, ac laetatur, eorum memoriam non iisdem, quibus vita, terminis includi, ſed ad ſeram poſteritatem, monimentis condendis, proferri. Debemus hoc optimi Viri diſcipulis, h. e. magnae parti eorum, quorum doctrinae, fideique pars aliqua reipublicae vel ſacrae eſt commiſſa: inter quos, tanquam primae magnitudinis ſtellae, eminent Duumuiri illi MAGNIFICI et SVMME REVERENDI, HERRMANNVS et AM-ENDE, diuino aliquo munere Saxoniae, Eccleſiaeque noſtrae commendati atque conceſſi. His enim, opinor, iucundum erit, in hoc obſeruantiae, pietatisque monimento non ſolum amabilem illam optimi Praeceptoris ſui imaginem, ſi

non ſolidam et expreſſam, adumbratam tamen ſubinde cum venerationis quodam ſenſu intueri, eiusque contemplatione quodammodo quaſi repueraſcere, h. e. puerilis, iuuenilisque ſuae aetatis, doctorisque adeo ſui, eiusque ſaluberrimae inſtitutionis et doctrinae, cui felicitatem ſuam magna ex parte debent, memoriam renouare, et tanti doctoris virtutes narrando, praedicandoque poſteritatis famae commendare. Debeo denique, quidquid huius monimenti eſt, multis Viri optimi in me meritis, quorum gratias cum viuo referre non potuerim, mortuo ſaltem, ſupremo hoc humanitatis, obſeruantiaeque officio perſoluere geſtio.

Primam igitur lucem SCHVMACHERVS noſter Anno C. N. milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo tertio d. 10. Nouembr. vidit *Corbachii*, quae vrbs primaria eſt Principatus Valdeccenſis, et cum aliis Viris eruditionis laude florentiſſimis, tum inprimis Schurzfleiſchiis, vel nomine ſuo laudatiſſimis, ad claritatem, celebritatemque producta. Patre vſus eſt WOLRADO SCHVMACHERO, Viro Conſultiſſimo, eiusque oppidi conſule; matre autem, Maria Eliſabetha, e gente Haxthuſiana. Eius ſuſceptores fidei ad ſacrum fontem, quo ablutus eſt, quamquam operae pretium forte non videatur, diſerte nominare; tamen, quoniam ſunt, qui in vitis magnorum Virorum legendis vel minima ſtudioſe quaerant et deſiderent, dicendum eſt, fuiſſe IO. HENRICVM LEVSLERVM, Paſtorem Nezanum, IVSTVM CLVTHENIVM, ſcribam ſanctiorem dicaſterii Valdeccenſis, eiusque coniugem IOANNAM SABINAM. Quae prima et antiquiſſima cura omnium parentum eſſe ſolet, certe debet, vt, vbi infantes ad aliquem rationis vſum peruenerunt, tenellos eorum animos aliqua pietatis, honeſtatisque cognitione imbuant, initiisque literarum, quarum quidem illa aetatula capax eſt, inſtruant, eam SCHVMACHERO noſtro Parentes partim ipſi impenderunt, partim

partim ab aliis impendendam curarunt. Eo consilio ipsum curae, fidei, doctrinaeque magistrorum schólae Corbacensis commiserunt, quorum in se merita SCHVMACHERVS saepissime non sine animi voluptate, gratique animi significatione commemorare, ac praedicare, et in summa felicitatis suae ponere solebat, quod felici quodam fato suo eos in adolescentia nactus esset doctores, quibus fideliores, formandaeque ad omnem humanitatis, doctrinaeque cultum iuuentutis peritiores, studiosioresque haud facile inuenturus fuisset. Mire laudare solebat IOANNEM ALTHVSIVM, Gymnasii Corbacensis Subprorectorem, cuius in docendo fidem, dexteritatem, indefessumque studium verbis aeque se posse exprimere negabat, ac cum maximo fructu suo sensisset, ac cognouisset. Neque vero parcior erat in praedicanda fide, doctrina, assiduitateque in docendo CHRISTOPHORI STIEGENHVSII, Prorectoris, cui inprimis debere se, gratus profitebatur, amorem conceptum graecarum omniumque omnino literarum, quae magnifico illo humanitatis nomine nobilitatae celebrantur. Hunc humaniorum literarum amorem postea dulcibus alimentis quasi nutriuit et sustentauit IOSIAS STRÜBENIVS, Gymnasii Rector, et e magni SCHVRZFLEISCHII disciplina profectus, qui SCHVMACHERI nostri ingenium, optimis literis iam probe imbutum, liberalioris doctrinae cultu magis, magisque acuit et aluit, literarumque inprimis graecarum amore, studioque incensum magis inflammauit. In quibus quidem colendis tam studiosus, percipiendisque tam felix fuit SCHVMACHERVS, vt commentatiunculis quibusdam vnum et item alterum locum, e graecis literis petitum, et ingenii, doctrinaeque luce illustratum, praeside STRÜBENIO in Gymnasio ad disceptandum, defendendumque proponeret. Hos cum in bonis literis in vniuersum, tum graecis inprimis profectus egregios etsi assecutus est et ingenii felicitate, et laboris assiduitate, et temporis parsimonia, quae in eo fuit tanta,

vt neque ignauiae torpore, neque voluptatum veneficiis, neque luſus intempeſtiui illecebris a bonis literis avocari ſe, abſtrahique pateretur; tamen non ſuae ipſius induſtriae diſcendique ſtudio, ſed ſuis doctoribus haec omnia gratus accepta referebat, dictitans, *absque his magiſtris meis, ducibus literarum fideliſſimis, prudentiſſimisque ſi fuiſſet, nunquam sane ego, neque ingenii felicitate, neque laboris aſſiduitate, quod ſequerer, eſſem aſſecutus.* Et habet ſane iuuentus literarum ſtudioſa, quod de ſua ſibi felicitate impenſe gratuletur, ſi primis pueritiae, adoleſcentiaeque annis, diuino quodam munere, ii praeceptores ei obtigerint, qui regia h. e. iucundiſſima, breuiſſima, tutiſſima, certiſſimaque via ſuae diſciplinae alumnos ad accuratam doctrinam conſequendam procedere iubent, in eaque re fideles, prudentesque duces ſe praebent, omnibus impedimentis profectuum in literis remotis, omnibus deuiis, anfractibusque euitatis. Miſeret me profecto eorum iuuenum, qui infelici quodam fato ſuo in eos paedagogos inciderunt, qui, cum ipſi ſeuera lege in literis non profecerint, diſcipulos, ſuae inſtitutioni commiſſos, peruerſa docendi ratione inſtruunt, (corrumpunt volebam dicere,) et res aut difficiliores, quam pro puerorum, iuuenumque capacitate, aut in omnem vitam inutiles, ingeniique viribus frangendis et debilitandis, quam alendis aptiores diſcipulis ſuis, vti ipſi elegantér dicunt, *incultant*, duris nempe et verbis, et verberibus, easque edifcendas iniungunt, quas, ſi ſtata hora recitare fida memoria nequeunt, ſtatim pugnos et virgas expediunt. Scilicet aliter his magiſtellis haec ſacra non conſtant! ſed hi, iratis Muſis nati, plagoſi Orbilii, qui toga pendula, ferulaque communiti ſcipionibus ſubnixi inambulant, diſcipulisque ſuis ipſo adſpectu illo terrorem incutiunt, non vident, ſe hac praepoſtera, adoleſcentulisque acerbiſſima docendi ratione bonorum ingeniorum igniculos, commoda, prudentique inſtitutione, tanquam flabello quodam, excitandos, alimentisque doctrinae ſubie-

ctis nutriendos, opprimere sensimque extinguere, et tandem efficere, vt, quod Quinctilianus, sapientissimus ille, optimusque iuuentutis instituendae magister, omni studio caueri iubet, *pueri literas prius odisse incipiant, quam ament.* Sed nolo isti hominum generi stomachum movere, cui ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται, depingendo eorum imaginem, quam si tanquam in speculo redditam videre cupiant, videant Martialem IX, 69. Diuina prouidentia et in hac re vtilitati, rationibusque SCHVMACHERI nostri prospexerat, quae Eum iis doctoribus formandum, perpoliendumque commiserit, qui non minus iucunda et facili, quam certa et tuta via adolescentibus aditum ad accuratam doctrinam munirent. Quod insigne beneficium diuinum agnouit, agnitum perpetua grati animi memoria recoluit, eoque nomine et Deo, omnium bonorum fonti, et Praeceptoribus suis, felicitatis suae auctoribus, gratias, homine liberali dignissimas, ad finem vsque vitae agendas et habendas putauit.

Iam eam aetatem SCHVMACHERVS attigerat, eos in literis humanioribus profectus fecerat, vt, relicto adolescentiae, sub his fidelissimis magistris traductae, nido, pennas in Academiam extendere cogitaret, vbi doctrinae copiolas, in Gymnasio Corbacensi assiduo studio collectas, sublimiorum disciplinarum quasi alimentis magis, magisque confirmaret, et fundamento, in literis humanioribus feliciter posito, ea superstrueret, quibus ornatus, adiutusque olim Ecclesiae, Reique publicae ea commoda et officia praestare posset, quae iam tum ab Eius ingenii felicitate, laborisque assiduitate expectabantur. Quo consilio etsi Parentes Giessam, loci inprimis propinquitate inuitati, Eum mittere volebant; tamen, cum quidam magnae auctoritatis vir, SCHVRZFLEISCHII, τοῦ πάνυ, amicissimus, iis auctor, suasorque esset, vt Vitembergam mitterent, literisque se Eum quam diligentissime celeberrimo illi Po-

lyhistori commendaturum promisisset: non dubitandum sibi putarunt, hoc consilium saluberrimum sequi. SCHVMACHERVS igitur, huius Viri literis commendaticiis ornatus An. CIↃ IↃ CCIII in Academiam Vitembergensem se contulit, siue potius gaudii, et spei summae plenissimus, eo advolauit. Tam flagranti studio tenebatur, et alios Viros summa doctrina, et fama celeberrimos, et inprimis stupendae eruditionis Polyhistorem, CONR. SAMVEL. SCHVRZFLEISCHIVM, Eloquentiae et Historiarum Professorem, et ciuem suum, a cuius doctrina, liberalitateque multa sibi pollicebatur, cognoscendi, eorumque scholis operam dandi. Neque haec eum spes fefellit. Vix enim istae literae commendaticiae Ei aditum ad SCHVRZFLEISCHIVM conciliarant, cum hic Vir summus, elegans sane bonorum ingeniorum spectator, eximia SCHVMACHERI, et magna in posterum pollicente indole, doctrina egregia, humanitate denique, blanda illa animorum conciliatricula, extemplo mire capiebatur, adeo, vt non solum aditum sui facillimum, bibliothecaeque suae praestantissimae, rarissimorumque librorum apparatu instructissimae, vsum Ei semper concederet, et domestica, familiarique propemodum consuetudine Eum dignum iudicaret, sed fidelissimis etiam, saluberrimisque consiliis iuuaret, qua ratione primis Academicae vitae annis rectam, commodamque literarum colendarum rationem iniret, et crebro admonere non intermitteret, sine vera pietate, rectoque de Deo, rebusque diuinis sensu nullo modo ex literis eos expectari posse fructus, qui earum cultoribus ostendantur; denique, vt eum prope filii loco haberet. Quoties huius temporis, apud SCHVRZFLEISCHIVM traducti, SCHVMACHERVS recordabatur, recordabatur autem saepissime, toties suauissimo voluptatis sensu tactus, de hac magna felicitate sibi gratulandum, Deoque adeo gratias persoluendas putabat. Et est sane aliquid, magnorum Virorum familiari consuetudine frui. Nam, vt recte Seneca Epist. 94. *nulla*

res

res magis animis honestatem induit, dubiorque et in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quam bonorum virorum conuersatio. Paullatim enim descendit in pectora, et vim praeceptorum obtinet frequenter audiri, adspici frequenter. Occursus mehercule ipse sapientium iuuat: et est aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias. Hoc duce et auctore omnis humanioris doctrinae summo SCHVMACHERVS non solum graecarum, latinarum, omniumque omnino humaniorum literarum amorem, iamdudum conceptum, retinuit, sed etiam optimis alimentis quotidie subiectis, nutriuit et confirmauit, ita vt ex eo inde tempore ingenium, tempus, studiumque omne ad eas literas diligentissime colendas conferret, ratus, vti est, non posse quemquam in altioribus illis, quas vocant, doctrinis percipiendis feliciter versari, nisi ingenium ad eas contulerit, graecarum, latinarumque literarum cultu ornatum atque instructum. In quo quidem sapientissime iudicauit, suamque rationem longissime a peruersa plerorumque nostrae aetatis iuuenum opinione seiunxit, qui, vix leuiter graecis latinisque literis tincti, propaedeumatibusque nondum imbuti, tamen scholas, tanquam aues implumes nidos, relinquunt, et, coeco quodam impetu in Academiam delati, cruda sua studia secum afferunt, posteaque in suggestum sacrum, aut forum propellunt.

Sed quoniam SCHVMACHERVS probe intelligebat, harum literarum nudam culturam imperfectam, mancamque esse, neque magnos Reipublicae fructus afferre, nisi aliarum doctrinarum cultu ornetur et adiuuetur; vbi satis ingenium illarum literarum elegantia perpolierat, iudicium quoque sublimioribus doctrinis subigendum, acuendumque sibi putauit. Est sane omnium literarum commune quoddam vinculum, et conspiratio amicissima, liberalioresque artes ita inter se aptae sunt et colligatae, vt nulla sine alterius adiumentis sua se dignitate, suis viribus satis

ſuſtinere, tuerique poſſit. Orbem igitur illum doctrinarum cognoſcendum ſibi, et, quantum fieri poſſet, animo et mente quaſi peragrandum ratus, Theologiae operam dedit, vt eius initia, quae ex inſtitutionibus Catecheticis CVNRADI DIETERICI in Gymnaſio patrio hauſerat, vberiori accuratiorique diuinae ſcientiae cognitione augeret. Ad cuius praeſtantiſſimae doctrinae intelligentiam duces ei fuerunt D. IO. DEVTSCHMANNVS, D. PHILIPPVS LVDOVICVS HANNEKENIVS, D. IO. GEORGIVS NEVMANNVS. Neque ita multo poſt cum D. GOTTLIEB WERNSDORFFIVS, et D. VALENTINVS ERNESTVS LOESCHERVS, Viri ob eruditionem, et merita in rem chriſtianam immortalitate digniſſimi, Vitembergam, ad docendam Theologiam, eſſent euocati: SCHVMACHERVS, qui e fonte inſtitutionis priorum doctorum ſitim diuinae huius doctrinae penitus hauriendae nondum reſtinxerat, tanto diſcendi ardore incenſus, ad eorum diſciplinam ſe contulit, iisque tam aſſiduus adhaeſit, vt horum doctorum inprimis ratione docendi diuina commotus literas ſacras maiori diligentia perſcrutaretur, ſingulasque Theologiae partes redderet ſibi familiares. Neque neglexit cum Theologiae ſtudio philoſophiam, principem illam humanarum doctrinarum, arctiſſimo vinculo coniungere, probe intelligens, eam non ſolum ad ingenium defaecandum, iudiciumque acuendum, ſed etiam ad iuratorum literarum ſacrarum hoſtium cauillationes, malitioſasque machinationes eludendas, frangendasque permultum facere. In quo quidem iudicium ſuum longe ab eorum opinione ſeiunxit, qui Philoſophiam ne in contubernium quidem Theologiae, nedum in connubium admittendam clamant. In ſapientiae igitur ſtudiis praeſtantiſſimorum illius temporis huius doctrinae auctorum ſcholis aſſiduam operam dedit, e quibus prae caeteris praedicare ſolebat SCHOENINGIVM, poſtea Antiſtitem ſacrorum Kembergenſium, et DASCHYTZIVM, Profeſſorem poſtea Vratislauienſem, quibus in

hoc

hoc doctrinae genere multum se debere, saepe non sine grati animi significatione narrabat. Cum autem his aliisque doctrinis tantum temporis, studiique impendisset, vt literis elegantioribus colendis non nisi tantum esset loci, quantum aliis eruditionis partibus, accurate percipiendis supereſſet: retulit se postea ad graecarum, latinarum, omniumque humaniorum literarum studia, quae retenta animo, remissa aliarum doctrinarum studio, longo intervallo reuocauit, diuina prouidentia, sapientissima rerum humanarum gubernatrice, ita dirigente, vt, quem olim publicum humaniorum literarum doctorem destinasset, eum mature earum inprimis amore, studioque accurate discendarum inflammaret, vt, cum ad munus illud obeundum accessisset, ingenium vberrimo harum literarum tanquam flumine inundatum secum afferret. Hunc incredibilem harum literarum amorem magis, magisque aluit et confirmauit SCHVRZFLEISCHIVS, qui Eum pure, eleganterque scribendi rationem docuit, & antiquitatum historiae cum veteris, tum recentioris aetatis, eloquentiae, aliarumque literarum cognitione accurate instruxit, cum nunc publicas scholas in Ciceronianas Orationes haberet, nunc Liuium interpretationis luce collustraret, nunc historiam omnium Europae regnorum, Rerumque publicarum, duce SAMVELE PVFENDORFIO, exquisitae, variaeque doctrinae copia traderet, nunc historiae literariae, optimorumque librorum notitiam, duce Catalogo bibliothecae Heinsianae doceret. Neque vero minori beniuolentia eum amplexus est Illustris LEONARDVS SCHVRZFLEISCHIVS, Historiarum Professor, qui pro eximia humanitate sua, facilitateque optimos e celeberrimi fratris bibliotheca praestantissima libros Ei vtendos concessit, et ad notitiam rerum, medii praesertim aeui temporibus in finibus Germaniae gestarum, facem praetulit, omnique studio eius rationibus prospexit, adeo, vt hi duo fratres amore, beniuolentiaque, SCHVMACHERO praestanda, certasse inter se videantur.

deantur. Haec etsi multa, et magna beneficia sunt, a SCHVRZFLEISCHIIS fratribus in SCHVMACHERVM profecta: tamen eorum liberalitas, beneque de eo merendi studium non his finibus cohiberi se, coërcerique passum est, sed latius patuit, hisque beneficiis postea magnum cumulum adiecit. Neque enim satis habuerunt, Eum per quatuor annos, in Academia Vitembergensi transactos, optimis doctrinis, saluberrimis praeceptis, omnique liberalitate iuuare; sed, vt fundamenta altioris suae fortunae iaceret, et suo tempore, Patroni cuiusdam beniuolentia, suffragationeque subleuatus, ad dignitatis aliquem gradum eueheretur, commendauit Eum inprimis CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHIVS Perillustri REINHARDO, qui FRIDERICO AVGVSTO nostro II. a consiliis Camerae rerumque metallicarum erat, Viro et prudentiae, fideique fama florentissimo, et graecarum, latinarumque literarum peritissimo, et inprimis pererudito illo, ac recondita variarum rerum doctrina referto libro, inscripto, *Theatrum prudentiae elegantioris*, magno illi SCHVRZFLEISCHIO vehementer probato, magnam nominis famam consecuto. Quae quidem commendatio, profecta quippe a Viro grauissimo, vim habuit eam, vt REINHARDVS SCHVMACHERVM, disciplina Schurzfleischiana formatum, duorum filiorum suorum, CONRADI FRIDERICI, et CAROLI LVDOVICI studiis, moribusque regundis praeficeret. In qua prouincia administranda ita versatus est, vt, quam docendi rationem a SCHVRZFLEISCHIO acceperat, eam in dirigendis duorum fratrum literarum studiis, cum summa Perillustris Parentis, qui saepe lectionibus interfuit, approbatione sequeretur. Id inprimis SCHVMACHERO perquam gratum fuit, quod praeter antiquitatis memoriam, et latinam linguam, etiam graecas literas hos duos disciplinae alumnos docere iussus erat. Sic SCHVMACHERVS in hac quasi meditatione docendi priuata sensim, paullatimque facilitatem quandam promptae doctrinae, aliis imper-

impertiendae, ſibi comparabat, et exercebatur ad publicam docendi prouinciam, feliciter gubernandam, quae non multo poſt eius fidei, doctrinae, prudentiaeque eſt commiſſa. Scilicet, in Perilluſtris REINHARDI quaſi contubernio tres annos, et quod excurrit, vixerat, omni beniuolentiae, beneficiorumque genere adiutus et ornatus, cum tempus appropinquabat, quo ampla et dulcia praemia SCHVMACHERI pietati, honeſtati, doctrinaeque diuina prouidentia, largiſſima virtutum remuneratrix, tribui volebat. Nam ecce! Anno 1710. SCHVMACHERO, homini extra fines Saxoniae nato, nihilque tale expectanti, et de ruina coeli potius, quam de hac re cogitanti, ſuffragante inprimis D. HENRICO PIPPINGIO, oratore ſacro aulico principe, munus Prorectoris in Schola regia Grimana defertur, in qua, tanquam illuſtri aliquo theatro, vires ingenii explicare, et doctrinae copias, multorum annorum diligentia collectas, iuuentuti, in ſpem patriae ſuccreſcenti, impertire poſſet. Grimam igitur profectus ſpecimina publica doctrinae, facultatisque docendi ita edidit, vt omnes, harum rerum intelligentes, quandam quaſi praerogatiuam acciperent felicitatis, huic Scholae inde obuenturae. Dresdam reuerſus, cum Generoſiſſimorum Ephororum et Praeſitum huius Scholae, IO. FRID. de SCHVLENBVRG, et IO. GEORGII de MINCWITZ, tum Rectoris, et Praefecti oeconomiae, teſtimonio honorificentiſſimo ornatus, ſolemni ritu in ſupremo Senatu Eccleſiaſtico ad hoc munus inauguratus eſt, quod ſub finem eiusdem anni, Deo duce et auſpice, iniit.

Venio nunc ad SCHVMACHERI publicae vitae partem, praecipuam illam, et illuſtrem, qua mihi cognitus praecipue fuit, et qua omnibus bonis, accurataeque doctrinae iudicibus elegantibus mire ſeſe probauit, dignumque reddidit, cuius memoria colatur, poſteritatisque famae ſtudioſe commendetur. Quae praedicatio noſtra ne quibusdam

busdam hominibus ieiunis, malignisque meritorum SCHVMACHERI aestimatoribus maior vero, et aliquid ἐητορικώτερον habere videatur; age, de tota eius docendi, et instituendi iuuentutem, scholamque regendi ratione, quam breuissime fieri poterit, exponamus.

In virtutibus praecipuis, scholae magistro maxime necessariis, praeter pietatem, omnium virtutum reginam, ponendae sunt hae quatuor: *prudentia, accurata et sapiens docendi ratio, fides in docendo, et laboris patientia:* eas vero omnes in SCHVMACHERO repertas fuisse, vno omnes ore confirmant, qui ex eius disciplina sunt profecti. *Prudentia* scholae magistri cernitur inprimis in eo, vt, cum primum munus docendi, instituendaeque iuuentutis inierit, relictis omnibus, vniuscuiusque discipulorum ingenium, animumque exploret, ad quorum diuersitatem docendi, instituendique rationem conformet suam. Quod cum SCHVMACHERVS probe intellexisset, sub ipsa muneris obeundi auspicia hoc negotii sibi datum inprimis credidit, vt ingenium, animique indolem cuiusque discipulorum cognosceret et perspiceret, qua cognita eo facilius posset, feliciusque iudicare, qua arte cuiusque ingenium formandum, animusque fingendus sit, et blanda quasi vi capiendus. Nam omnes omnino discipulos, in frequentiori praesertim coetu, atque adeo in magna ingeniorum, animorumque diuersitate, vno, eodemque doctrinae, et disciplinae genere continere velle, id vero est quodammodo cum ratione ipsa insanire. Quod si facere institueris:

Infelix operam perdas: vt, si quis asellum
In campo doceat parentem currere frenis.

Sunt enim *quidam*, vt recte QVINCTILIANVS, (Lib. Institutt. Orat. I, 3.) *nisi institeris, in literis remissi: quidam imperia indignantur: quosdam continet metus, alios contra ea debilitat et deiicit: alios continuatio, assiduitasque extundit,*

extundit, talesque, quales esse volumus, reddit; in aliis plus impetus facit: in aliis calcaribus, in aliis frenis vtendum est, vt hi, petulantiae, insolentiaeque audacia exultantes, reprimantur, illi cunctantes et verecundantes incitentur; alios mordebit obiurgatio, alios in officio continebit metus; alios iuuabit laus, alios excitabit spes, praemioli cuiusdam consequendi. Haec, huiusque generis alia, magis experiendo cognoscenda, quam pratione docenda, scholae magistro diligenter sunt, solliciteque obseruanda, ad eorumque normam omnis disciplinae ratio conformanda et componenda est. Ad huius prudentiae regulam suam docendi, instituendique rationem SCHVMACHERVM direxisse, vel illud documento luculento est, quod per L. fere annos, quibus Conrectoris primum, postea Rectoris munere in nostra schola regia functus est, discipulos, sapienti, prudentique disciplina ita in officio continuit, vt in tanto alumnorum, ingeniis, animisque valde discrepantium, numero paucos inmorigeros, obstinatos, contumacesque haberet. Et cum probe sciret, adolescentulos, suae sibi licentiae relictos, nihil agere, et nihil agendo male adeo agere; non temere eos solos relinquebat, sed saepe, cum, remotis omnibus arbitris, sibi solis agere videbantur, subinde opprimebat, adeo vt hac prudenti vigilantia, interventuque nec opino eos intra modestiae, officiique fines contineret. Eadem prudentia vtebatur in ratione docendi, cum non eadem seueritate ab omnibus pensa aeque accurate elaborata, aut edisscenda exigeret, sed adolescentulis ingenii paullo tardioris aliquid remitteret, imbecillitatique virium condonaret, adeo, vt, grauissimam D. PAVLLI auctoritatem secutus, quodammodo omnia omnibus fieret, h. e. se, suaeque doctrinae rationem ad cuiusque discipuli vires ingenii componeret. Quae quidem regendi, instruendique iuuenum animos ratio, quam accommodata iuuentutis vtilitati, quamque fructuosa fuerit, vnusquisque ipse intelligere potest.

Docen li

Docendi ratione vtebatur, breui illa quidem, et circumſcripta, perſpicua tamen et accurata, viribusque diſcipulorum, rationibusque accommodata. Scilicet longe ab eorum magiſtrorum ſcholae vanitate aberat, qui, putida quadam magnae, eiusque variae eruditionis oſtentatione ducti, opinionem, neſcio quam, de ſua, ad ſtuporem vsque magna, eruditione in animis adoleſcentulorum, elegantium, ſi Diis placet! verae doctrinae iudicum, excitare ſe poſſe credunt, ſi omnes Commentatores in librum, qui explicandus eſt, miſere compilando, acerbasque per Lexica exactiones exercendo, indicumque loca maſcule exſcribendo, magnae molis volumen adnotationum conſcribunt, ex eoque, quicquid ex aliis anxie corraſerunt, diſcipulis bona fide praelegunt, calamisque excipiendum dictant, adeo, vt ſaepiſſime iſtud conſarcinatum volumen doctoris, doctor autem ipſe lectoris munere fungatur. Sed ſic boni viri non intelligunt, iſtam vanam obſcurae diligentiae, eruditionisque oſtentationem, multa habere, quae iuvenum rationibus obſint magis, quam proſint. Nam primo, ingrato iſto, et quodammodo ſeruili per totas fere horas calamis excipiendi, quae traduntur, labore et manus fatigantur, et vires animi quodammodo deteruntur, atque adeo docendi ratio, quae, quam fieri poſſit, iucundiſſima eſſe debeat, ingrata, et maxime moleſta diſcipulis redditur, voluptasque diſcendi ipſa, blandis quibusdam incitamentis et concitanda, et retinenda, imminuta ſenſim extinguitur. Porro, ex hac magna, ambitioſaque congerie rerum, in calamos dictatarum, in quibus multae inutiles, iuuenum certe aetati nondum neceſſariae, omiſſis ſaepe neceſſariis, reperiuntur, incommodi oritur hoc, quod, vti ventriculus nimio cibo et potu, ſic memoria nimia rerum traditarum copia obruta, quaſi frangitur. Diſcipuli igitur, adultiores facti, multa neceſſaria non didicerunt. Habet denique haec vana docendi ratio et hoc, incrementis bonarum literarum perquam pernicioſum, quod, quae vnius

anni

anni ſpatio et tradi, et percipi poterant, vix intra quinque ad ſex annos abſoluantur, adeo, vt diſcipulis, ingenii paullo excitatioris, cum anicula illa Terentiana dicendum ſit: *mouemus, ſed non promouemus.* Quanto ſapientior, et ad laudem Praeceptoris elegantior, ad iuuenum autem vtilitatem fructuoſior erat ratio docendi SCHVMACHERI, qua et res, et verba breuiter, perſpicue tamen et accurate, ſine omni diffuſae lectionis oſtentatione, explicabat, locis, librisque fideliter indicatis, vnde diſciplinae alumni vberiorem interpretationem, illuſtrationemque petere poſſent. Quae res et iuuenum attentionem retinebat, ingenium cognitione rerum, etſi non multarum, neceſſariarum tamen vtiliſſimarumque alebat, iudicandi vim acuebat, et abſoluendis interpretatione breui tempore optimorum auctorum locis, miram commoditatem, facilitatemque afferebat. Quemadmodum autem ipſe ex eo inde tempore, quo magni SCHVRZFLEISCHII, acerrimi purae latinitatis ſtatoris et vindicis, diſciplina vſus fuerat, magnam latine ſcribendi facultatem conſecutus erat: ita etiam ſuae diſciplinae alumnos latine ſcribendi exercitatione diligentiſſime continuit, multosque eo perduxit, vt, ſi quis ſcriptum aliquid ab iis legerit, magnam iis cum Cicerone familiaritatem intercedere, intelligat.

Neque vero minor in docendo erat viri oprimi fides, cum non ſolum fideliter traderet, quae e re iuuenum, prò aetatis, ingeniique ratione, putaret, fontesque ſtudioſe indicaret, vnde ipſe hauſiſſet, et vnde adeo ipſi, plura deſideraturi, ſitim ſuam abunde reſtinguere poſſent; ſed optimos etiam libros in eam rem iuuenibus cum e ſua ipſius, tum ſcholae noſtrae bibliotheca, cuius coſtodia, praeter morem, Ei, adhuc Conrectori, a ſuperioribus concredita fuerat, in manus traderet, ratus, hominis eſſe ingenui, liberaliter fateri, per quem profeceris. Neque enim ieiuni, malignique animi erat, vt multi ſunt, qui, quo facilius iuuenibus perſuadeant, omnia iſta, quae tradunt, ſoli ſuo

se ingenio, iudicandique acumini, aliis autem parum, aut nihil, debere, studiose celare solent fontes, vnde omnia sua hauserunt. Sed SCHVMACHERVS, vti in aliis, ita et in hac re ab ista vanitate longissime erat remotus.

Patientiae autem, quae quarta est scholae magistri virtus, luculentissima documenta edidit non solum in labore scholastico subeundo, et sine leuissima querela perferendo, et in multis multorum cum aliorum, tum discipulorum iniuriis, molestiisque deuorandis; sed etiam in statis praelectionibus religiose habendis, nec vlla, nisi grauissima de caussa omittendis, in iisdem rebus, vicies, tricies tradendis et repetendis sine minima cuiusdam indignatiunculae nota, quas iuuenum vel tarditas non ceperat, vel leuitas animo effluere passa erat.

Ex hac autem prudenti, sapientique instituendi et docendi iuuenes ratione, fideque et patientia laboris ea ipsi obuenit felicitas, vt incredibilem fere numerum optimorum, doctissimorumque virorum, quibus magna hodie rei et ecclesiasticae, et ciuilis pars commissa est, ex sua disciplina profectorum, non sine dulcissimo animi sensu videret: in quibus haud dubie et dignitate munerum, et doctrinae splendore D. IO. GOTOFRED. HERRMANNVS, et D. IO. IOACH. GOTTLOB AM-ENDE, magna illa Dresdensis, siue potius totius Ecclesiae nostrae ornamenta et Praesidia, principatum tenent, quos suae quoque disciplinae alumnos olim fuisse, optimus senex sincere gaudebat, et Apostolica quadam καυχήσει gloriabatur. Neque minus dulcissimae voluptati sibi esse dicere solebat, laetitiamque quasi geminari sentiebat, cum, quorum parentes olim discipulos habuisset, eorum liberos postea disciplina, doctrinaque formandos accepisset; tunc enim quasi auum in literis tradendis sese putabat: quemadmodum et hoc in magna aliqua voluptatis parte ponebat, quod socer esset duorum Collegarum, Conrectoris, et Collegae III. in eadem schola regia bonas literas profitentium.

Anno

Anno CIↃIↃ CC XXXVI. cum M. GEORGIVS ERMELIVS, Rectoris munere in ſchola Regia Grimana multos annos cum inſigni laude functus, ſenex et annis, et meritis venerabilis, rude donatus, honeſtoque ſtipendio annuo ſubleuatus ornatusque, vacationem ab omnibus omnino laboribus ſcholaſticis eſſet conſecutus: non diu fuit Proceribus Dresdenſibus deliberandum, cui ampliſſimum illud, grauiſſimumque munus committendum putarent. Nam SCHVMACHERVS aderat, Vir pietate, probitate, doctrina, prudentiaque et iuuenes inſtituendi, et ſcholam regendi dudum conſpiciendus. Itaque nulla mora interpoſita, vna omnium, et conſentiente voce illud munus Ei confertur, ſpe non fallaci concepta, fore, vt, qui dignitatem ſecundi loci inter doctores in ea ſchola tam egregie ſuſtinuiſſet, eum et primi eſſe ex voto tuiturum. Quod eo certius ſperare poterant, quo plura quaſi pignora virtutum, ſcholae magiſtro maxime neceſſariarum, a SCHVMACHERO habebant. Neque eos hanc ſpem fefelliſſe, feliciſſimus docuit euentus. Nam in obeundo hoc Rectoris munere, vti dignitate amplo, ita adminiſtratione perquam difficili, et valde lubrico, ita verſatus eſt, vt per XX. annos, quibus illo functus eſt, Proceres Dresdenſes nunquam de eo male opinandi cauſſam haberent, ſed in dies potius magis, magisque laetarentur, ſe hoc munus Illi contuliſſe, tantumque beneficium in loco poſuiſſe. Quemadmodum autem in Conrectoratus munere omnes partes pii, probi, docti, indefeſſi, prudentis, diſcipulorumque ſuorum amantiſſimi praeceptoris impleuerat: ita et nunc nouo, eoque ampliori honore auctus, eas virtutes magis, magisque ſummis Patronis ſtuduit probare. Inprimis in huius muneris administratione multa ſane, et luculenta prudentiae ſcholae regendae, edidit documenta. Quibus ratio trium ſcholarum regiarum in ditione Saxonica cognita eſt, ii ignorare non poſſunt, rem eſſe difficultatis, moleſtiae, laborisque plenam, ſcholam tam prudenter regere, vt iuuenum, ma-

gnam partem petulantium, lasciuientium, ferocium, contumacium, et dies, noctesque iisdem parietibus, murisque incluſorum, turbis, et, exinde redundaturis, maioribus malis caueatur, aut gliſcentibus mature occurratur, ne in flammas quaſi erumpant. Nam, quo numeroſior eorum iuuenum coetus eſt, quo maior ingeniorum, animorumque diuerſitas, quo arctius vna incluſi tenentur, eo ſaepius fieri ſolet, vt effrenis iſta iuuenilis licentia, diſciplinam nimis ſaepe indignari, frenumque mordere ſolita, aut in commilitones ſuos ferocius exultet, aut erga ipſos adeo Praeceptores indecore ſe gerat, aliosque etiam, iſta contagione quaſi infectos, in iſtud malitiae conſortium trahat. Hac in re inprimis SCHVMACHERI prudentiam ſcholae regundae laudare, et admirari fas eſt. Nam aſſidua cura, et vigilantia, qua pro ſalubri noſtrae ſcholae diſciplina tuenda excubabat, ſaepiſſime pernicioſas iſtas turbas anteuertit, aut, ſi erupturae eſſent, prudenti arte iis occurrit, cum eos, qui ab officii ſui religione receſſiſſent, admonendo, cohortando, blanda quadam grauitate obiurgando, minando, aut, ſi his lenibus, aegris animis medendi, rationibus nihil effeciſſet, caſtigando ad officium redigeret ſuum. Hac autem ſeuera diſciplinae ratione non vtebatur, niſi vbi ipſius ſcholae ſalus Ipſi triſtem puniendi neceſſitatem impoſuiſſet. Erat enim Vir mitiſſimi ingenii, et in delictis, non a malitia, ſed temeritate iuuenili profectis, condonandis facillimi. Quodſi quis vnus, et item alter aliquid commiſerat, quod per leges ſcholaſticas impune ferre non poterat; illius delicti poenas non repraeſentabat, probe quippe aliorum exemplis edoctus, hominem, qui indignitate delicti commotus, iratusque ad poenam exigendam accedat, mediocritatem illam, Peripateticis tantopere laudatam et commendatam, quae inter nimium, et parum eſt, nunquam tenere, ſed, re probe ſecum deliberata, et cum Collegis etiam de more communicata, tum demum poenas irrogabat. In ipſa autem

autem tristi necessitate puniendi diligentissime cauebat, vt ne maior poena, quam culpa, esset, aut in contumeliam eius, qui deliquerat, irrogata videretur; sed vt omnes intelligerent, hanc poenam ad totius scholae salutem, commilitonumque admonitionem saluberrimam referri, neque aliud, quam castigati emendationem, quaeri. Hoc igitur animo cum esset SCHVMACHERVS, vt etiam tum, cum iudicis personam induere, seuereque adeo, e scholasticarum legum auctoritate, cum disciplinae alumnis agere cogeretur, animum tamen Parentis, liberorum amantissimi, non exueret: ad intelligendum perquam facile est, Eum disciplinae suae alumnos hac seueritate, humanitatis comitate condita, in officio continuisse, et non magis metu, quam amore obsequentes sibi reddidisse.

Viginti fere annos Rectoris munere non minori cum laude, quam studiosae iuuentutis fructu, functus erat, cum ecce hic Septuagenarius, ad admirationem omnium viribus et animi, et corporis vegetus et firmus, Senex An. clɔIɔCCLV. in Inspectione, quam vocant, scholastica, singulis hebdomadibus per orbem ad Praeceptores redeunte, quum solemnibus precibus matutinis, in Auditorio habendis, interesse vellet, hemiplexia tactus fere concidebat. Adiutrice alumnorum praesentium manu erectus et sustentatus, domumque deductus tam grauiter decubuit, vt ipsi Medici, qui tamen plerumque in desperatis etiam rebus optima quaeque sperare iubent, Eum pro deposito, conclamatoque haberent. Postea autem D. MOEBII, viri experientissimi, et in valetudine corporis humani tuenda, restituendaque feliciſſimi, scientia et cura diligentissima, medicinaque praesentissima, et inprimis prouidentia diuina, qui hunc optimum Senem nostrae Scholae aliquot adhuc annos concedere voluit, elapsis paucis hebdomadibus conualuit, ita tamen, vt in sinistro latere imbecillitas quaedam neruorum ad finem vsque vitae remaneret, quae im-

 pediuit,

pediuit, quo minus neque pes, neque manus ſiniſtra officio rite fungi poſſet ſuo. Praeter omnem igitur opinionem, quamquam non ita, vt ipſe, et cum Eo omnes boni optarant, reſtitutus, etſi Senex ſeptuagenarius, et de hac ſchola noſtra L. fere annos optime meritus, munere ſeſe abdicare, et in otio honeſto, quicquid vitae ſupereſſet, tranſigere poterat, praeſertim cum ſuppeteret, vnde honeſte vivere, ſeque tueri poſſet; tamen, cum laboris, cui ab ineunte aetate aſſuefactus erat, patientiſſimus eſſet, amore autem miro inuentutis ſuae ſcholaſticae teneretur, noluit domi ſedere, et ſolitudinis quaſi torpore langueſcere, ſed, quantum vires corporis (nam in animi, ingeniique vires iſta hemiplexia vim nullam habuerat,) patiebantur, redibat ad ſtatos ſuos labores, munusque ſuum, vt antea, commutatione tantum horarum matutinarum cum aliis facta, et Inſpectione ſcholaſtica genero Ipſius, M. SIGISMVNDO OPITIO, huius Scholae noſtrae tum Collegae III. nunc Conrectori deſignato meritiſſimo, Soceri ſui vicario in multis officioſiſſimo, commiſſa, eadem fide, curaque obibat. Nam neque aeſtatis feruido aeſtu, neque vrente hiemis frigore, neque pluuiarum tempeſtate turbida, impediri ſe patiebatur, quo minus quotidie forenſem veſtem ſuam ſumeret, et palliatus aliquot centum paſſus in Scholam exiret, ſiue potius, ſiniſtro quippe pede paullulum claudicans, reperet. In quo quidem amabile erat, cum miſeratione quadam Optimi Senis ſtudium videre, qui, collectis omnibus, et intenſis viribus, imbecillitatem corporis vincere nitebatur. Et ſic duo annos integros, poſt illam, diuinitus immiſſam calamitatem, quantum animo conniti, quantum viribus, et labore contendere poterat, de iuuentute bene mereri pergebat, diutius meriturus, ſi per vires corporis licuiſſet. Cum autem, viribus ſenſim, paullatimque conſumptis, ſubinde vertigine tentaretur: An. cIↃIↃCCLVII. honeſta miſſione impetrata, amploque ſtipendio annuo, quoad viueret, Regis noſtri Auguſtiſſimi

mi munificentia conceſſo, munere ſeſe abdicauit, et e vita iſta ſcholaſtica, laboris, ſaepe etiam moleſtiarum, turbarumque plena, ſe in otium, tanquam in tutum portum, recepit. Quamquam autem Scholae, tantopere Ipſi carae, et adamatae, valedixerat: ei tamen non deerat, vbi in rebus dubiis ſalutare conſilium eſſet expetendum, adeo vt eam quodammodo iuuiſſe cenſendus ſit ad finem vsque vitae, qui aliquot annis poſt ſecutus eſt.

Nam An. cIↃIↃCCLX. a. d. XV. Auguſti cum, vti antea, ita et illo die nihil ſenſiſſet, quod mortem, tam prope inſtantem, portendere videretur: circa veſperam aliquo frigore crura tangi dixit; quod depulſurus in lectulum per SCHVMACHERIAM, Eius nurum, viduam, matronam honeſtiſſimam, et virtutum ornamentis conſpicuam, deduci ſe iuſſit, dicens, ſub coenae tempus ſe ſurrecturum, et cibi quid capturum eſſe. Vix autem in lectulo decubuerat, cum Ei ſpiritus difficilior reddebatur, et, dimidio horae nondum praeterito, meatibus trahendae animae intercluſis, cum ſummo adſtantium ſtupore et luctu catarrho ſuffocatiuo, vt Medicorum filii vocant, placide, beateque anno aetatis ſeptuageſimo ſeptimo obdormiuit, εὐθανασίαν fidelium, tam ſaepe, tamque ardenter Ipſi optatam, conſecutus.

Haue! Sancta anima: et ſolida illa, nullumque unquam finem habitura, felicitate fruere!

Matrimonium inierat cum IOANNA CHRISTIANA, TEVTSCHERI Lipſienſis, Viri experientiſſimi, filia, An. 1713. a. d. 19. Iunii, quae, felici foecunditate, maritum nouem liberorum patrem reddidit. Sed haec, omnibus virtutibus ornatiſſima, matrona An. cIↃIↃCCXLII. ad feliciſſimas beatorum ſedes ex hac vita tranſiit; quemadmodum e nouem liberis quatuor acerba morte, cum magno parentum luctu, obierunt. Poſtea ante patris beatum ex

hac vita discessum M. HENR. AVGVSTVS SCHVMACHERVS, Pastor Seelitiensis meritissimus, et SOPHIA AMALIA, foemina vitae sanctissimae, et integerrimae, nupta M. CHRISTIANO NICOLAO BERMANNO, Pastori Topffseyfersdorfii vigilantissimo, fidelissimoque, placida, beataque morte ad coelestes illas sedes translati sunt ita, vt SCHVMACHERVS, sex liberis orbatus, non nisi has tres superstites reliquerit filias:

I) CHRISTIANAM CHARLOTTAM, matrimonio iunctam M. SIGISMVNDO OPITIO, scholae Regiae Grimanae iam Conrectori designato dignissimo: sed haec vno anno post b. Patris obitum vita defuncta placide obdormiuit.

II) FRIDERICAM ELEONORAM, connubii foedere sociatam CAROLO GOTTLIEB WEIßLICHIO, I. V. D. et praefecto regio Wisenburgensi.

III) MARIAM HENRIETTAM, a me in matrimonium ductam. Nepotes vidit XV.

Scripta SCHVMACHERI, quae maximam partem historiam Saxonicam attingunt, cuius inprimis amans, et studiosus erat, ordine, quo prodierunt, fere haec sunt:

1) Conspectus Valdeciae literatae ad Henr. Leonard. Schurzfleischium, Dresd. 1710.

2) Historia Adami Siberi, primi illustris Moldan. Rectoris, Grimae 1719.

3) Memoriae Antistitum Sacrorum Grimensium renouatae ad M. Christianum Feustelium, Grimae 1720.

4) Epistola ad Nobiliss. Fratres Reinhardos de meritis perillustris Parentis Io. Frid. Reinhardi, Grimae 1721.

5) Gratulatio sub auspicia noui anni ad perillustres Viros, Henricum a Bühnau, et Wolf. Gotthard a Birkholz, Grimae 1723.

6) Epistola ad Generosiss. Wolf. Gotthard de Birkholz, Grimae 1724.

7) Supre-

7) Supremum monimentum manibus piis Generosissimi Domini Wolf. Gotthard de Birkholz, Grimae 1725.
8) Gratulatio ad iuuenes florentissimos, Beniam. Bernardum Engelschallium, et Traugott Thomasium, Grimae 1725.
9) Commentatio de Fridericis, Sereniſſimis Germaniae Principibus, pacis, literarum, et scholarum amatoribus, Grimae 1728.
10) Piis Manibus Perillustris Domini a Bühnau Supremum monimentum erectum, Lipſ. 1729.
11) De timore Melanchthonis in Comitiis Augustanis an. 1530. obseruato, per D. Mart. Lutherum penitus erecti, Grimae 1730.
12) Epistola gratulatoria ad M. Carol. Gotofred. Engelschallium, Ecclesiasten in aula Dresdensi, Lipſ. 1723.
13) Commentatio de antiquissimo vrbis Grimae statu, Lipſ. 1735.
14) Prolusio, actui oratorio praemissa, de prouidentia Dei in scholam illustrem Grimensem singulari, Lipſ. 1737.
15) Prolusio de origine, et celebratione diei festi exaltationis s. crucis, quo natalis scholae illustris Grimensis singulis annis celebratur, Lipſ. 1737.
16) Prolusio de schola illustri Grimana, in grauissimis belli calamitatibus singulari Dei cura ac praesidio conseruata, Lipſ. 1738.
17) Prolusio de bibliothecis publicis, et inprimis de bibliotheca scholae illustris Grimanae divino praesidio et cura ab incendiorum periculo adhuc conseruata, Lipſ. 1738.
18) Prolusio de votis et strenis Christianorum, ex consuetudine veterum sub noui anni auspiciis receptis, Lipſ. 1739.
19) Prolusio de commodis, quae ciuitas Grimana ex schola illustri ibidem erecta percipit, Lipſ. 1739.

20) Prolusio de prouidentia Dei in serenissimam domum Saxonicam admirabili, Lipsi. 1740.

21) Prolusio de documentis prouidentiae diuinae in Fridericum Bellicosum, Lipsi. 1741.

22) Prolusio de signis prouidentiae diuinae in Fridericum Placidum, Lipsi. 1742.

23) Prolusio de cura Dei Praepotentis in Ernestum Pr. Electorem Saxoniae plane singulari, Lipsi. 1743.

24) Prolusio de diuinae prouidentiae documentis in Albertum Animosum, ducem Saxoniae, Stirpis Albertinae conditorem, plane singularibus, Lipsi. 1744.

25) Prolusio de curae ac prouidentiae Dei immortalis signis in Fridericum III. Pr. Electorem Saxoniae, Sapientis elogio posteritati commendatum, Lipsi. 1745.

26) Epistola gratulatoria ad Summe Reu. et Magnific. D. Io. Gottfr. Herrmannum, Lipsi. 1746.

27) Prolusio de Illustri pronunciato Grimensi, siue vom Grimmischen Machtspruche, Lipsi. 1746.

28) Prolusio de diuinae prouidentiae Speciminibus in Pr. Electorem Saxoniae, Ioannem, cui virtutis excellentia nomen Constantis dedit, Lipsi. 1747.

29) Prolusio de admirandis diuinae prouidentiae documentis in Io. Fridericum Magnanimum, Lipsi. 1748.

30) Prolusio de singularibus diuinae prouidentiae documentis in Mauricio, Duce et Pr. Electore Saxoniae in XII. belli expeditionibus obseruatis, Lipsi. 1749.

31) Epistola gratulatoria ad Virum S. R. et Magnific. Io. Ioachimum Gottlob Am-Ende, qua ostenditur, Museum propter Moldam ad vrbem Grimam situm multa cum Museo Alexandrino habere communia, Lipsi. 1750.

32) Prolusio in sacrum seculare secundum scholae illustris Grimanae 1750. die XIV. mensis Septembris celebrandum, Lipsi. 1750.

33) Prolusio de Augusto I. Pr. Electore Saxoniae, Dei immortalis

mortalis dono ac munere patriae commendato, et coelesti beneficio conseruato, Lipſ. 1751.

34) Prolusio de Augusto I. Saxoniae diuina gratia concesso, ob merita in rem sacram et ciuilem admirabili, Lipſ. 1752.

35) Prolusio de Christiano I. Pr. Electore Saxoniae inter motus turbatae verae religionis diuina prouidentia conseruato, Lipſ. 1753.

36) Prolusio de Friderico Guilielmo, Duce et Pro-Electore Saxoniae, ac trium Sereniſſimorum Principum Tutore, Dei optimi maximi munere dato, Lipſ. 1754.

37) Prolusio de Frid. Guilielmi Ducis et Pro-Electoris Saxoniae in rem sacram et literariam meritis, Lipſ. 1755.

38) Prolusio de euidentibus curae et protectionis diuinae documentis erga Christianum II. Pr. Electorem Saxoniae, Lipſ. 1756.

39) Prolusio de Io. Georgio I. Pr. Electore Saxon. singulari numinis diuini prouidentia in multis periculis, et graviſſimis tempestatibus bellicis conseruato, Lipſ. 1757.

Et haec quidem sunt SCHVMACHERI scripta, quorum notitia ad me peruenit, quae et iuuentuti, literarum studioſae, vtilia, et doctis lectu iucunda exiſtimamus. Quemadmodum igitur Vir doctus, in omni fere literarum genere probe verſatus, viuus voce innumeros doctrina inſtruxit: ita mortuus scriptis multos docere poteſt, adeo, vt in huius Elogii fine non incommode iisdem laudibus SCHVMACHERVM condecorare possim, quibus DAN. HEINSIVS PAVLLVM LEOPARDVM, in vita quidem ludimagiſtrum, poſt mortem autem praeſtantiſſimis ingenii, doctrinaeque monimentis relictis nobilitatum, ornauit:

Χαῖρέ μοι ὦ θνητοῖσι βοηθόε, πάντα διδάξας
Παῖδας ἐνὶ ζωοῖς ἄνδρας ἐνὶ φθιμένοις.

P. P. in Illuſtri Moldauo a. d. XVIII. Maii A. R. S. CIↃIↃCCLXIII.

VII. PRO-

VII.

PROLVSIO
DE
FINIBVS GRAMMATICI REGVNDIS.

In iis ingenii dotibus, doctrinaeque adiumentis, quibus leges noſtrae Scholaſticae inſtructum, ornatumque volunt eum, qui Rectoris munere in Schola regia rite fungi velit, ponitur in primis et haec, *vt ſit bonus Grammaticus.* Quo quidem nomine, etſi probe ſcio, veteribus auctoribus edoctus, variam, eamque accuratam omnium fere artium liberalium ſcientiam ab eo requiri, qui Grammatici nomen iure tueri, ſuſceptique muneris dignitatem doctrinae praeſtantia adaequare velit: tamen a multis, qui vltra CELLARII vocabularium, aut HEDERICI Lexicon in linguae latinae intelligentia non multum ſapiunt, nomen *Grammatici* ita accipi, ſaepe intellexi, vt huiusmodi Scholae Rectori perquam exigua, et fere nulla doctrina, concedatur, ipſaque Rectoris perſona, ſi non in contemptum trahatur, vltimum certe in eruditorum cenſu obtineat locum. Nam qui hanc *Grammatici* notionem, a ſcholaſticae inde vitae annis, et Grammaticae heu! nimis amarae recordatione tractam, animo ſuo informatam habent, vt nomine *boni Grammatici* audito, ſibi vllum aliquem Scholae magiſtellum fingant, qui, in omnium fere bonarum literarum inſcitia, ſubleuatus felici memoria, a iudicio ſaepe non ſatis fideliter adiuta, omnes regulas Grammatices Schmidianae, aut Welleriana-

nae,

nae, paginis adeo (incredibile dictu!) allegatis, recitare, et pueris, institutioni ipsius, fideique concreditis, graui, atroci etiam interdum, vultu, magnoque saepe verborum minantium tonitru tradere et inculcare potest, qui, igitur, eiusmodi *Grammaticum* animo concipiunt, quem alium sibi fingere possunt, quam hominem, felicis quidem memoriae, nimis diu saepe expectantem iudicium, doctrinae autem fere nullius. Saepe ego in circulis, variisque variorum hominum sermonibus, qui sibi etiam aliquid sapere videbantur, audiui quosdam, cum dicerent: miram esse hodie bonorum Scholae magistrorum paucitatem; se olim in Schola, nescio qua, habuisse vnum aliquem praeceptorem, qui *admirabilis* fuerit *Grammaticus*. Hic ego cum interrogassem: qua tandem in re istae *admirabilis tui Grammatici* virtutes cernebantur? responsi tuli hoc: eum ad vnguem, quod dicunt, regulas Grammaticae Schmidianae tenuisse, memoria fida, ne in vocula quidem titubante, recitare, et, in quo summa rei nimirum vertitur, exquisitis phrasibus illustrare potuisse. Alios audiui, cum crassam Scholae magistri ignorantiam omnium fere bonarum literarum defenderent ita, vt dicerent: ***bonus tamen est Grammaticus***. Scilicet, hi boni viri *Grammaticum* ab omni fere doctrina, liberaliumque artium scientia excludere, ac tantum in Scholam aliquam inferiorem, coetumque puerorum, tanquam in pistrinum aliquod, detrudere, et compingere videntur. Ego horum hominum sermones, ineptos sane, et ab ignorantia profectos, etsi tunc tacito risu transmittendos, neque vnquam, occasionem oblatum mihi iri, existimaui, huius male sanae opinionis, de *Grammatico* conceptae, conuincendae: tamen, cum nuper Rectoris munus in hoc Illustri Moldano, auspiciis Augustissimi Regis nostri, patris patriae Optimi, curae meae esset, fideique commissum, et leges scholasticae, Rectori peculiariter scriptae, mihi, ad hoc munus inaugurando, publice praelectae, grauiterque iniunctae,

exigant

exigant hoc, vt Rector *bonus sit Grammaticus:* illico ista res animum tetigit meum, pepulitque adeo, vt commoda hac occasione, qua memoriam Illustris huius Moldani, ante hos ipsos CCXIII annos constituti, pia, laetaque mente recolimus, de vera *Grammatici* notione atque dignitate, et de *Grammatici* adeo finibus regundis disputarem. In qua quidem disputatiuncula suscipienda non secutus sum hoc, vt hac Opella mea istis iudicibus istam de *Grammaticis* conceptam opinionem, non nimis sane honorificam, eriperem, qui sciam, quam quis puer imbiberit opinionem, eam nimis tenaciter animo inhaerere, et difficillime evelli; aut *Grammaticos* ipsos ab istorum semidoctorum contemptu vindicem, quem quiuis *Grammaticorum* non magnopere curandum putabit; sed, vt iuuenes, bonarum literarum amantes, et praeconceptarum opinionum tanquam vinculis nondum impeditos, docerem, quam ingens spatio sit, quam admirabilis multitudine, et varietate rerum campus, quem doctrina *Grammatici* debeat emetiri. Neque vero haec omnia a me in *Grammatici* laudem disputabuntur, vt eorum studium, et operam, qui in Grammatices elementis, regulisque, iuuentutem, studia literarum aemulantem, docendis occupati sunt, contemnam, aut vilis pendam, vt forte ieiunus aliquis, malignusque consilii mei interpres cauilletur. Nam quid ego hominis essem, si horum hominum operam leuem, tenuemque existimarem, quae in re et vtilissima, et maxime necessaria versatur, qui probe sciam, si quis Grammatices elementis, rudimentisque antea non fuerit imbutus, eum sapientiam, doctrinamque consequi non posse? Omnem istam iniquam et sinistram opinionem, quam quis forte, non optime erga me animatus, de me concipere possit, deprecor, et quam longissime a me volo remotam. Mihi in tota hac disputatione instituenda nullum aliud consilium fuit, nisi hoc, vt docerem, veteres longe aliam, eamque ampliorem vim, potestatemque vocabulo *Grammatici*, ac vulgo hodie sit, subie-

ſubieciſſe, finesque longe latiores eius muneri, profeſſionique definiiſſe atque conſtituiſſe.

Omnino magnus hodie, isque popularis fere error in multis rerum nominibus vſurpandis verſatur, profectus ille ab ignorantia, diuturnoque vſu poſtea confirmatus. Sic, vt hoc vno nunc vtamur, vulgo hodie eum *boni Poetae* nomine inſigniunt, qui aliquam rem oratione vincta proponere, et in pedum numeros, ſaepiſſime verbis miſere contortis, cogere poteſt, quamuis natura deſtitutus felici illa fingendi facultate, in qua omnem vim, et quaſi animam Poetices cerni, Ariſtoteles, aliique huius diuinae artis magiſtri praeſtantiſſimi iure contendunt. Pangat mihi quis vnum, et item alterum Carmen, quamvis incultum, atque horridum, et ſtatim honorifico illo *boni Poetae* nomine ornabitur: cui homini ſi multum honoris habere velles, nomen *verſificatoris* erat tribuendum, vt quondam Quinctilianus (Lib. X. Inſt. Or. 1.) de Cornelio Seuero, *verſificator, quam poeta, melior*. Aeque inepte, et καταχρηστικῶς hodie vulgo nomen *Grammatici* vſurpant, cum doctrinam eius, munusque tam anguſtis finibus circumſcribendum putant, vt non niſi in Grammatices elementis, regulis tradendis, aut ad ſummum, in paucis auctoribus ad modum Minellii explicandis, occupetur. Longe aliam, eamque multo ampliorem, et honorificentiorem ſignificationem veteres, elegantes ſane in hac re iudices, vocabulo *Grammatici* tribuerunt, finesque multo latiores conſtituerunt, quibus ipſius doctrina contineretur: qui quam late pateant, age, nunc videamus.

Iam primum, probe diſtinguendum eſt, vt hoc in tironum, et quibus opus eſt, gratiam dicamus, inter *Grammaticum* et *Grammatiſtam:* quod vocum diſcrimen Veteres tam diligenter obſeruarunt, vt ab eo non facile recederent, niſi forte interdum, quamquam rariſſime, leuitate et incuria hominum in loquendo factum eſt, vt *Gram-*

matico

matico etiam munus, et partes *Grammatiſtae* imponerentur. Scilicet *Grammatiſtae* et erant, et dicebantur, qui pueros prima elementa et legendi, et ſcribendi, et quae dictio Nomen, quae Verbum, quae ſit coniugandi, ſingularumque vocum, ex artis regulis connectendarum, ratio, et caetera, quibus contineri ſolent ingenia puerilia, docebant. Antiquiſſimis enim temporibus legere tantum, et ſcribere pueri diſcebant, eaque aetate nihil aliud nomine Grammatices continebatur. Succedente tempore autem, poſtquam *Grammatiſtae* in ſuis ludis non harum tantum rerum elementa tradere, ſed pueris etiam Auctorem aliquem vtcunque explicare inſtituerant: factum eſt, vt, qui mediocriter eſſent a literis inſtructi, praeſertim ſi ludi magiſtri eſſent, ii omnes *Grammatiſtae* dicerentur. Vid. VOSSIVS in Ariſtarcho I, 1. Hi *Grammatiſtae* a Latinis *literatores* dicuntur, vt eſt apud Suetonium de illuſtr. Grammatic. c. 4. Nam *literae*, nude et ſine alterius vocis adiectione, auctoribus etiam dicuntur *prima iſta elementa*, quibus puerilia ingenia inſtruuntur; vid. SALMASIVS, *ὁ πάνυ*, ad Capit. Pertinac. T. I. p. 530. edit. Hackianae. Hos *Grammatiſtas* longe alios eſſe, atque *Grammaticos*, etiam illud docet, quod ſaepe apud veteres legas, vſum eſſe aliquem in pueritia hoc vel illo *literatore*, ſ. *Grammatiſta*, poſt ea autem *Grammatico*. Lampridius in Alexand. c. 3. *In prima pueritia* literatores *habuit Valerium Cordum* - - Grammaticum *in patria Graecum Nebonem*. Capitolinus in M. Anton. c. 2. *Vſus eſt magiſtris ad prima elementa Ephorione* literatore - - *praeterea* Grammaticis, *Graeco*, *Alexandro*. Neque minus luculenter, quantum diſcrimen inter *Grammaticos* et *Grammatiſtas* intercedat, intelligi poteſt ex eo, quod iure ciuili, vti caeterarum artium Profeſſoribus, ita et *Grammaticis* ab Imperatoribus Rom. conceſſa eſt immunitas, cuius beneficium nunquam *Grammatiſtis* fuit indultum: in quam rem loca dabit WOWERIVS de Polymath. c. 4. et poſt eum

eum VOSSIVS in Ariſtarcho c. 3. Scilicet veteres Grammaticam accurate diſtinguendam putarunt in ἀτελεστέραν ſ. παιδικὴν, et τελειοτέραν, h. e. in eam, quae circa prima elementa, pueris tradenda, verſatur, et non, niſi rectae lectionis, ſcriptionisque finibus, continetur; et in eam, cuius munus et profeſſio late patet, inque accurata variarum doctrinarum ſcientia occupatur: cuius quidem τελειοτέρας Grammatices Ariſtotelem ferunt auctorem. Philo! περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδεύμ. συνόδ p. m. 348. τόγε μὴν γράφειν καὶ ἀναγινώσκειν, γραμματικῆς τῆς ἀτελεστέρας ἀπάγγελμα - - τῆς δὲ τελειοτέρας, ἀνάπτυξις τῶν παρὰ ποιηταῖς τε καὶ συγγραφεῦσιν· *Grammaticae minus perfectae poſſeſſio eſt legere, et ſcribere - - perfectioris autem poetarum, hiſtoricorumque explicatio.* Idem περὶ ὀνείρ· p. 462. Λαβὼν ἀπὸ μὲν τῆς παιδικῆς γραμματικῆς δύο τὰ πρῶτα, τό, τε γράφειν, καὶ τὸ ἀναγινώσκειν· ἀπὸ δὲ τῆς τελειοτέρας τήν τε παρὰ τοῖς ποιηταῖς ἐμπειρίαν, καὶ τὴν ἀρχαίας ἱστορίας ἀνάληψιν· *Cum a puerili Grammatica haec duo accepiſſem, ſcribendi, legendique facultatem; a perfectiore autem poematum notitiam, et hiſtoriae antiquae cognitionem.* Alia in hanc rem dabit MAVSSACVS in Diſſ. Critic. de Harpocratione, eiusque ſcriptis. Cf. Sextus Empiricus adu. Grammatic. I, 2. p. 226. Edit. Fabricianae. Inepte igitur SANCTIVS in ſua Minerua I, 2. *Mihi perfectus*, inquit, *abſolutusque Grammaticus eſt ille, qui in Ciceronis, vel Virgilii libris intelligit, quae dictio ſit Nomen, quae Verbum, et caetera, quae ad Grammaticam ſpectant*, iure ibi caſtigatus a magno PERIZONIO, qui et Quinctiliani locum, SANCTIO non intellectum, accurate, vt omnia, interpretatur.

Haec duplex autem Grammaticae imperfectae, et perfectae notio, et exinde inter *Grammatiſtas*, et *Grammaticos* orta diſtinctio vni, eidemque γράμματος voci, cui et ipſe vſus loquendi, *quem penes arbitrium eſt, et ius,*

et norma loquendi, duplicem vim tribuit, originem debet ſuam. Neque enim γράμματα tantum *prima elementa, et rudimenta* notant; ſed ſaepe etiam pro *varia literarum, doctrinarumque ſcientia* ſumuntur. Vnde γράμματα apud Graecos interdum ſunt, quae nos hodie *ſcripta* vocamus, ſiue oratio vincta ſit, ſiue libera, nullisque numeris adſtricta. De oratione ſoluta notiſſima ſunt haec Callimachi, Epigrammatt. 24.

Πλάτωνος
Ἓν τὸ περὶ ψυχῆς γράμμ' ἀναλεξάμενος·

vbi per ἓν Πλάτωνος γράμμα vnusquisque, paullo humanior, videt, Platonis Phaedonem eſſe intelligendum. Sic Lucianus in Lexiphanis initio γράμμα pro βιβλίῳ vſurpauit. De oratione autem, numeris adſtricta, γράμμα dici, idem Callimachus (Fragment. 242.) docet:

Γράμματα δ' οὐχ ἕιλισσεν ἀπόκρυφα,

ſiue, vt VALKENARIVS, vir graece doctiſſimus, ad Ammonium p. 38. pro ἕιλισσεν e MSto Etymolog. M. ἕιλισσαν legit. Alia in hanc rem dabit Ammonius de differ. vocc. in voc. Γράμμα, et laudatus VALKENARIVS in Animaduerſ. ad eundem pag. 55. ſqq. Quamquam igitur Grammatica perfecta a γράμμασι h. e. a primis elementis nomen ſuum traxit; tamen eius ſignificatio, profeſſio et munus poſtea latius patuit, adeo, vt variarum doctrinarum cognitione accurata contineretur. In quam rem inſignis locus apud Sext. Empiricum adu. Grammatic. I, 2. eſt, paullo longior autem, quam qui huc transferri poſſit. Grammatica autem perfectior, vnde *Grammatici* dicti, ſummis olim philoſophis, Alexandrinis inprimis, digna viſa eſt, ad quam excolendam, exornandamque ingenium, ſtudiumque conferrent, rati, vti eſt, hanc Grammaticam eſſe quandam clauem omnium diſciplinarum, cum, bonis auctoribus, ope Grammatices h. e. lingua-

linguarum, non intellectis, artes, disciplinasque liberaliores neque accurate ipsi discere, neque alios rite docere possimus. Non est igitur, quod mireris, summae etiam dignitatis viros Romae in huius Grammatices studio olim versatos esse, magnoque in honore fuisse habitos: de qua re est apud SVETONIVM de illustr. Grammaticis.

Declarato igitur, et constituto discrimine, quod inter *Grammatistas* et *Grammaticos* s. *literatores* et *literatos* intercedit; via et ratio disputandi exigit, vt *Grammatici*, quo hic vtimur, munus definiamus, eiusque fines quasi regamus, quos hodie multorum siue inscitia, siue malignitas nimis coercendos, cohibendosque putat. Nam equidem longe absum, vt dubitem, quin auctor nostrarum legum scholasticarum, quem magnum illum CAMERARIVM fuisse ferunt, eum *Grammaticum* intellexerit, quem veteres, omnesque eruditi hodie intelligunt. Quodsi enim GRAMMATICVM intellectum voluisset eum, qui prima literarum elementa, praecipuasque Grammatices regulas pueris tradere, aut vnum et item alterum auctorem, ope Lexici, vtcunque explicare, phrasibusque dictandis scite illustrare possit; causam non video, quare vnus aliquis Baccalaureus Wurcenensis, aut Leisnicensis Rectoris muneri, in Schola Electorali obeundo, non aeque, atque alius, praefici possit. Sed nimirum *Grammatici*, quem leges nostrae scholasticae volunt, munus maius quiddam est, quam homines vulgo opinantur, et pluribus ex artibus, studiisque collectum. Neque enim poterit *Grammaticus* omni laude esse cumulatus, nisi erit omnium liberalium doctrinarum scientiam consecutus. De quo *Grammatici* munere iam breuissimis disputabimus. In qua re veteres, tanquam arbitros finibus regundis, sequemur, ex eorumque arbitrio pronunciabimus, atque constituemus, quam late pateant *Grammatici* fines.

De *Grammatici* igitur munere, professioneque, ex auctoritate veterum, disputaturus, recte, sapienterque facturum me esse, existimo, si tanquam primas partes delegem QVINCTILIANO, quo nemo melius hanc rem intellexit, aut diligentius tradidit. Is igitur *Grammatici* doctrinam, officiumque duabus rebus definit, nempe et *scientia loquendi*, et *poetarum enarratione*. Vide eum Lib. I. c. 4. Institutt. Orat. et eundem c. 9. eiusd. libri: *Et finitae quidem sunt partes duae, quas haec professio* Grammatici *pollicetur, id est* ratio loquendi, *et* enarratio auctorum: *quorum illam methodicen, hanc historicam vocarunt*, tertia parte, κριτικῆ, vtrique immixta, vt recte iudicat MORHOFIVS in Polyhist. T. I. p. m 716. Scio, alios aliter Grammatices, et Grammatici terminos definire: sed non, nisi verbis, a QVINCTILIANO discrepant, re autem ipsa amica conspiratione cum eo consentiunt. Neque enim, rem ipsam si spectes, ab eo dissentit Sextus Empiricus, cum Lib. I, 4. adu. Grammatic. Grammaticam, Grammaticique adeo professionem in partes tres describit, quarum prima est τὸ τεχνικὸν, s. *artificiosa*, quae versatur circa tradenda prima elementa, et partes orationis, circa orthographiam etc. quae pars, etsi proprie ad Grammaticam ἀτελεστέραν pertinet, tamen a *Grammatici* scientia abesse nec debet, nec potest: altera τὸ τῆς γραμματικῆς ἱστορικὸν, h. e. quae exponit de personis cum diuinis, tum humanis, et heroicis; aut narrat de locis, vt montibus et fluuiis, et aliis huiusmodi rebus: de qua Grammatices parte vide pluribus exponentem VOSSIVM in Aristarcho I, 5: tertia denique, τὸ ἰδιαίτερον, quae versatur in exponendis, enarrandisque Poetis, et historicis, in illustrandis, quae obscure ab iis, et ambigue sunt dicta, in diiudicando, quae accurate sunt, et eleganter, quae secus dicta, et in discernendo genuina ab adulterinis. Neque Ciceronis aliud est de Grammatico, eiusque partibus iudicium, cum de Orat. I, 42. *Grammaticis* tribuit *poetarum pertractationem;*

tionem, hiſtoriarum cognitionem, verborum interpretationem, et pronunciandi quendam ſonum. Alias veterum ſententias de munere, finibusque *Grammatici* cognoſcat, cui volupe eſt, apud WOWERIVM de Polymath. c. 8. ſqq. et VOSSIVM de arte Grammatic. I, 4. ſq., qui data opera hac de re expoſuerunt. Nam copioſam de hac re diſputationem neque conſilii noſtri ratio patitur, neque anguſti capiunt termini, quibus hanc proluſionem includendam putauimus.

In Grammatici igitur finibus regundis QVINCTILIANVM, tanquam arbitrum quendam honorarium, ſequemur, et *Grammatici* adeo profeſſionem, atque doctrinam et *loquendi ſcientia*, et *poetarum enarratione* definiamus et circumſcribamus. Neque vero in hoc loco exponendo ita verſabimur, vt, quae aut lecta in hanc rem memoria fida ſuggerit, aut inuenienda facile bonorum librorum copia ſuppeditat, ea congeſta afferamus, praeſertim cum diſputemus de re, viris doctis iam dudum ſatis et cognita, et diſceptata; ſed quae inſtituto, ſuſceptaeque rei conſilio videntur conuenire.

Recte loquendi ſcientia, quam primam partem profeſſionis *Grammatici* QVINCTILIANVS facit, plus ſane in receſſu habet, quam fronte promittit. Neque enim hac *Grammatici* virtute QVINCTILIANVS qualemcunque graecae, latinaeque linguae facultatem intelligit, cuius ope adiutus vtcunque poſſis animi ſenſa exprimere; ſed accuratam, et conformatam ad praeſtantiſſimorum auctorum orationem, qua, quicquid inciderit id pure poſſis, venuſte, eleganter, et artis regulis conuenienter dicere, et ipſe iudicare, quid accurate ſit, pure, eleganterque dictum, quid minus. Quis autem non ipſe intelligit, ſine eorum auctorum, a quibus norma, et regula recte loquendi petenda eſt, intelligentia, ſine aſſidua, diligenti, curioſaque innumerorum auctorum, ea lingua conſcriptorum, lectione,

ne, hanc orationis facultatem, hanc recte loquendi scientiam neminem consequi posse? Recte loquendi scientiam antecedat necesse est accurata linguae, quam loqui velis, cognitio: hanc autem assequi, multo maioris operae, laborisque difficilioris est, quam multi credant. Nam excutiendum est omne probatorum scriptorum genus, a quibus recte loquendi scientiam discere, et ad quorum orationem tuam velis dicendi, scribendique rationem conformare: innumerae res, et animaduersiones, paruae illae quidem, si nude spectantur, ad intellectum autem graviorum rerum maxime necessariae, diligenti, curiosaque obseruatione tenendae sunt, quae, quo minutiores videntur, hoc ad retinendum memoria sunt difficiliores, cum, his minutiis, vt vulgo dicuntur, neglectis, saepissime in rebus grauissimis et intelligendis, et interpretandis facillimus sit lapsus, neque in profanis tantum auctoribus, vbi peccatur tutius, sed in libris etiam sacris, vbi harum minutiarum ignorantia crassos saepe, et pudendos errores peperit: quod facile probare, magnorum etiam virorum exemplis, possemus, si hoc iam ageremus, aut ex aliorum erroribus notandis gloriolam quandam aucupari vellemus. Neque vero QVINCTILIANVS prima *Grammatici* virtute, *recte loquendi scientia*, facultatem solum, pure, eleganter, linguaeque indoli conuenienter loquendi intelligit, sed ea etiam *verborum interpretationem* comprehendit, quam Cicero, loco paullo ante laudato, discere, a *Grammatico* requiri, dicit. Intelligitur autem verborum interpretatio non puerilis, qualis vulgo in exponendis auctoribus veteribus animaduertitur, quae vocem v. c. graecam obscuram latina, aeque obscura, saepe obscuriori adeo reddit, sed accurata, h. e. quae ex linguae ratione, loquendique vsu docet, quae cuique voci vis sit, potestasque subiecta, quae notio iungenda, adeo, vt audientis, legentisque hanc vel illam vocem animo eadem notio obuersetur,

quae

quae obuerſabatur auctoris menti tum, cum hanc vocem ſcribebat. Quod ſine multa, curioſaque veterum lectione, ſine varia doctrinae copia, et ſine diuturna, eaque ſapienter inſtituta, interpretandi ratione nemo nec ſuſcipere, nec aſſequi poteſt. Nam, qui verborum, auctorumque interpretationem facilem eſſe, ad eamque rem non multum lectionis, doctrinaeque requiri exiſtimant, hi ſunt fere ii, qui etiam aliquando Lexico aliquo vſi ſunt, eiusque ope adiuti vulgarem illam in Cicerone loquendi formulam *capitis damnatus eſt*, **er iſt zum Tode verdammet worden**, aut in officiorum Ciceronis Lib. I. *aduerſus hoſtem aeterna eſt auctoritas*, **wider einen Feind iſt ein ewiges Anſehen**, transferre olim in linguam vernaculam eleganter, ſi Diis placet! didicerunt. Qui ita de verborum, auctorumque interpretatione iudicat, et quotusquisque eſt, qui ex inſcitia non ita iudicet? quomodo is aliter de interpretatione, quam ita, ſentire poteſt, vt eam rem perquam facilem, neque multum ingenii, doctrinaeque deſiderantem, eſſe arbitretur? Quantum autem ingenii, ſtudii, lectionis, doctrinaeque accurata verborum interpretatio requirat, optime ſciunt, qui in interpretandis cum ſacris, tum profanis ſcriptoribus diu ſunt, et cum laude elegantum in ea re iudicum verſati.

Omnino linguarum, quae maximo iure dicuntur, et habentur inſtrumenta, quibus omnis doctrina liberalis et eruditio acquiritur, et quibus vnice vera et certa interpretatio innititur, harum, igitur, linguarum accurata cognitio, qualis *Grammatici* eſſe debet, difficultatis multo maioris, vtilitatisque etiam amplioris eſt, quam iis vulgo videtur, qui in omni fere bonarum literarum ignorantia tamen doctos dici ſe, haberique volunt. Neque enim ſatis eſt, qualemcunque graecae, latinaeque linguae (vt de Ebraica iam non dicam) cognitionem e vulgaribus cuiusdam Grammatices praeceptis, et Lexicis puerilibus, verbum ad ver-

bum interpretantibus, hauſiſſe: ſed requiritur harum linguarum cognitio *interior*, longe remota illa a ſemidoctorum, imperitorumque intelligentia, quae cernitur in eo, vt quis vocum ſignificationem cum primam et propriam, tum translatam, vim et poteſtatem, elegantiam et venuſtatem probe teneat, in voces obſcuras, raras, peregrinas, obſoletas, obliuionisque tenebris quaſi ſepultas inquirat, earum ſignificatus eruat, interpretationisque luce colluſtret: quae quidem linguarum cognitio ex ipſis fontibus h. e. ex aſſidua, curioſaque optimorum in ſuo genere graecorum, latinorumque ſcriptorum lectione petenda, et ita familiaris reddenda eſt, vt cuiusdam linguae indolem, et *ἰδίωμα* probe cognitum, quo quaeque lingua ab alia diſcrepet, et quo toto orationis habitu ab altera diuerſa ſit, perſpectum habeas. Quod quanti ingenii, iudicii, ſtudii, laborisque ſit, facile intelliget, qui in his rebus aliquid videt. Recte huc transtuleris illa Longini *περὶ ὕψ*: Sect. 6. Ἡ τῶν λόγων κρίσις πολλῆς ἐστι πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα. Hoc profecto in dubitationem adduci nec poteſt, nec debet, hanc accuratam, interioremque linguarum cognitionem, et, quae inde redundat et efloreſcit, *recte loquendi ſcientiam*, plus temporis, ſtudii, laboris, ingenii, lectionisque requirere, quam opus ſit ei, qui in theologiae; aut iurisprudentiae ſtudio aliquam ſcientiam ſibi velit, famamque comparare. Et haec quidem de prima perfectioris *Grammatici* parte.

Alterum, idque praeſtantiſſimum munus, quod *Grammatico* QVINCTILIANVS iniungit, cernitur in *enarratione Poetarum*. In quo quidem tenendum eſt, QVINCTILIANVM Poetas inprimis nominaſſe, non quo oratores, hiſtoricos, philoſophos aliosque ſolutae orationis ſcriptores a finibus *Grammatici* remotos, ſeiunctosque vellet; ſed quia, *enarratione Poetarum* aliorum etiam ſcriptorum interpretationem includi, comprehendique, probe ſciebat.

Quam

Quam quidem ipſius mentem fuiſſe, quis fidelior, certiorque interpres, QVINCTILIANO ipſo, eſſe poteſt? Is igitur Lib. I. Inſtitutt. Or. c. 9. vbi de *Grammatici* officio exponit: *Et finitae quidem ſunt partes duae, quas haec profeſſio pollicetur, id eſt* ratio loquendi, *et* enarratio auctorum: vbi quam priori loco *enarrationem Poetarum* vocauit, *enarrationem auctorum*, vocabulo generis vſurpato, dicit. Scilicet, in Poetis olim omne omnium doctrinarum genus incluſum latere, et magnam diuinarum, humanarumque rerum ſcientiam, magnamque literarum varietatem et copiam diffuſam eſſe, et qui hos intelligere, aliisque rite interpretari poſſet, alios etiam ſolutae orationis ſcriptores intelligere, interpretationiſque luce colluſtrare poſſe, exiſtimabatur. In quo quidem dubium non eſt, quin recte, eleganterque iudicaſſe veteres cenſendi ſint. Nam cum in veterum Poetarum ſcriptis omne liberalioris doctrinae genus hinc inde ſparſum deprehendatur; facile eſt ad intelligendum, *Grammaticum*, Poetae interpretem, omnis generis ſcriptores legiſſe, nulliusque doctrinae liberalioris rudem, ignarumque eſſe debere, niſi in muneris ſui profeſſione turpiter deridendum ſe, explodendumque propinare velit. Verſatur in eruditorum manibus BOSSVETI, Galli, libellus, magno cum iudicii acumine, ingenii ſubtilitate, doctrinaeque copia ſcriptus, nuper etiam in linguam vernaculam translatus, quem qui paullo curioſius legerit, facile cognoſcet, Homerum, Virgiliumque, niſi magnam rerum et diuinarum, et humanarum ſcientiam eſſent aſſecuti, ingeniumque omnium doctrinarum tanquam flumine inundatum attuliſſent, iſta diuina poemata componere non potuiſſe. Neque vero hoc de his ſolum Poetis, ſed de omnibus, quos quidem antiquitatis cenſura ob ingenii diuinitatem, verborum copiam et ornatum, admirabilemque in rebus deſcribendis artem in bonorum Poetarum cenſum retulit, iure dici poteſt. Ex quo, quanta doctrinae copia, et quanta variarum ar-

tium, rerumque ſcientia *Grammaticus*, ſ. Poetarum interpres, ornatus, inſtructusque eſſe debeat, quis eſt, quin cognoſcat? Neque enim hic *Grammaticum* deſcribimus, male curioſum illum, et inepte ſedulum, qui in Graecis, Latinisque ſcriptoribus et legendis, et interpretandis, non, niſi verba, aucupatur, et orationis floſculos decerptos colligit; res autem ipſas, in quibus humaniſſimus, liberaliſſimusque animi paſtus cernitur, parum curat, et plane negligit: quales verborum, ſyllabarumque captatores, et aucupes Graecis ὀνοματοθῆραι et λεξιθῆρες dicti, et olim non defuerunt, nec forte hodie deſiderantur, qui, in verbis captandis vnice occupati, res ipſas ſusque, deque habent, ſiue, vt Clemens Alexandr. Stromat. II. p. 339. Edit. Sylburg. de his λεξιθήρεσι vere iudicat, τὰς τῶν λέξεων ἐχομένους, καὶ περὶ ταύτας ἀσχολουμένους, διαδιδράσκει τὰ πράγματα· et qui ſaepe magno animorum motu, magnaque contentione, quaſi ſalus Graeciae in ea re ageretur, inter ſe digladiantur, *Virgilius*, an *Vergilius*, *Aul. Gellius*, an *Agellius* dicendum ſit: quales nugae apud hos ceritos Grammaticaſtros numero infinitae inueniuntur, cachinno et ſibilo excipiendae, atque explodendae. Horum Grammaticorum, irato Apolline natorum, περιεργίαν ſeu ineptam curioſitatem et ſedulitatem, ſaepe cum impotenti, et ruſtica reprehendendi, corrigendi, conuiciandique adeo libidine coniunctam, acriter perſtringit Antiphanes, Lib. II. Epigrammatt. Graecor. 56.

Γραμματικῶν περίεργα γένη, ἐιζώρυχα Μώσης
Ἀλλοτρίης, ἀτυχεῖς σῆτες ἀκανθοβάται etc.

Iſtud *Grammaticorum*, ſiue potius *Grammaticaſtrorum*, genus ex hac diſputatione noſtra circumſcriptum, planeque excluſum eſſe volumus. Vtimur hic *Grammatico*, a Veteribus ficto et formato, h. e. eo, qui non ſolum exqui-

exquisitam *recte loquendi scientiam* assecutus, sed omnibus etiam iis artibus, quae dignae sunt homine liberali, perpolitus est, atque ornatus, qui nullam artem liberalem, nullam doctrinam negligit, sed omnes comites et ministros Grammatices τελειοτέρας facit. Hunc *Grammaticum* Poetarum interpretem esse voluerunt: et iure voluerunt. Nam primo, interpres Poetarum, si munere suo rite fungi, professionisque dignitatem doctrinae amplitudine sustinere, tuerique velit, non exiguam veteris historiae cum verae, tum fabulosae cognitionem habeat, necesse est, cum apud Poetas innumeris in locis ad hanc, vel illam rem, siue acciderit, siue accidisse fingatur, vno saepe verbo alludatur: quam nisi aliunde cognitam ad Poetae enarrationem attuleris, in iis locis hallucinandum tibi, coecutiendumque erit. Cum historiae autem studio coniungenda est necessario quasi vinculo et locorum, et temporum notitia; quibus siue praecognitis, siue adminiculis destituta historia manca et imperfecta, neque ad percipiendum mente facilis, neque ad retinendum memoria firma erit. Tenenda praeterea est omnis antiquitas: antiquorum morum, rituum, institutorum, et legum, iurisque ciuilis ratio cognoscenda. Neque vero sine Mathematices, Astronomiaeque inprimis cognitione *Grammaticus* ad Poetas interpretandos accedere debet, nisi aut multa loca silentio, siccoque, vt aiunt, pede praeterire, aut crassos errores committere velit, quos, ne de aliis iam dicam, IAC. GRONOVIVM, huius rei ignorantia, multos errasse, eius aduersarius IAC. PERIZONIVS in Respons. ad Notit. nuper. p. 39. sqq. ostendit. Nam in tempestatibus designandis qua alia re vtuntur, quam ortu, et occasu signorum, et siderum? Iam, quot loci e philosophia a Poetis tractantur, quos quomodo interpretari Grammaticus potest, nisi ab huius doctrinae, omnium humanarum praestantissimae, scientia instructus? Quid? si Poetarum interpres artis rhetoricae imperitus est, quomodo de copia,

pia, ornatu, amplificatione orationis, de vocibus proprie et translate adhibitis, de tropis et figuris, aliisque orationis luminibus, quibus, tanquam splendidis gemmis, Poetarum scripta hinc inde distincta et exornata sunt, certe iudicare, et perite exponere potest? Et quam mihi quis eruditionis partem nomines, in qua tractanda ingenium, et doctrina Poetarum veterum non versetur? quam nisi cognitam, perceptamque habeat *Grammaticus*, nullo modo suscepto muneri, professionique satisfacere potest suae. Scilicet vera est, et eruditis non inaudita vox Platonis, omnem doctrinam ingenuarum, humanarumque artium vno quodam societatis vinculo contineri, mirumque omnium quasi consensum, et concentum reperiri, communionemque esse tantam, vt non tantum vna alterius cognitionem adiuuet, sed ne recte quidem percipi sine aliarum ope possit. Haec doctrinarum varietas, haec humanarum disciplinarum societas, et quasi cognatio cum in bonorum Poetarum operibus reperiatur: quomodo Grammaticus, Poetarum interpres, hoc interpretandi munus suscipere, aut susceptum sustinere potest, nisi ipsius ingenium, doctrinaque istam liberalium artium societatem, et quasi cognationem, qua continentur, comprehenderit?

Sed, ne quis putet, nos latius *Grammatici* fines protulisse, eumque in alienos fundos iniustis quasi vindiciis immisisse, atque adeo multis praesit, qui aut edicto mecum contendant, aut me ex iure manu consertum vocent: age, QVINCTILIANVM testem excitabimus, vt, quae huc vsque de *Grammatici* munere, et professione diximus, fidem iis, auctoritatemque addat. Cuius locum Lib. I. Institut. Orat. c. 4. vbi de enarratione Poetarum, professione *Grammatici* propria, agit, etsi paullo longior est, tamen, quoniam ad rem praesentem egregie facit, non grauabimur huc transferre. *Nec Poetas legisse satis est; excu-*

excutiendum omne scriptorum genus, non propter historias modo, sed verba, quae frequenter ius ab auctoribus sumunt. Tum nec citra musicen Grammatice potest esse perfecta, cum ei de metris, rhythmis dicendum sit: nec si rationem siderum ignoret, poetas intelligat, qui (vt alia omittam) toties ortu, occasuque signorum in declarandis temporibus vtuntur: nec ignara philosophiae, cum propter plurimos in omnibus fere carminibus locos, ex intima quaestionum subtilitate repetitos, tum vel propter Empedoclem in Graecis, Varronem et Lucretium in Latinis, qui praecepta sapientiae versibus tradiderunt. Eloquentia quoque non mediori opus est, vt de vnaquaque earum, quas demonstrauimus, rerum dicat proprie et copiose. Et Lib. II. c. 2. *Et Grammatice (quam in latinum transferentes* literaturam *vocauerunt) fines suos norit, praesertim tantum ab hac appellationis suae paupertate, intra quam primi illi constitere, prouecta. Nam tenuis a fonte, assumptis poetarum, historicorumque viribus, pleno iam satis alueo fluit: cum, praeter rationem recte loquendi, non parum alioqui copiosam, prope OMNIVM MAXIMARVM ARTIVM scientiam amplexa sit.* Ipse Cicero Lib. I. de Orat. c. 3. *Studio literarum, quod profitentur ii, qui Grammatici vocantur, omnem liberalium artium paene infinitam vim, et materiam tribuit.* Cf. in hanc rem POLITIANVS in syllog. Var. Obseruat. c. 4. et inprimis in *Lamia.*

Cum igitur a *Grammatico* requiratur hoc, vt praeter loquendi bene, scribendique scientiam, praeter historiarum, ac fabularum notitiam, multarum rerum, doctrinarumque cognitionem, et efflorescentem ex illa doctrinae varietate auctores cum graecos, tum latinos interpretandi facultatem, coniunctam illam cum acri iudicio de eorum scriptis, locisque corruptis perite iudicandi, teneat, adeo, vt *Grammatici* scientia non tam vna aliqua doctrina, quam

potius quidam multarum doctrinarum cinnus ſit habendus: quis non rideat iſtorum naſutulorum foedam inſcitiam et ſtultitiam, qui olim diuinis illis Viris, SCALIGERIS, CASAVBONIS, SALMASIIS, aliisque nomen *Grammatici*, vt acerbiſſimum conuicium, obiiciendum putarunt, non reputantes, ſe hoc nomine magnos illos Viros honorifico elogio ornaſſe, ſtolidamque inſcitiam prodidiſſe ſuam. *Nec enim* (verba ſunt PERIZONII, τῷ πάνυ, in opuſc. min. p. 83.) *ad contemptum* Grammatices *vocabulum traherent, niſi veſcirent, eam, quam putant angustis primarum tantum literarum, aut ſummum, bene dicendi, ſcribendique contineri finibus, nullis pene terminis circumſcribi, ſed per omnes ſe diſciplinas quam latiſſime diffundere: niſi, inquam, neſcirent. Grammaticos vſu Linguae Latinae potiſſimum dictos, qui Philologi eſſent, Polyhiſtores, et, vt Suetonius ait*, abſoluti docti, *longe diverſi a Grammatiſtis, qui primis illis literis pueros imbuebant.* Caeterum, de Grammatices perfectoris dignitate, ambitu, et vtilitate, eiusque ieiunis, malignisque obtrectatoribus legant harum rerum ſtudioſi WOWERII Polymath. c. 19. De *Grammaticorum* autem magnis non ſolum in Rempublicam literariam, ſed rem ſacram etiam, religionemque antiquae puritati ſuae, integritatique reſtitutam, meritis egregie, vt ſolet, diſputat IO. AVG. ERNESTI, magnum illud doctrinarum et diuinarum, et humanarum decus, in diuina illa dedicatione, Opp. Ciceronis praemiſſa.

Cum autem *Grammatico*, ex auctoritate veterum, aſſignarimus campum, et ſpatio fere immenſum, et multitudine doctrinarum, varietateque admirabilem, quem emetiri, et in quo ingenii ſui vires, eruditionisque copias explicare debeat: facile praeuidimus, non eſſe defuturos, qui dicant, immenſum hoc, infinitumque videri, nosque adeo plura ab eo requirere, quam aut mentis humanae imbecilli-

becillitas ſuſtinere, aut anguſti, quibus vita noſtra incluſa eſt, termini capere poſſint. Quorum timorem, inanem illum, et vanum, vt ex animis illorum tollamus, dicendum eſt hoc: cum, a *Grammatico* omnium fere liberalium artium ſcientiam requiri, contendamus, id non hanc vim habere, quaſi putemus, eum in iis omnibus ita verſatum eſſe, adeo excellere debere, vt ſingularum magiſter ſit, omnibus numeris abſolutus, atque perfectus, vel in ſingulis, et vniuerſis prae ceteris emineat: maius hoc eſſet, quam pro modo, viribusque humanis, (nam de portentis illis eruditorum iam non loquor, qui diuino quodam munere in omnibus doctrinis ita excelluerunt, ita ornati, vt non nati, ſed a natura ipſa ficti eſſe, formatique videantur;) ſed, hoc ſenſu a *Grammatico* omnium liberalium artium cognitionem requiri, dicimus, quo CICERO et QVINCTILIANVS a ſuo Oratore, et VITRVVIVS ab architecto ſuo nullam liberaliorem artem, diſciplinamque abeſſe volunt, h. e. vt *Grammaticus* in arte, profeſſioni ipſius propria, excellat, nullius autem artium liberalium expers, et ignarus ſit. In quam rem operae pretium fuerit, ab harum literarum ſtudioſis legi VITRVVIVM Lib. I. c. 1. Commode huc transtuleris, quod NIC. DAMASCENVM aliquo loco praecipere memini: ***In literarum ſtudiis, velut peregrinatione, varia loca ſunt adeunda, atque peragranda, non vt vbique habitemus, ſed hic prandendum, alio in loco pernoctandum, in quibusdam per dies aliquot aut menſes, prout res tulerit, commorandum, in vno autem loco denique firma ſtabilisque ſedes ponenda.***

Grammatici finibus, ex auctoritate, et tanquam arbitrio veterum conſtitutis: audire mihi videor, qui quaerant: tune igitur is es *Grammaticus*, quem nobis effinxiſti, et quem leges Scholaſticae veſtrae Rectorem eſſe volunt? Hoc vero ego neque in oratione mea pono, neque

in

in ſuſpicione cuiusquam relinqui volo. Illud mihi ſine arrogantiae, impudentiaeque ſuſpicione dicere poſſe videor, ex eo inde tempore, quo vitae ſcholaſticae, diuina prouidentia, ſapientiſſima rerum humanarum gubernatrice, ita dirigente, me totum conſecrare conſtitui, quod tempus fuit illud, quo adhuc ſcholae Thomanae Lipſienſis, almae ſane bonorum ingeniorum matris et nutricis, cui Deus faueat! diſciplina, auctoribus GESNERO et ERNESTIO, Viris vel de nomine laudatiſſimis, continebar, ex eo, igitur, tempore omne ſtudium meum, omnem operam, curam, diligentiam, mentem denique omnem direxiſſe eo, vt aliquando *boni Grammatici*, atque adeo boni ſcholae magiſtri doctrinam aſſequerer, hocque honorificum *Grammatici* nomen ſcientiae varietate, dignitateque ſuſtinerem. Quam longe autem adhuc a *boni Grammatici* perfectione abſim: ego ipſe, qui ingenii mei viribus metiri me didici, omnium optime ſcio.

P. P. in Illuſtri Moldano a. d. III. Septembr. A.R.S. CIↃIↃCCLXIII.

VIII. DE

VIII.

DE SCHOLIS BENE CONSTITVTIS ECCLESIAE ET REIPVBLICAE SEMINARIIS.

Ingredienti mihi hanc de Scholis, bene conſtitutis, Commentationem, earumque praeſtantiam, vtilitatemque commendare, et laudare adeo inſtituenti, non profecto verendum videtur. ne idem accidat, quod olim Sophiſtae, neſcio cui, accidiſſe ſcimus: qui cum in magno Spartanorum conuentu procedere vellet, et Herculem ſe laudaturum eſſe, oſtendiſſet, ab Antalcida hac odioſa et mordaci interrogatione perturbatus illudebatur: *Num quis Herculem vnquam vituperauit, vt te laudatore opus habeat?* Non, inquam, hoc habeo verendum. Nam quis omnium rerum ita ignarus eſt, aut cuius aures in peruulgato fere et populari ſermone peregrinantur ita, quin ſaepe audierit, quam contemptim, ieiune, et maligne multi, qui ſibi etiam ſapere aliquid videntur, de ſcholis opinentur, quam abiecte de earum magiſtris iudicent, ita, vt illas vix aliquo in Republica numero habeant, hos autem ad infima ſemidoctorum ſubſellia detrudendos putent. Scilicet, hi ſunt viri, alta, et diuina quadam mente praediti, qui, quid Eccleſiae ſit, totique Reipublicae ſalutare, et frugiferum, omnium intelligentiſſime iudicare poſſunt, et qui, non niſi de magnis, oculorum nempe aciem praeſtringentibus, ſolliciti, has minutulas res, in quibus ſcholas ponunt, non curandas ſibi, ſed alto ſupercilio deſpiciendas arbitrantur. Quodſi horum, vitio creatorum,

Censorum, qui personam sibi, auctoritatemque iudicis vindicant, et, quod non intelligunt, id magnifice contemnunt, si horum, igitur, iudicio standum esset: breui sane futurum esset, vt scholis clausis, et in horrea, vel equilia conversis, earumque magistris proscriptis, crassa ignorantia, immanis barbaries, et cum iis assiduae fere, et infaustae comites, morum ferocitas, literarum cum diuinarum, tum humanarum contemptio, vana superstitio, verae religionis corruptio, Reipublicae perturbatio et euersio insecuturae vi, et agmine quasi facto, irrumperent, et vbique dominarentur. Sed hi delicati, et fastidiosi iudices, et scholarum, earumque magistrorum magnifici contemptores, patientur, credo, me contendere, scholas bene constitutas esse vtilissimam, maximamque Reipublicae partem, et qui in iis doceant, prouinciamque demandatam cum magna elegantum in ea re iudicum laude sustineant, saepe ei plus commodi afferre, munusque praestare amplius, quam multi eorum, qui magnorum titulorum vanitate superbientes sibi mirifice placent.

Profecto, si memoriam antiquiorum temporum, quibus bonae literae neglectae iacuerunt, et Religio innumeris fabulis anilibus contaminata est, mente, cogitationeque repetimus: inueniemus, e scholarum, bonarumque literarum, quae in iis tradi solent, contemptu et neglectu, tanquam e fonte infelicissimo, omnia ista mala promanasse, et quasi prorupisse. Neque vero hoc mirum cuiquam, aut ad intelligendum difficile videri debet. Nam, si rem accurate volumus, opinionumque praeconceptarum tanquam vinculis non impediti, diiudicare: reperiemus, neglecta sapienti, honestaque iuuentutis educatione, et institutione liberali, conformationeque ad sincerum pietatis studium, ad accuratae doctrinae cultum, ad honestorum morum elegantiam susque, deque habita, necessario esse consecuturum hoc, vt homines non solum a

cultu

cultu humaniore deficiant, et barbariei se sensim totos tradant, sed etiam, vt pro vera pietate vana superstitio, pro honestae vitae cultu horridorum morum feritas, pro liberalioris doctrinae elegantia barbariei agrestis immanitas, pro Reipublicae flore et incolumitate perturbatio rerum, interitus, atque ruina succedat. Sapientissime igitur et maiores olim iudicarunt, et etiamnum omnes sapientes ita iudicant, non posse facile munus amplius, et Ecclesiae totique Reipublicae salubrius afferri, quam quod, iuuenrute ad verae religionis cognitionem accuratam percipiendam, ad virtutis, honestatisque sensum et amorem concipiendum, ad liberalioris doctrinae scientiam comparandam, et ad honestorum morum venustatem instituenda et conformanda, ei praestetur, atque adeo ea regna, eas Respublicas felices esse habendas, in quibus scholae publicae, bene constitutae, vigeant, quippe quae Ecclesiae, et totius Reipublicae *Seminaria* sint existimandae. Quod quidem cum non dubitemus, quin multis, qui cuiusque rei dignitatem et vtilitatem non tam sua praestantia, quam vana, eaque deceptrici specie metiri solent, ineptum, et ridiculum videatur: de hac re paullo prestius, luculentiusque exponendi consilium cepimus, non tam eo consilio vt ex animo istorum magnificorum contemptorum nimis vilem, et ieiunam opinionem de scholis, earumque magistris euellamus, quod forte optandum magis, quam sperandum est; sed potius hoc, vt omnibus rerum arbitris aequis appareat, quod pretium his scholis sit ponendum, quam prouida, vigilantique cura pro earum tutela, et flore laetiore sit excubandum, quanto studio laborandum, vt ne, cum desidere coeperint, sensim labent, tandemque collabefactae ruant, hocque interitu suo bonarum literarum, purioris religionis Reipublicaeque secum trahant ruinam.

Neque vero ignoro, si locum aliquem, e literis interioribus, doctrinaque reconditiori depromptum selegissem,

in quo haec Commentatio verſaretur mea, me rem, ad doctrinae famam aucupandam accommodatiorem, et ad ingenii, eruditionisque laudem elegantiorem, ſuſcepturum fuiſſe: ſed, quemadmodum natura gloriolae captandae non tam auidus ſum, ita nihil neque ſolemnitati huius diei, quo memoria Illuſtris Moldani noſtri, ante hos ipſos CCXIV annos erecti et aperti pia, grata, laetaque mente recolitur, conuenientius, neque rationi temporum noſtrorum, quibus multae ſcholae, nupero illo bello calamitoſo afflictae, et pene proſtratae, ſuisque vix ad neceſſitatem aſſignatis reditibus magnam partem priuatae, iacturam, ſortemque miſeram ſuam acerbe conqueruntur, accommodatius, neque mea ipſius perſona dignius iudicaui, quam ſcribendi argumentum ſumere id, in quo exponendo non ingenii quidem, doctrinaeque elegantiam oſtendere, animum tamen, cum omnium omnino, tum Illuſtris ſcholae noſtrae amantem, et ſtudioſum, aequis huius Commentationis lectoribus probare poſſem.

Iam primum, ſi antiquiſſima tempora recordatione repetimus: omnibus viris ſapientibus, prudentibusque, reperiemus, opinionem, a natura ipſa inſitam, et commendatam, inſediſſe, penitusque infixam haeſiſſe hanc, vt putarent, ſapientem, liberalemque iuuentutis educationem, inſtitutionemque eſſe felicem illum fontem, e quo tranquillitas, ſecuritas, et felicitas non priuatorum ſolum hominum, ſed imperiorum etiam, et Rerumpublicarum promanet. Hac opinione cum et philoſophi, et legumlatores eſſent imbuti, et re ipſa edocti: in legibus ferendis, ſanciendisque ſecuti ſunt id, vt antiquiſſimam curam ad iuuentutem honeſte, liberaliterque educandam, et inſtituendam conferrent, rati, ſaluberrimas leges ita vim ſuam, auctoritatemque eſſe habituras, ſi iuuenum animi, teneri adhuc et molles, atque adeo ad parendum ſequaciores, mature ita inſtituti formarentur, vt amore virtu-

tis

tis magis ducti, quam poenarum metu coacti, legibus parendum sibi, obsequendumque putarent. Eo consilio, vt quis erat patriae suae amantissimus, et vtilitatis publicae studiosissimus, ita maxime confirmandum sibi, propugnandumque putabat, liberos non tam parentum, quam totius Reipublicae esse, atque adeo non ipsorum vel lubidini, vel imperitiae, non prauae patrum facilitati, non crudeli matrum indulgentiae relinquendos, sed doctoribus publicis educandos, instituendosque esse committendos, rati, vti est, neglectam domi educationem maximam vim in Rempublicam habere: in quam rem egregie disputat Aristoteles Politic. VIII. 1. Vere illi, et sapienter ita iudicarunt. Nam plurimum sane refert, quibus opinionibus teneri adhuc, et integri puerorum animi imbuantur, quem rerum sensum, et quasi gustum concipiant, et quorum studiorum amore inflammentur, cum experientia edocti sciamus, quae tenera aetate perceperimus, ea fere maturioribus annis sensim ita confirmari, radicesque agere tam altas, vt vix euelli postea, penitusque eradicari posse videantur. Et sane, in antiquiorum temporum monimentis cognoscendis paullo diligentius, curiosiusque versatis constat, Reipublicae tranquillitatem, securitatem, florem, felicitatemque sapienti iuuentutis educationi, morumque probitati, tanquam fundamento innixam constitisse, adeo, vt, quamdiu boni mores, honestae educationis fructus, viguerint, tamdiu etiam Respublica ipsa floruerit: vbi vero illi fuerint corrupti, tum vero ipsa sensim collabefacta interiret. In quam quidem rem illustrissimum, et huic loco accommodatissimum exemplum est Respublica Romana, qua nulla vnquam neque amplior, neque magnis viris foecundior, neque sapientibus legibus, et institutis magis temperata et constituta fuit. Quam diu autem sapientissimae illae leges vim suam, auctoritatemque in ea Republica obtinuerunt? nempe quamdiu vetus disciplina, et boni mores vigebant: posteaquam vero hi primo desidere, deinde

magis, magisque labi, tum denique praecipites ire coeperunt, adeo, vt, auctore Liuio, Romani nec vitia sua, nec remedia possent pati: tum vero salubberrimae leges peruertebantur, eludebantur, perrumpebantur, sensimque adeo ipsa totius Reipublicae fundamenta commota conuellebantur. Tanta educationis adolescentulorum, tanta morum in vtramque partem vis est! Ferantur in Republica saluberrimae leges, sanciantur poenis grauissimis, nisi ciuium animi tenera aetate ad probitatem morum fuerint conformati, et ad virtutis, honestatisque sensum, amoremque concipiendum concitati: nulla lex tam sancta erit, quin aut callida hominum malitia peruertat, aut ambitiosa gratia eludat, aut potens denique vis perfringat. *Adeo parum leges sine moribus vanae proficiunt!* Sed hunc locum de vtilitate, e sapienti iuuentutis institutione in Rempublicam redundante, diuine tractat Plato Lib. IV. de Republ. p. 423. sqq. Edit. Stephan.

Cum igitur iuuentutis educatio, et institutio magnam in Rempublicam habeat vim in vtramque partem: omnes viri sapientes, patriaeque amantes commodissimam rationem iuuentutis sapienter, honesteque instituendae, existimarunt hanc, vt, quoniam liberi non tam parentibus sint, quam patriae nati, doctorum publicorum curae, fidei, doctrinaeque educandi, instituendique demandarentur. Et profecto, si in originem, causasque scholarum constitutarum inquirimus, reperiemus, earum fundationem cum vtilitatem suasisse, tum necessitatem exegisse. Quam misera enim religionis facies esset futura, quam tristis Reipublicae conditio, quam mala priuatorum hominum ratio, nisi essent scholae, bene constitutae, h. e. officinae bonae mentis, in quibus rudes puerorum, adolescentulorumque animi verae religionis cognitione imbuuntur, liberalioris doctrinae cultu formantur, honestate, venustateque morum finguntur, et perpoliuntur, verbo, iis vitae, doctrinaeque

naeque adiumentis ita instruuntur, et ornantur, vt maturioribus annis pro suo quisque ingenio, et facultate salubria officia vel Ecclesiae, vel Reipublicae praestare, et ad communem aliquid salutem conferre possint? Nam, vti in seminibus frugum causae latent: ita sapienti, honestae, liberalique educationi, et institutioni, qua iuuentus in scholis bene constitutis formatur, debetur prouentus virorum, qui de Ecclesia, totaque Republica olim bene merituri sunt. Et nominet mihi quis vnum aliquem honestiorum ordinum, qui ad communem Ecclesiae totiusque Reipublicae vtilitatem, communemque adeo salutem aliquid confert, quin, si gratum dici se, haberique velit, fateri cogatur, se huius facultatis suae, de Republica bene merendi, suaeque felicitatis adeo, magnam partem scholis acceptam referre. Profecto, si vllus eruditorum ordo est, cui diuina prouidentia commodissimam occasionem ostendit, de Ecclesia, totaque Republica bene merendi, est sane id literatorum genus, quibus in scholis bene constitutis tenera iuuentus, in spem patriae succrescens, pietatis, doctrinaeque cultu formanda est commissa. Quid enim? concreduntur Praeceptorum curae, fidei, et institutioni adolescentuli, vti omnium fere literarum rudes et imperiti, et a moribus minus politi, ita plerumque ad omne fere vitiorum genus procliues. Quod maius igitur beneficium praestari iis, quod amplius munus afferri Reipublicae potest, quam si teneri ipsorum animi, et in vtramque partem molles, prudenti Praeceptorum cura ita finguntur, vt verae religionis cognitione imbuti, virtutis, honestatisque amore concitati, liberalis doctrinae cultu formati, elegantiaque morum perpoliti reddantur ii, vt ex rudibus, et saepe stupidis prudentes, e malitiosis honestos, e rusticis humanos, e turpibus viros bonos, ex impiis Christianos factos esse appareat? Itaque fuerunt, non sane doctores vmbratici, sed viri, diu, summaque cum laude in Republica versati, qui, non aliqua laboris mercedula al-

lecti. sed solo studio, de patria bene merendi, commoti, adolescentulos instituendos sibi, et in spem, vtilitatemque patriae iis artibus instruendos putarent, quibus adiuti, ornatique suo tempore officia, bono ciue, patriaeque amante digna, praestare Reipublicae possent. Cato ille Tullianus, Sapientis nomine insignitus, summisque in Republica honoribus perfunctus, in cominodis, honoribusque senectutis ponit hoc: *vt adolescentulos doceat, instituat, et ad omne officii munus instruat; quo quidem*, inquit, *quid potest esse praeclarius?* Iam Cicero, cum videret, dominatu vnius Caesaris in Republica omnia teneri, et neque in Curia consilio et auctoritati, neque in foro eloquentiae et industriae locum esse vllum: nullum neque amplius, neque salubrius munus Reipublicae afferre se posse putauit, quam si, publicorum negotiorum cura dimissa, studium, tempusque in adolescentulis instituendis collocaret suum. Vid. Plutarch. Cic. p. 1614. Sed ne temere, amoreque muneris, quod diuina prouidentia obeundum nobis impositum, decepti contendere videamur, magna e scholis bene constitutis commoda in Ecclesiam redundare: age, paullo diligentius, pressiusque de hac re disputemus.

Verissima MELANCHTHONIS vox est (T. I. Declamatt. p. 507): *Nunquam vera Ecclesia sine scholis aliquibus fuit, ac ne potest quidem diu conseruari doctrina christiana, nisi scholastici coetus adiungantur ad Ecclesias:* et non multo post: *non possunt florere Ecclesiae sine scholis, et quidem magna artium, ac literarum varietate opus est.* Sapientissime haec esse dicta, et ipsa ratio docet, et omnium temporum historia, grauissima huius rei testis, confirmat. Igitur, qui de scholis erigendis, beneque constituendis vnquam cogitarunt, ii, quamquam et alia, tamen inprimis secuti sunt hoc, vt adolescentum animi accurata religionis cognitione imbuerentur, iudicia variae doctrinae subtilitate acuerentur, ingenia humanitatis pastu

paſtu quaſi alerentur, literarumque latinarum, graecarum, hebraicarumque, intelligentia inſtituerentur. Quae omnia ea copulatione, ea colligatione in ſcholis bene conſtitutis ita iungenda ſunt, vt, ſi inſtitutio in vlla harum rerum claudicet, imperfecta, mancaque et ſit, et habeatur. Haec omnia autem quam non vtilia tantum, ſed neceſſaria etiam futuro Theologo ſint, quantum adiumenti Eccleſiae afferant, quando res ipſa loquitur, non attinet multis diſputare.

Vera eſt, et eruditis ſatis nota vox Platonis, omnem liberalium artium, ingenuarumque literarum doctrinam vno quodam ſocietatis vinculo contineri, mirumque inter eas quaſi conſenſum, et concentum reperiri, communionemque et colligationem eſſe tantam, vt non tantum vna alterius cognitionem adiuuet, ſed ne recte quidem percipi ſine aliarum ope poſſit. Haec doctrinarum varietas, haec humaniorum diſciplinarum ſocietas, et quaſi cognatio quam non vtilis modo, ſed neceſſaria etiam ſit ei, qui olim ſtudium ſuum, operamque conſecrare Eccleſiae, et magnificum Theologi nomen doctrinae variae vi ſuſtinere velit, omnes cognoſcent, qui, quam variam, quam accuratam doctrinae liberalioris cognitionem Theologia requirat, eleganter iudicare poſſunt. Nam Theologia, variae, et accuratae doctrinae adiumentis non ſubleuata, verbo, inerudita, omni fere tempore procreatrix, et infeliciſſima mater grauiſſimorum errorum, acerrimarumque diſſenſionum et turbarum fuit. Grauiter, et vere in hanc rem Melanchthon: (T. I. Declamatt. p. 329.) *Omnino Ilias malorum eſt inerudita theologia. Eſt enim confuſanea doctrina, in qua magnae res non explicantur diſerte, miſcentur ea, quae oportebat ſeiungi, rurſus illa, quae natura coniungi poſtulat, diſtrahuntur. Saepe pugnantia dicuntur, vicina arripiuntur pro veris, ac propriis. --- Talis doctrina non poteſt non gignere infinitos errores, infinitam diſſipationem, quia in tanta confuſione alius aliud*

intelligit, et, dum ſuum quiſque ſomnium defendit, exiſtunt certamina, et diſſenſiones. Hoc conſilio in omnibus ſcholis bene conſtitutis iuuenes initiis omnium liberalium doctrinarum inſtruuntur, vt, earum praeſtantia, vtilitate, neceſſitateque cognita, acri ſtudio in Academia in colendis iis, accuratiusque percipiendis verſentur, imbuti quippe opinione veriſſima hac, ſe, niſi a varia liberalium artium doctrina inſtructi, ornatique fuerint, non poſſe venerabile illud Theologi nomen tueri, neque Eccleſiae multum commodi praeſtare. Iam, ſcientia literarum latinarum, graecarum, hebraicarumque, ſine quibus nemo ad Theologiae ſtudium accedere debet, harum, igitur, literarum ſcientiam comparandi vbi commodior occaſio, quam in ſcholis, bene conſtitutis, offertur? adeo, vt, ſi ſcholae nihil aliud commodi ad Eccleſiam conferrent, vel hoc nomine optime de ea mereri eſſent exiſtimandae. Neque vero eſſe puto, quare huic rei confirmandae afferam multas rationes, cum omnis hiſtoria Eccleſiaſtica doceat, quo tempore hae linguae eruditae, omnesque omnino bonae literae viguerint, eo etiam Scripturae ſacrae interpretes, doctrinaeque chriſtianae doctores praeſtantiſſimos floruiſſe: cum primum autem illae neglectae contemptaeque interierint, religionem etiam puriorem ſenſim ſinceritatem ſuam, integritatemque amiſiſſe, adeo, vt eruditarum linguarum, quae maximo iure dicuntur, et habentur omnis liberalioris doctrinae inſtrumenta, interitus ruinam purioris religionis ſecum traxiſſe iure exiſtimetur. Et profecto haud ſcio, an ad eruditarum linguarum, bonarumque literarum commendationem praeclarius quid, honorificentiusque dici poſſit, quam hoc, quod ſalutarem operam Religioni, Eccleſiaeque praeſtent. Quare vti Religionis, Eccleſiaeque permultum intereſt, harum eruditarum linguarum ſtudium omni ratione coli, retineri, et foveri: ita ſcholae bene conſtitutae vel hoc nomine vtiliſſimam Eccleſiae operam praeſtare cenſendae ſunt, quod iu-

venes

venes in iis harum linguarum cognitione accurata instruuntur, sine quarum ope religio purior retineri nullo modo, defendique potest. Bene Lutherus noster *in aurea illa Epistola ad ciuitatium Germaniae Magistratus de erigendis scholis*, (T. XIX. p. 338. ed. Lipsi.) vbi de necessitate, vtilitateque harum linguarum exponit, *si culpa nostra commiserimus*, inquit, *vt linguas eruditas neglectas amittamus, Euangelium amittemus.* Quanti idem Vir Magnus has linguas fecerit, et quam necessarias Theologo, quam vtiles Ecclesiae iudicarit, et quam grauiter Theologiae studiosos ad eorum studium excitarit, inter alios testatur Melanchthon, qui, (T. IV. Declamatt. p. 465.) *Reuerendus Vir Lutherus*, inquit, *quam grauiter nos ad linguarum studia saepe hortatus est! Videbat enim, non aliam, veterem barbariem reducendi, magis compendiariam esse viam, quam si studia linguarum interirent.* Quantum subsidium ad religionem puram, sinceramque seruandam hae linguae afferant, et quam potentia arma ad omnes omnium hostium conatus repellendos, qui eam vel actis cuniculis, vel aperto Marte subruere et evertere moliuntur, bonae literae, scholaeque bene constitutae suppeditent: probe callidissimus, idemque capitalis religionis christianae hostis, Iulianus ille Apostata, cognouit. Qui cum consilium cepisset, religionem christianam collabefactandi, funditusque euertendi, ad eam rem non flammam, et ferrum, non arma violenta adhibuit, quibus fere persecutores illi antiqui crudelissime quidem, sed e voto suo minus feliciter grassati erant: sed rationem excogitauit eam, quae, vti nihil iniquitatis, crudelitatisque habere videbatur, ita, si istud consilium facultatem habuisset, et ex voto illius Apostatae successisset, religioni christianae summam perniciem fuisset allatura. Quam igitur artem ad religionem christianam exstirpandam, funditusque eradicandam adhibuit? nempe hanc, vt Christianis interdiceret scholis, causam interserens satis speciosam, et probabilem, cum

ita

ita dictitaret: neque Reipublicae conueniens, neque honestati publicae consentaneum esse, Ethnicorum libros in scholis Christianorum publice legi, interpretationisque luce colluſtrari, quorum religio, a Christianis palam exposa, irrideatur, omniumque contemptui et ludibrio deridenda propinetur: satis esse addebat, Galilaeis, (hoc enim nomine ludibrii causa Christianos infamare studebat,) si Matthaeum et Lucam in scholis explicarent. Neque vero Ecclesiae christianae doctores, omnesque omnino purioris religionis amantes aut tam parum intelligentes, aut rei sacrae tam parum curiosi erant, quin summam perniciem, quae strueretur callido isto, et periculoso Iuliani consilio religioni christianae, perspicerent, omnibusque viribus conniterentur eo, vt id vanum, irritumque redderent, rati, si bonae literae, et, quae earum instrumenta sunt, linguae eruditae interiissent, breui ipsius religionis christianae ruinam esse insecuturam. Adeo necessarias scholas bene constitutas Ecclesiae, puriorique religioni tuendae esse intelligebant; tot fructus ex illis in has prouenire iudicabant. Hinc omni fere aetate, quae quidem non omnis plane humanitatis expers, religionisque aut ignara, aut negligens esset, scholas Ecclesiis adiunctas fuisse, inuenimus. Quodsi antiquissima Hebraeorum tempora mente repetimus: cognoscemus, Mosen complures scholas Leuiticas constituisse, et, priusquam Templum fuisset exstructum, ad Tabernaculum institutam fuisse scholam, cui Samuelem ipsum praefuisse scimus. Iam, Eliam, et, eo mortuo, Elisaeum, aperuisse scholas, in quibus adolescentes accurata verae religionis, liberaliorisque doctrinae cognitione imbuerentur, auctoritate literarum sacrarum edocti scimus. Succedente tempore cum, socordia Sacerdotum, literarum studia frigescere coepissent, penitusque fere neglecta iacerent: Deus, Ecclesiae suae consulturus, excitauit Prophetas, ad quorum scholas ea iuuenum, literarum diuinarum, humanarumque studia aemulantium, multitudo confluxit, quam

quam interdum loci angustiae capere non possent: cui rei illustre documentum est schola Elisaei. Sed de scholis Hebraeorum non est, quod pluribus disputemus: plura desideraturo satis facient, praeter alios, qui de schol s ex instituto exposuerunt, S. R. CARPZOVIVS in Apparatu Historico-Critico ad GODWINI Mos. et Aaron. p. 313. sqq. et, quem ibi laudat, *Vitringa*. Cf. MORHOFII Polyhist. T. I. Lib. I. c. 14. Quid? noui Testamenti temporibus nonne, per omnia secula, quibus vel aliquis religionis amor, bonarumque literarum studium erat, scholas, ab ipsis Apostolis aliquam partem constitutas, summo studio retentas, cultas, frequentatasque fuisse, inuenimus? quarum nulla primo iam post Christum natum seculo nobilior, et illustrior fuit, Schola Alexandrina, vulgo *Catechetica* dicta, quam ab ipso D. MARCO institutam ferunt, (vid. IRENAEVS Lib. II. adu. haeres. c. 22. p. 148. Edit. MASSVETI;) et postea a PANTAENO, CLEMENTE, ORIGENE, et aliis, qui ei regundae non minus sapienti consilio, quam felici euentu praefecti fuerunt, illustratam esse, monimenta historiae Ecclesiasticae tradunt: ne iam de aliis, eodem, aut non longo tempore post constitutis, scholis, Antiochena, Ephesina, et Caesareensi dicam. In his scholis iuuentus, religionis cognitione imbuta, et interpretationem librorum diuinorum edocta, in laetam Ecclesiae spem educabatur: quae omnes in summa grauissimorum temporum iniquitate, acerrima persecutorum violentia, et indies magis, magisque dominante, saeuienteque superstitione, et impietate suo se flore, sua dignitate. quamuis variis tempestatum grauissimarum fluctibus iactae, incolumes vsque ad Constantini M. tempora sustinuerunt. Hos docentium et discentium coetus, has scholas, *in quibus*, vt vere iudicat magnus ille Iurisconsultus, BALDVINVS, *seminarium est, et veluti propago Ecclesiae*, et sine quibus Ecclesia diu conseruari vix potest, omni ratione tuendas, fouendas, augendas, et magis, magisque subsidiis

diis vitae, reditibusque ornandas ſibi Conſtantinus M. exiſtimauit. Vid. FRANCISCI BALDVINI Conſtantinus Magnus p. 27. ſqq. Quid? Carolus M. cum probe perſpiceret, quam vtiles, quam neceſſariae adeo Eccleſiis ſcholae ſint: plerosque ſacrorum Praeſides templis ſuis primariis ſcholas, *cathedralium* nomine inſignitas, adiungere iuſſit, in quibus adoleſcentes, ſuam olim operam Eccleſiae conſecraturi, ſacrarum literarum, aliarumque diſciplinarum doctrina inſtituerentur. Auctoritate huius magni Imperatoris, cuius ſtudium in ſcholas luculenter eminebat, clauſtrorum praefecti, quos *Abbates* dicunt, excitati ſcholas aperiebant, in quibus iuuenes, pro illorum temporum ratione, erudiebantur literis, quas futuro Theologo vtiles, neceſſariasque iudicabant. Inſecutis ſeculis etſi bonae literae neglectae, contemptaeque iacebant, et barbariei ignorantia vbique fere dominabatur: tamen, ſcholas apertas fuiſſe, legimus, in quibus ſeptem illae liberales artes, quas *triuii*, et *quadriuii* nomine comprehendere ſolebant, iuventutem docebant: quamquam negandum non eſt, ex eo inde tempore, quia doctores ingenium, tempusque vnice in contortis Dialectices quaeſtiunculis, et ſpinoſis Metaphyſices nugis infeliciter conſumebant, contemptum eruditarum linguarum, aliarumque bonarum artium neglectum peperiſſe craſſam illam barbariem, per multa ſecula dominantem, et Eccleſiae non minus, quam bonis literis noxiam et pernicioſam. Cum autem feliciſſimo illo, et non minus bonis literis, quam religioni, Eccleſiaeque ſalutari, Seculo XV. ignorantiae, barbarieique ſpiſſis tenebris diſcuſſis, ſua lux, ſua vita, et non multo poſt religioni ſua puritas, et integritas eſſet reſtituta: omnes viri et ſapientia, et prudentia conſpiciendi, vti erat, ita exiſtimabant, ſe nulla fere alia re melius de Eccleſia, totaque adeo Republica mereri poſſe, quam, ſi opera, ſtudio, conſilioque Principes, ciuitatiumque magiſtratus perducerent eo, vt ſcholas erigerent, erectas amplis, neceſſariis ſaltem,

saltem, reditibus constituerent, constituta-que omni ope souendas, tuendas, sustentandasque sibi putarent, rati, scholis sublatis, non posse diu puritatem suam sinceritatemque religionem retinere, Ecclesiamque conseruari. In quam rem instar omnium legatur diligentissime aurea sane LVTHERI Epistola, ad omnes in Germania ciuitates *de scholis erigendis* scripta.

Iam, quid attinet multis de commodis, e scholis, bene constitutis, in totam Rempublicam redundantibus, disputare, cum religionis sinceritatem et ecclesiae incolumitatem, integritatemque in Reipublicae salutem, et dignitatem eam vim habere constet, vt qui fructus, quae commoda e scholis, bene constitutis, ad illam proueniant, ea etiam in totam Rempublicam redundent. Cicero, lumine literarum sacrarum non collustratus, et in ea religione natus, et educatus, quae vana et coeca potius superstitio, quam religio nominanda est, tamen non dubitat contendere, huic religioni suae Romanae Reipublicae florem, amplitudinem, salutemque acceptam esse ferendam, cum dicat: (Orat. de Aruspic. Resp. c. 9.) *Romanos non calliditate, et robore, sed pietate et religione omnes gentes, nationesque superasse.* Cf. in eandem sententiam Augustinus de C. D. V, 19. Recte Plato Lib. IV. de Republ. p. 427. contendit, *fundamentum Reipublicae esse religionem:* quicum amicissime conspirat Aristoteles Lib. VII. Politic. c. 8. Sed de magna vi, quam religio in totam habet Rempublicam, Viri docti iam dudum variis libellis expossuerunt. Adeo omnibus populis (exceptis, qui, forma humana induti, belluina viuendi ratione quam proxime ad bruta animantia accesserunt,) haec opinio, haec persuasio Natura ipsa quasi insita, et commendata fuit, salutem Reipublicae religionis quasi fundamentis consistere innixam. Cum autem ad Rempublicam bene constitutam non solum requirantur diuinarum literarum Interpre-

pretes peritiſſimi, religionisque defenſores feliciſſimi, ſed etiam alii eruditi, qui pro ſua quisque ingenii, doctrinaeque facultate ad communem vtilitatem de ſuo aliquid conferant: non difficile neque ad intelligendum, neque ad demonſtrandum eſt, eos omnes huius facultatis ſuae fundamenta in ſcholis bene conſtitutis iecisſe, et initia eius doctrinae generis, cui poſtea ſe totos fere conſecrarunt, ex iis reportaſſe. Nam vnde Principum amici, et conſiliarii prudentiſſimi? e ſcholis; vnde diuini, humanique iuris conſultiſſimi? e ſcholis: vnde valetudinis humanae tuendae, reſtituendaeque feliciſſimi? e ſcholis: vnde ciues boni, Reipublicaeque pro ſuo quisque munere vtiliſſimi? e ſcholis. Et ſane, nullus omnino honeſtiorum ordinum eſt, quin, ſi ingenue velit, liberaliterque fateri, per quos fundamenta doctrinae ſuae iecerit, per quos ad altioris vitae cultum fuerit inſtitutus et formatus, dicat, ſe magnam doctrinae, vitae honeſtae, felicitatisque adeo ſuae partem ſcholis referre acceptam. Et quae tandem iſta Respublica eſſet futura, in qua ſcholis bene conſtitutis, bonisque adeo literis nullus eſſet locus? Quomodo ſalutares leges ferri, iudicia e iuſtitiae norma exerceri, ciues humanitatis, ſocietatisque vinculo contineri poſſent? Quodſi nondum ſatis luculenter vtilitas, neceſſitasque ſcholarum, bonarumque literarum intelligatur: age, fingamus mente, animoque vnam aliquam gentem, qualem v. c. Scytharum fuiſſe accepimus, e qua omnes ſcholae, atque adeo bonae literae proſcriptae quaſi exſulant, et quam miſera ibi et triſtis omnium rerum facies, quam abominanda vitae immanis ſpecies deprehendatur, conſideremus. Nulla hic de Deo opinio, nulla de religionis ſanctitate perſuaſio: nulla hic eſt Respublica, ſapientibus humanisque legibus temperata: nulla hic aequitas, nullum ius, nulla iuſtitia: hic ſibi quisque manu armata ius iniuſtum facit, et vt quisque eſt viribus potentiſſimus, ita facillime ius obtinet ſuum: nulla hic cum vicinis ſocietas, et coniunctio, commer-

commerciorum nihil: hic latrocinium dominatur, infandaque hoſpitum etiam caedes et exinde inhumanus, immanisque cibus: nullus hic amor neceſſarius parentum et liberorum: nulla hic neceſſitudo coniugum, nullum propinquorum, affiniumque vinculum: hic pietas, probitas, fides ignoratur, virtutum notitia nulla: hic nullus honeſtatis, humanitatis, amicitiae, officiorum ſenſus: nulla hic liberorum honeſte educandorum cura, nulla hic morum conformatio: verbo, hic cernuntur figurae, quae ſpeciem, formamque hominum referre videntur, ſed inſtitutis, vita, moribusque animalia exprimunt bruta. En tibi triſtem, abominandamque imaginem eiusmodi gentis!

Quanta commoda ſcholae bene conſtitutae non Eccleſiae modo, ſed toti etiam Reipublicae afferant, inter alios probe perſpexit Carolus ille Magnus, qui ex aula ſua ignorantiam proſcripturus, omnesque erectae indolis adoleſcentes ad literarum ſtudia excitaturus, ſcholam illam aulicam, tantopere ſcriptoribus celebratam, et nomine *Palatinae* inſignitam, inſtituit eo conſilio, vt et ipſius, et procerum liberi omni liberalioris doctrinae genere inſtituerentur, optime intelligens, literas eſſe illa adiumenta, ſine quibus non facile quis multum commodi Reipublicae poſſit afferre. Iam, quo ſtudio idem Imperator Magnus ſcholas fouerit, et in diſcentium incrementa, in literis capta, ipſe inquiſierit, quibus artibus eorum vel ignauiam caſtigarit, vel diligentiam acuerit, id ſcriptores non ſine ſummis ipſius laudibus commemorandum ſaepe, praedicandumque ſibi putarunt.

Cum igitur ſcholarum, bene conſtitutarum, ea vtilitas, ea neceſſitas ſit, vt, iis ſublatis, neque Eccleſiae ſua integritas, et incolumitas, neque Reipublicae ſalus et dignitas diu conſtare, neque vita humana culta, politaque eſſe poſſit: Principum conſiliarii, qui auctoritate,

gratia, consilio, operaque ad vtilitatem, salutemque publicam multum conferre possunt, per religionis puritatem, per Ecclesiae incolumitatem, per Reipublicae salutem, per quicquid sanctum est, enixissime rogandi, et obsecrandi sunt, vt, quantum animo conniti, quantum gratia, auctoritateque efficere, quantum opera, studioque contendere possint, ad scholas, nuperi illius belli acerbissimi calamitatibus grauissimis collabefactas, et conquassatas, multisque adiumentis necessariis priuatas, et etiamnum destitutas, suum studium, operamque suam conferant, eas ope praesenti sustentent, tueantur, foueant, et pristinam earum conditionem, sortemque felicem reducere connitantur. Haec sunt flagrantia omnium bonorum ciuium desideria; haec est summa ardentissimorum votorum; quibus Deus Optimus Maximus, numen, nutumque diuinum annuat suum!

P. P. in illustri Moldano Ipsis Calend. Septembr. A. R. S. cIↃIↃCCLXIV.

LX. PRO-

IX.

PROLVSIO

DE

PRVDENTIA DISCIPLINAE SCHOLASTICAE

REGVNDAE.

Qui adoleſcentum inſtituendorum, gubernandorumque, et totius inprimis ſcholae regundae munus, aut honeſtis artibus ambiendo conſequuntur, aut imponi ſibi ab aliis patiuntur, ii etiam atque etiam perpendere debent, ſe ſuſcipere prouinciam non ſolum adminiſtratu difficilem, et perquam lubricam, in qua facile titubandi, labandique ſit locus, ſed moleſtiarum etiam, quae deuorandae ſint, pleniſſimam, adeo, vt ad hunc moleſtiſſimum laborem ſubeundum opus ſit animo, acerbiſſimis rebus, iniuriis adeo, perferendis, aſſueto, et quodammodo obdurato, ſtomachoque ad moleſtias duriſſimas concoquendas perquam firmo et corroborato. Qui hanc prouinciam ſuſcipiunt, eos ſemper meminiſſe oportet, duplicem ſibi imponi perſonam: alteram, ingenia adoleſcentum acuendi, doctrinaeque cum diuinae, tum humanae cultu perpoliendi, humanitatisque veluti paſtu alendi; alteram, animos ad veram pietatem, probitatem, honeſtatem, venuſtatemque morum fingendi atque conformandi, verbo, eos feliciores, in ſocietate et conſuetudine cum aliis iucundiores amabilioresque, et Reipublicae vtiliores reddendi. Quae res, vti eſt iuuenibus, totique Reipublicae maxime

fructuosa: ita cum incommodis multis Praeceptorum, molestiisque coniuncta. Nam, quemadmodum ipsa instituendi, docendique ratio eo nomine saepissime perquam molesta et acerba redditur, quod Praeceptores ob multorum adolescentum vel ingenii stuporem, nullis fere artibus expugnandum, vel animi leuitatem, huic aetati quodammodo insitam et propriam, tricies vel quadragies dicta denuo quasi mansa discipulis, vt nutrices infantibus, in os ingerere, erroresque scriptorum sexcenties emendatos denuo corrigere oportet: ita morum inprimis formandorum, et perpoliendorum, disciplinaeque regundae provincia perquam ingrata, acerba, molestiarumque plenissima et est. et esse existimatur. Cum enim adolescentum, eorum inprimis, quos mobilior, calidiorque sanguis, et generosi quidam spiritus sollicitant, ea indoles, ea ratio sit, vt vel, propter ingenii imbecillitatem, sapientis, prudentisque disciplinae praestantiam, vtilitatem, necessitatemque non cognoscant, vel, si cognouerint, ob animi leuitatem, susque deque habeant, vel denique, ob peruersam voluntatis indolem, effrenarum cupiditatum abblandientium imperio regi se, quam verae vtilitatis ratione duci malint: facile coniici, intelligique potest, eos et disciplinam, quamuis magna lenitate mitigatam et temperatam, odisse, et Praeceptores ipsos, disciplinae custodes, saepissime vt homines morosos, duros, atroces, quin crudeles adeo traducere, eoque nomine clanculum apud parentes, aliosque exagitare, et, si fieri possit, in odium, inuidiamque adducere. Quod quidem non est, quod magnopere miremur. Nam cum, de verissima Quinctii Consulis apud LIVIVM sententia, natura ita sit comparatum, vt, cuius mens in loquendo et agendo nihil praeter commodum videt, plerumque parum gratus hominibus sit: non mirum sane est, Praeceptores, qui sancti legum Scholasticarum custodes, diligentesque disciplinae exactores esse et debent, et volunt, iuuenumque petulantiam, et ferocien-

tem

tem licentiam ſeueritatis veluti vinculis adſtringere et coercere ſtudent, eaque re verae ipſorum ſaluti conſultum eunt, plerisque fere omnibus diſcipulis parum gratos et amabiles eſſe. Scilicet, nihil dulcius pueris, cirratisque adoleſcentulis eſt, nihil crebrius in ore geri, nihil omnibus votis ardentius iis expeti ſolet, quam nomen *libertatis*. Hanc ſtudioſe ſectantur, amplectuntur, et, tanquam amaſiam aliquam, exoſculantur: hanc verae felicitatis non fautricem ſolum, ſed effectricem etiam putant: huius inſano amore capti, ſeu ablati potius omnium fere literarum rudes, ſcholas, tanquam aues implumes nidum, relinquunt. Iam, etſi probe ſcio, eam fere *libertatis* notionem adoleſcentes animo ſuo informatam habere, quae effrenis licentia potius, et ferociter exſultans petulantia, quam vera libertas dicenda ſit: tamen, quoniam illo *libertatis* tantopere iactato, ſed male intellecto, vocabulo, tanquam fumo quodam, obnubilati et occoecati perquam difficulter eo perduci ſe patiuntur, vt iſtius pernicioſi erroris quaſi nubem diſcutiant, iuuenilemque iſtum morbum expellant: vix dici poteſt, quam difficilem ſaepe, moleſtamque diſciplinae ſcholaſticae prouinciam, et procurationem Praeceptoribus reddant, et quam aſperi monitoribus ſint ſuis. Nam, quo amantiores, cupidioresque iſtius vanae libertatis ſunt, quo ſaepius, inanis iſtius, et deceptricis ſpei pleni, ſomniant, ſe tum demum beatos futuros, ſi quam primum graui iſto, duroque diſciplinae iugo, vt ipſi quidem interpretantur, liberari, et e ſchola, tanquam e carcere, emitti poſſint: eo moleſtius ferunt omnem diſciplinam, tanquam iſti tantopere iactatae *libertati* inimicam, eam auerſantur, deteſtantur, eoque grauiores et duriores Praeceptores putant, qui eos legum, diſciplinaeque vinculis adſtringere, et in officio continere ſtudent. Quot, et quam graues exinde oriantur moleſtiae, quam acerba eo nomine Praeceptorum vita reddatur, et res ipſa docet, et multi, quibus diſciplinae regundae cura commiſſa eſt,

ipſis rerum documentis perquam triſtibus edocti ſentiunt. Has moleſtias, quas Praeceptoribus adoleſcentum ingenia viuacia et inquieta, ſaepe luxurie quadam ferociter exſultantia, obiiciunt, quorundam parentum vel imprudentia, vel inhumanitas et importunitas, vel crudelis in mellitulos filiolos ſuos indulgentia, (cuius tamen acerba poenitentia ſaepe, quamquam nimis ſero, ipſos ſubire ſolet,) mirifice interdum auget, qui etiam tum, cum Praeceptor boni viri officio maxime functus, diſcipulorumque rationibus optime conſuluiſſe ſibi videtur, tamen expoſtulatum cum iis, queſtumque iniuriam veniunt, et inepta iſta ſua, maleque ſana defenſione liberorum ſuorum Praeceptoribus nouas moleſtias, quaſi nondum ſatis ab immorigeris eorum liberis allatae eſſent, adſpergunt. Hinc miſerabiles tot magiſtrorum de ſua miſeria voces et querelae, quas vel legere, aut audire quaedam miſeria eſt. Legant, quibus volupe eſt, cuiusdam ſcholae magiſtri (in Declamatt. Melanchthon. T. I. p. 552. ſeqq.) orationem *de miſeriis Paedagogorum*, et fatebuntur, ſi homo non ludendi cauſſa, ſed vere iſta de ſe narrauit, miſerabiliorem, durioremque illius ſortem fuiſſe, quam eorum, qui, infelici quodam fato ſuo, in piſtrinum, aut ad Lautumias compacti fuerint, atque detruſi. Quorſum autem haec diſputo? non profecto eo, vt aut augeam multorum ſcholae magiſtrorum querelas, qui ipſi in malis ſuis exaggerandis nimis ingenioſi plerumque, luxuriantesque ſunt, aut de mea ipſius ſorte, et conditione conquerar, qui ab eo inde tempore, quo mihi Illuſtris Moldani regundi cura et procuratio commiſſa eſt, ea fim vſus fortuna, vt vel hoc nomine beatus mihi videar, quod in hac prouincia, moleſta plerumque et dura, adminiſtranda nullam fere de moleſtiis, iniuriisque perferendis conquerendi cauſſam habuerim, non, igitur, eo conſilio id diſputo, ſed vt commoda hac occaſione, qua memoria Illuſtris noſtri Moldani, ante hos CCXV. annos aperti et conſtituti, pia grata-

que

que mente recolenda, et celebranda eſt, oſtendam, eſſe rationem quandam, cuius ope difficultates et moleſtiae diſciplinae ſcholaſticae regundae ſi non plane abſtergi et tolli, minui ſaltem, et eleuari poſſint. In quo quidem loco tractando cum hoc ſecutus ſum, vt ſacro ſancto Senatui Eccleſiaſtico Supremo rationem muneris mei huc vſque adminiſtrati redderem, (et cui potius debeam, aut velim?) eiusque iudicio diiudicandam ſubmitterem, tum illud, vt non ſolum ſcholarum magiſtris perſuadere ſtuderem, non eſſe huius generis homines inter miſeros et infelices numerandos, quales multi ipſi ſe eſſe et putant, et dictitant, ſed ad obſtruendos etiam, obdurandosque iſtarum querelarum fontes ſolidi quid auxilii, ſi facultatis meae ſit, afferrem. Scilicet, ſunt quaedam artes, quibus, tanquam blandis et honeſtis lenociniis, vti aliorum; ita adoleſcentum animi capi poſſunt, adeo, vt, quamuis immorigeri, omnisque fere diſciplinae impatientes videantur, ſenſim tamen ad flectendum tractabiliores, et ad parendum ſequaciores reddantur. Quae quales ſint, et quomodo ſuo quaeque loco adhibendae, eas hac proluſione ſtrictim attingere, et quaſi per tranſennam cognoſcendas proponere conſtitui. In tota autem hac diſputatione ducem inprimis ſequemur QVINCTILIANVM, non ſolum, quia leges noſtrae ſcholaſticae hunc auctorem prae caeteris quam diligentiſſime, et curioſiſſime legendum Rectori iniungunt, ſed etiam, quia vna omnium et conſentiens intelligentum huius rei iudicum vox principatum in hac doctrinae, diſciplinaeque ratione ei defert. Nam, qui inter recentiores de hoc loco exponere inſtituerunt, v. c. Rollinus in libro *de la maniere d'enſeigner et d'étudier les belles lettres*, ii omnes, ſi gratos dici ſe, haberique volunt, fateantur neceſſe eſt, ſe ſua pleraque fere omnia huic praeſtantiſſimo magiſtro accepta referre, et ex hoc fonte prata irrigaſſe ſua. Hunc igitur ducem ſequemur, ita, vt quae nos ipſi per hos viginti annos, multis, iisque diuerſis

ingeniis tractandis, et in magna varietate iactati edocti cognouimus, hinc inde adſpergenda exiſtimemus.

Quoniam autem omnis, quae a ratione ſuſcipitur de aliqua re, diſputatio ab ipſius vocis explicata notione, reique definitione proficiſci debet, vt intelligatur, quid ſit, de quo diſputetur: relictis omnibus id mihi agendum eſſe intelligo, vt, quae voci *diſciplinae*, qua quidem hoc loco vtimur, vis ſit, poteſtasque ſubiecta, etſi non ſubtiliter, dilucide tamen tradamus, omnemque vocis ambiguitatem, erroremque ex hac diſputatiuncula ſublatum proſcribamus. Quod quidem eo curioſius faciendum arbitramur, quo certius, variis hominum ſermonibus edocti, cognouimus, plurimis, vbi nomen *diſciplinae ſcholaſticae* audierint, neſcio quid mali, et tremendi mente obuerſari. Voce enim *diſciplinae ſcholaſticae* audita, triſtis et acerba recordatio ſubit illius temporis, quo plagoſi alicuius Orbilii poteſtati ſubiecti interdum partes poſt tergum denudare, et vindicatrices, nimiumque officioſas manus, ipſo virgarum adſpectu terribiles, iracundi magiſtelli ſubire coacti ſunt. Obuerſatur etiamnum ſeuerum iſtud et atrox imperium, ſaepe verborum minantium tonitru, verberumque crudelium ictu exercitum: terret etiamnum quodammodo triſtis magiſtri imago, virgarum faſce et baculo armati: ſcilicet hoc eſt, ob quod boni illi viri ad *diſciplinae ſcholaſticae* vocem horreſcant. Sed haec quidem vocis *diſciplinae ſcholaſticae* triſtis et acerba notio ex tota hac diſputatione ſublata ſit, penitusque proſcripta. Voci nempe *diſciplinae ſcholaſticae* vim, poteſtatemque ſubiectam volumus hanc, vt ſit *ſapiens quaedam et prudens ratio, diſciplinae alumnos honeſtis artibus, conſiliis fideliſſimis, admonitionibus amantiſſimis, crebrisque honeſti, rectique praeceptis, et, ſi neceſſe ſit, miti ſeueritate etiam, ita regendi, ſenſimque aſſuefaciendi, vt, quod ipſorum officii ſit, id amore magis virtutis, felicitatisque ſuae ducti, quam poenarum*

poenarum metu coacti faciendum ſibi arbitrentur. Huius *diſciplinae ſcholaſticae* cura cum ad omnes omnino ſpectet, quorum fidei, doctrinaeque iuuenes inſtituendi, formandique concrediti ſunt: tamen Rectoris, Capitis quippe ſcholae, quodammodo propria eſt habenda. Huius enim inprimis eſt, curare, vt omnia in ſchola recte et ordine fiant: huius inprimis eſt, diſciplinam prudenter, diligenterque regere, et omnino curioſe videre, ne quid detrimenti res ſcholaſtica capiat.

Omnino, perquam difficilis res eſt, regere hominem in tenera etiam aetate, et officii ſui amantem atque ſtudioſum reddere, in eoque continere. XENOPHON, non minus artibus bellicis, quam ſapientiae ſtudiis maxime inſignis, (*in praefat. Cyropaediae*) in hanc rem ita diſputat, vt contendat, omnium artium difficillimam et rariſſimam, ſed eandem etiam praeſtantiſſimam eſſe rationem prudentem, animos aliorum regendi, cum homo naturali quodam vitio repugnare iis ſoleat, quorum imperio ſe ſentiat ſubiectum. Quod quidem nemini, humanae naturae indolem paullo curatius conſideranti, mirum, aut ad intelligendum difficile videri debet. Nam cum, iudice SENECA, (de Clement. I, 24.) animus humanus natura ſit contumax, et in contrarium, arduumque nitens, et nullum animal inueniatur moroſius, nullumque maiori arte tractandum, quam homo: non difficile intellectu eſt, quantae artis, prudentiae, cautionis, et propemodum religionis ſit, magnum aliquem coetum iuuenum, aetatis aeſtu feruescentium, ſuisque effrenis cupiditatibus nimis indulgentium, atque adeo omnis fere imperii impatientium, ita regere, et blandis, honeſtis tamen, artibus ita tractare, vt, quod fere malunt, non tam duci, quam ſequi videantur, et quod facere coacti deberent, id honeſtatis, vtilitatisque verae ratione commoti ſponte, & lubenter ſibi faciendum eſſe putent. Huc enim omnis inſtitutionis iuuenum, pru-

dentisque disciplinae ratio spectat, vt, quod maximum munus a philosophia se habere profitebatur *) ARISTOTELES, *quae legum metu alii faciant, ea sua sponte agenda sibi arbitrentur.* Quamuis difficilis autem haec res et sit, et habeatur: eam tamen facultatem habere, et multi laudabili exemplo suo ostenderunt, & ratio ipsa docet. Scilicet, adhibenda est in tota hac re quaedam prudentia et circumspectio, accurata humani animi consideratio, diversorum ingeniorum tractandorum cognitio, rerum aliquis vsus, et aliae quaedam artes, iuvenum animis capiendis, retinendisque aptae: quae quales sint, age, paullo enucleatius et copiosius, quantum quidem huius Prolusionis angustiae capiant, ostendamus.

In artibus disciplinae scholasticae prudenter regundae primam posuerim hanc, vt Praeceptor aequabili omnes discipulos amore complectatur, atque certa istius sinceri sui erga eos amoris documenta et quasi pignora praebeat, iisque non verbis solum, sed ipsis rerum testimoniis persuadere studeat, nihil magis sibi curae, cordique esse, quam ipsorum salutem, et quaecunque dicat, suadeat, moneat, praecipiat ex vno in ipsos amore, tanquam fonte, promanare. Sapientissimum enim est, ipsaque experientia, gravissima huius rei teste, confirmatum, praeceptum: *si vis amari, ama.* Hoc enim amore, adiuncta comitate, blanda illa animorum conciliatricula, discipulorum animi ita capiuntur, vt, nisi omnis amoris, humanique sensus vim amiserint, sinceriſſimo amore talem sibi praeceptorem prosequendum putent. Huius officii amoris Praeceptorum erga discipulos eo maior est necessitas, quo certius ipsis persuasum esse debet, se, cum primum aliorum liberos curae suae, fidei, doctrinaeque commissos viderint, parentum ipsorum vicem sustinere, animumque adeo paternum

*) Τὸ ἀνεπιτάκτως ποιεῖν, ἃ τινες διὰ τὸν ἀπὸ νόμων φόβον ποιοῦσι. Laert. V. 20.

num induere, et aeque ſollicitam diſcipulorum ſuorum curationem habere debere, ac parentes liberorum, quos Natura ipſa iis commendarit. Qui igitur in diſciplina ſcholaſtica prudenter regunda feliciter verſari, ſuoque officio et cum ſua ipſius voluptate, et diſcipulorum fructu fungi vult, is QVINCTILIANI illud (Inſtitutt. Orat. II, 2, 4.) commendatiſſimum ſibi habeat, inque munere ſuo obeundo, vt normam aliquam, ſequatur: *ſumat ante omnia* Praeceptor *parentis erga diſcipulos ſuos animum, ac ſuccedere ſe in eorum locum, a quibus liberi traduntur, exiſtimet.* Quod qui in officii ſui obeundi ratione negligunt, et non, niſi poenarum metu incuſſo, diſcipulorum animos parentiores ſibi reddere ſtudent, ii ſaepe, non ſine ſumma animi aegritudine, ipſo rerum vſu, perquam triſti, edocti, cognoſcunt, ſe parum in diſciplina regunda profeciſſe, et diſcipulorum animos exacerbaſſe magis, et a ſe abalienaſſe, quam amicos ſibi, et beneuolos, atque adeo ad parendum ſequaces reddidiſſe. Quod quidem non mirum iis videri debebat. Nam cum animi, a Natura bene informati, ea ratio, ea indoles ſit, vt nemini, niſi amice praecipienti, aut docenti, aut vtilitatis cauſſa ſuadenti, et imperanti adeo parere velit, et ſequi, quam trahi malit: facile intelligitur, iuuenes, generoſi inprimis ſpiritus, non alia facile ratione, quam blandis quibusdam artibus, tanquam honeſtis veneficiis, allici et capi poſſe, vt Praeceptorum conſiliis, admonitionibus, praeceptis, et imperiis adeo aeque lubenter et officioſe parendum ſibi exiſtiment, ac blandorum parentum voluntati. Prudentiae igitur Praeceptoris erit, etiam ibi, vbi cum imperio aliquid edicendum, diſcipulisque iniungendum ſit, rationem tenere hanc, vt eum iis, vt erectae, liberalisque indolis iuuenibus, humanitatisque ſtudioſis agat, nihilque facile iniungat, niſi quod antea ipſorum rationibus et felicitati vtiliſſimum eſſe perſuaſerit. Quod quidem facile efficietur, ſi diſcipuli prius eam ſibi perſuaſionem induerint,

quic-

quicquid admonitionum, imperiorumque Praeceptoris ſit, id, quoniam ab animo amico, beneuolo, et paterno proficiſcatur, non niſi huc ſpectare, vt ipſorum ſalus et felicitas, cuius cura et tutela Praeceptoribus commiſſa ſit, conſeruata amplificetur. Hanc autem de ſincero noſtro in ipſos amore opinionem, perſuaſionemque iis facile ita afferemus, ſi primo lubenter et cum voluptate inter eos ſaepius verſamur, blande eos alloquimur, interrogati comiter reſpondemus, non interrogantes vltro percontamur, nec inhumane, ſuperbeque tractamus, verbo, ſi iis ita vtimur, vt indulgentes, iidemque prudentes Parentes liberis vti ſolent ſuis. Hic Praeceptoris amor, vultu, verbis, totoque inſtitutionis actu declaratus, non ſolum hoc efficiet, vt diſcipuli amori illius amore reſpondeant, ſed hoc etiam, vt docentes libenter audiant, nec, qui adoleſcentum fere mos eſt, ſubſtrictis veluti auriculis horam, quae ſe e ſchola, tanquam carcere aliquo, emittat, anxie expectent. Magnam etiam habet vim ad amorem diſcipulorum conciliandum, ſi in erroribus, delictisque paruis, non tam e malitioſa petulantia, quam e iuuenili leuitate, oſcitantique negligentia profectis, non ſeueri diſciplinae exactores ſumus, ſed talia delicta aut iuuenili leuitati condonamus, aut verbis tantum, his tamen beneuolis magis, quam amaris et contumelioſis, caſtigamus: ſi interdum diſſimulamus, ea vidiſſe, vel cognouiſſe, et tamen commodo admonendi tempore diſcipulos docemus, eorum delictorum non ignaros nos eſſe, et beneuole, amanterque admonemus, leges ſcholaſticas paullulum connuere illas quidem, non autem iis dormire, vt diligentiſſime in poſterum caueant, ne huius, aut alius generis delicti rei reperiantur. Scilicet, imitemur et hic indulgentes ſuo in liberos amori parentes, qui etiam vitia eorum non magna moderate ferunt, & mollire ſtudent:

Stra-

Strabonem
Appellat Pactum pater, et Pullum, male parum
Si cui filius eſt, cetera,

eſt enim locus HORATII notus. Porro, in datis penſis corrigendis prudens Praeceptor rationem tenebit hanc, vt, de ſapienti QVINCTILIANI (Lib. I. Inſtitutt. 2, 7.) conſilio, non diſſimulet quidem, quae falſa et emendanda ſunt, in emendando autem neque acerbus, neque contumelioſus ſit, cum omnis emendandi ratio, coniuncta cum obiurgatione contumelioſa, animos diſcipulorum et a praeceptoribus, et a literis ipſis adeo ſaepe alienos reddere ſoleat. Ad amorem denique diſcipulorum nobis comparandum permultum faciet, ſi iis otium, vacationemque a literis vnam et item alteram horulam, concedimus, praeſertim ſi ſuo officio ſatisfeciſſe intellexerimus, eosque agere paullo liberius, honeſtoque et liberali homine digno modo languentes fractasque corporis et animi vires recreare permittimus. Haec venia, neque importune, neque nimis ſaepe conceſſa, vti et valetudini corporis tuendae, animique viribus reficiendis perquam ſalubris eſt: ita vix dici poteſt, quam blandam habeat vim, ad amorem diſciplinae noſtrae alumnorum nobis comparandum, alendum, et confirmandum, adeo, vt, generoſa quadam, et nobili humanitatis, obſequiique aemulatione et inſtituendi laborem, et diſciplinae rationem iucundiorem, facilioremque reddant. Illud autem prudens, ſalutisque diſcipulorum ſuorum amans Praeceptor ipſe intelliget, neque omnem iis ludendi licentiam, ſed eam tantum, concedendam eſſe, quae ab honeſtate et decoro non ſit aliena, neque nimis frequentes et immodicas vacationes a literis colendis dandas eſſe. In quo quidem ſemper memor erit illius praecepti FABII: (Inſtitutt. I, 3. 11.) *Modus ſit remiſſionibus, ne aut odium faciant negatae, aut otii conſuetudinem nimiae.*

Enim

Enim vero, etsi amor Praeceptoris erga discipulos magnam vim habet ad eos capiendos, et in officio suo continendos: tamen, cum, solum amorem, et blandam quandam indulgentiam saepissime adolescentibus ad liberiorem pro lubitu agendi licentiam, cupiditatumque lubidinem explendam occasionem et quasi ansam praebere, tristis experientia doceat: cum illo amore *auctoritas* vinculo necessario et arcto ita coniungenda et colliganda est, vt, si vnus et item alter effrenis petulantiae adolescens amori Praeceptoris locum non concesserit, auctoritatis quasi imperio in officio contineatur. Scilicet *amor* et *auctoritas* Praeceptoris mutuam sibi opem, adiutrices quasi manus porrigant, mutuumque auxilium ferant, ita, vt, vbi blanda amoris vox a iuuenibus, leuis plerumque, saepe etiam praefracti, animi, non audiatur, acerba auctoritatis vis sentiatur. Magna sane hic prudentia, magna cautione opus est. Qui enim solius amoris blanditiis concreditos discipulos regere, et in officio continere volunt, ii aciem auctoritatis hebescere patiuntur, suaque intempestiua, et quodammodo crudeli, indulgentia iuuenes, ipsos ad effrenem licentiam procliues, suis cupiditatibus, lubidinibusque libere et impune indulgere permittunt. Qui ita rationem disciplinae scholasticae instituunt, ii profecto parum memores se esse sapientis illius praecepti HORATIANI (Lib. I, Sermon. 2.) ostendunt: *Puerum rege, qui, nisi paret, imperat.* Et quam aliam caussam esse dicamus, quod multi adolescentum disciplinae frena mordere, imperiique veluti iugum excutere saepe audent, quam hanc, quod antea nimis blande et molliter tractati imperium, aliquando necessario exercendum, grauiter indignati insolenter detrectant? Scilicet est in hominis animo quaedam cupiditas, omnis imperii detrectandi, et suo vnius arbitrio, quicquid lubeat, agendi. Cuius rei indicia in tenerrima etiam aetatula infantum iam animaduertere licet, qui, vbi nutriculam lubidini suae aduersari sentiunt, illico in ploratus

ratus erumpunt, et manibus, pedibusque indignatiunculam ſuam, et iram adeo, quamquam ſine viribus vanam, produnt. Prudens igitur temperatio et colligatio amoris et auctoritatis facienda eſt, adeo, vt, niſi blanda illius inuitamenta diſcipulos ad officium allicere poſſint, huius ſeueritas paullo acerbior cogat. *Auctoritas* autem, quae in Praeceptore cum ad inſtitutionem, tum ad diſciplinam regundam neceſſario requiritur, non cernitur, vt multi, opinionis errore decepti, ſibi perſuadent, in affectato vultu triſti, auſtero, minaci, in verbis detonantibus, pugnisque expediendis, et aliis rebus, aptis illis quidem ad terrorem aliquamdiu diſcipulis incutiendum, minime autem ad auctoritatem, reuerentiam, obſeruantiamque Praeceptori comparandam. Longe aliae artes, (*media* barbare dicunt,) eaeque honeſtiores ſunt, quibus auctoritas et parienda et tuenda eſt. Nempe cum *auctoritas* in vniuerſum nihil aliud ſit, quam *inſignis quaedam opinio, quam alii de noſtra virtute, honeſtate, doctrina, aliisque dotibus amabilibus habent:* facile intelligitur, commodiſſimam, tutiſſimam et vnicam viam auctoritatis apud diſcipulos conſequendae eſſe hanc, vt Praeceptor non vana quadam, et deceptrice ſpecie, verborumque inanium pompa, ſed ipſis rerum documentis diſcipulis ſuis inſignem quandam de ſua pietate, probitate, honeſtate, doctrina, docendi facultate, et cura ſalutis diſcipulorum afferat opinionem, adeo, vt hanc ſibi perſuaſionem induant, omnia dicta et conſilia Praeceptoris, vt pii, probi, prudentis, diſcipulorumque ſuorum amantis, ad veram vtilitatem, ſalutemque ſuam ſpectare, doctrinas autem ipſius, vt viri docti, artisque ſuae periti, eſſe eas, quae ipſos indies a bonis literis inſtructiores, venuſtateque morum politiores reddere poſſint. Hanc opinionem ſi de Praeceptore ſuo imbiberunt, reque ipſa quotidie magis, magisque confirmari intellexerunt: vix fieri poteſt, quin eiusmodi Praeceptor magnam apud diſcipulos conſequatur auctoritatem, et non minorem

rem reuerentiam ſibi comparet, quam amorem. Permultum etiam facit ad auctoritatem Praeceptori comparandam, ſi non ſolum plurimus ei eſt de honeſto, rectoque ſermo, ſed pietate etiam, honeſtate, probitateque morum, et exemplo honeſto laudabilique diſcipulis ſuis praeire ſtudet, ne, quae vitia in iis reprehendat, et caſtiget adeo, eorum labe ipſe contaminatus inueniatur. *Cauendum* nempe *Praeceptori eſt, non ſolum crimine turpitudinis, ſed etiam ſuſpicione.* Nihil enim magis ineptum, et ridiculum, nihil turpius et eſt, et habetur, quam in alio id reprehendere, quin caſtigare velle, cuius reus ipſe reperiare. Qui hanc perſonam aut ſuſtinet, aut ſibi arrogat, vt mores aliorum reprehendat, et delicta puniat, quis huic facile ignoſcat, ſi eo ipſo nomine reprehendendus videatur, et a ſui officii religione receſſiſſe deprehendatur? Quis ei Praeceptori facile fidem habebit, qui v. c. manſuetum, leuem, et in condonando facilem animum copioſa et graui oratione mirifice praedicat, et commendabilem, amabilemque reddit, et eius praeſtantiam, neceſſitatemque luculentis rationibus confirmat: ipſe autem notabili vitio inter alia inſignis eſt hoc, vt in eos, a quibus iniuriae aliquid paſſus eſt, acerbitatis ſuae virus quauis occaſione, inſidioſe capta, euomere, et malitioſam iſtam vlciſcendi cupidinem explere ſtudeat? Scilicet hoc eſt diſcipulos vita et moribus docere! Talis auctor doctrinae de moribus, et honeſtatis magiſter ſimilis mihi videtur illi Salaetho Crotoniatae apud LVCIANVM, (*Pro merced. conduct.* T. I. p. 486. Edit. GRAEVII,) qui cum legem duriſſimam Crotoniatis in adulteros tuliſſet, ob eamque in admiratione magna eſſet, paullo poſt cum ſui fratris vxore in adulterio eſt deprehenſus: aut illi pharmacopolae, de quo apud eundem LVCIANVM l. c. eſt, qui cum praeſentem medicinam tuſſis expellendae venditaret, eaque affectos ſtatim ſe liberaturum iactaret, ipſe interim tuſſi miſere torqueri, et fere enecari cernebatur. Verbis ſane vix exprimi

exprimi poteſt, quam pernicioſam vim peruerſi Praeceptorum mores in animis diſcipulorum teneris habeant, et quam facile iis perſuaſionem afferant, ſibi quoque perpetrare turpe non eſſe, quod ſuum magiſtrum facere vident. Nam, vt recte QVINCTILIANVS, (Lib. I. Inſtitutt. 1, 5.) *natura tenaciſſimi ſumus eorum, quae rudibus annis percipimus, et haec magis pertinaciter haerent, quae deteriora ſunt.* Quodſi rudes, integrosque diſcipulorum animos a vitiorum conſortio Praeceptoris ſanctitas tutos praeſtare, et religioſe cauere debet, vt ne mores ipſorum verbo aliquo turpi, ſermoneque inhoneſto, veluti contagione quadam, inficiantur, cum nulla vox inhoneſta impune ad eorum aures perferatur: quanto curioſius Praeceptori cauendum eſt, ne vita, exemplo, moribusque inhoneſtis et indecoris diſciplinae ſuae alumnos corrumpat, et incaute ad peccandi libidinem irritet! *Praeceptor*, de praecepto QVINCTILIANI, (Lib. II. Inſtitutt. 2. 5.) *nec habeat vitia, nec ferat.* Quare, vt Praeceptor et auctoritatem ſibi comparet, et diſcipulos habeat parentiores, ad obediendum ſequaciores, ſuique officii ſtudioſiores, id inprimis datum ſibi exiſtimet, vt et ſe ipſum virum probum, honeſtumque vita ipſa, moribusque praeſtet, et eorum animos accurata religionis cognitione inſtruat, ad pietatis, virtutis, honeſtatisque ſenſum et amorem concipiendum concitet, ſtudioque veri honoris, non vanae iſtius et inanis gloriolae, quam vulgo *ambitionem* vocant, inflammet. His enim artibus, tanquam acribus calcaribus, facile eos inſtigabit, vt ſacroſanctae religionis auctoritate, virtutis, honeſtatisque amore, veri honoris ſenſu, veraeque felicitatis ſtudio commoti ſuum ſibi quisque officium cum voluptate aliqua agendum arbitrentur. Vix dici poteſt, quam alte religionis, virtutis, honeſtatisque praecepta in animos puerorum, adoleſcentumque teneros adhuc et integros deſcendant, quam altas ſenſim radices agant, et quam laetos paullatim fructus proferant, praeſertim ſi a Praeceptore, quem ſalutis

ſuae amantiſſimum cognouerint, ipſis dantur, animis inprimis adhuc teneris, atque adeo ad accipienda ſalubria praecepta mollibus, et ad ſeruanda tenacibus, nec peruerſarum de rebus diuinis opinionum tanquam veneno infectis. Plurimum ſane refert, mature in teneros adoleſcentum animos religionis, virtutis, honeſtatisque ſemina ſpargi, et ſubinde Praeceptoris, tanquam boni, et diligentis cultoris, praeceptis ſaluberrimis, fideliſſimis admonitionibus, et cohortationibus, veluti nutrimentis ali et corroborari, nutriendoque perduci eo, vt, tanquam tenerae arbores in dies magis, magisque ſurgant, et, maturis viribus, fructus proferant, vti Praeceptoribus dulces et gratos, ita Reipublicae vtiles et ſalutares. Nam, vt recte QVINCTILIANVS, (Inſtitutt. Lib. I, 1,5.) *natura tenaciſſimi ſumus eorum, quae rudibus annis percepimus, vt ſapor, quo noua imbuas, durat, nec lanarum colores, quibus ſimplex ille candor mutatus eſt, elui poſſunt.* Omnibus hominibus benefica Natura quosdam quaſi igniculos virtutum, honeſtarumque rerum indidit, qui, honeſta aliqua ratione, tanquam flabello quodam, ſuscitandi, et quibusdam nutrimentis alendi ſunt. Nihil aptius autem, nihil efficacius eſt ad hos quaſi ſopitos virtutum igniculos ſuscitandos, et inflammandos, quam frequens Praeceptoris ſermo de religione, virtute, honeſto, decoro; cuius ſermonis, ſaepius auditi, diuturnitate et quaſi familiaritate iuuenum animi, qui quidem non plane ad omnem turpitudinem abiecti, et ad honeſti ſenſum obtuſi, contractaque praue agendi conſuetudine plane corrupti ſunt, ita ſenſim virtutum pleni, concitabuntur, vt virtute, probitate, honeſtateque nihil praeſtantius, nihil amabilius, nihilque adeo ſtudioſius experendum ſibi arbitrentur. In quam rem operae pretium fuerit, QVINCTILIANVM, (Lib. II. Inſtitutt. 2, 8.) ſapienter et hic praecipientem, audire, vt, quae diximus, vim iis, auctoritatemque addat. *Plurimus ei*, Praeceptori inquit, *de honeſto ac bono ſit ſermo. Nam quo ſaepius monuerit,*

nuerit, hoc rarius caſtigabit . . . . Ipſe aliquid, immo multa quotidie dicat, quae ſecum audita referant. Licet enim ſatis exemplorum ad imitandum ex lectione ſuppeditet: tamen viua illa, vt dicitur, vox alit plenius, praecipueque praeceptoris, quem diſcipuli, ſi modo recte ſunt inſtituti, et amant et verentur. Vix autem dici poteſt, quanto libentius imitemur eos, quibus fauemus. Haec frequens Praeceptoris ad virtutem cohortatio, haec crebra honeſtatis praecepta alte in animos erectae indolis iuuenum deſcendent, vimque habebunt hanc, vt non ſolum illa honeſtarum rerum ſemina, quae humanae mentes Naturae beneficio gerunt, crebra fidelis Praeceptoris admonitione non aliter, ac ſcintilla leui flatu adiuta, ſuum quaſi ignem explicent, ſed diſcipulos etiam ſenſim perducant eo, vt liberali Praeceptoris diſciplinae eo lubentius pareant, quo acrius ſe virtutum, rerumque honeſtarum quaſi ſtimulis ad eam rem ſentiunt incitari. Quid? quod haec aſſidua Praeceptoris opera, quae in virtutis, honeſtatisque praeſtantia, vtilitateque laudanda et commendanda verſatur, paullatim conſuetudinem, facilitatem, cupiditatemque honeſte agendi, iuuenum animis inſtillabit, adeo, vt, quod TACITVS (de Mor. German. c. 19.) de Germanis praedicat, *plus boni mores* apud eos *valeant, quam* apud alios *bonae leges.*

Sed ad diſciplinam ſcholaſticam, e iuuenum vtilitate, ſcholaeque ſalute regundam, requiritur inprimis prudentia Praeceptoris haec, vt, cum primum munus inſtituendae, regundaeque iuuentutis ſuſceperit, relictis omnibus vniuscuiusque diſcipulorum ingenium, indolemque exploret, et, quantum fieri poſſit, intimos animorum quaſi receſſus rimetur, ad quorum diuerſitatem non docendi ſolum et inſtituendi, ſed gubernandi etiam rationem dirigat atque componat. Eſt quidem haec res, propter animi receſſus altos, magnasque latebras, paullo difficilior,

lior, et non tam oratione docenda, quam curiosa obser-
vatione, experiundoque cognoscenda, ad felicem autem
institutionis, disciplinaeque successum maxime necessaria
et fructuosa. Hac enim diuersitate ingeniorum, animo-
rumque cognita, eo facilius Praeceptor perspicere potuit,
qua arte cuiusque ingenium sit formandum, animusque
fingendus, et blanda quasi vi capiendus.

Ingenii autem, animique iuuenum cognoscendi com-
modissima occasio captanda est tum, cum vna et item al-
tera horula a literis colendis vacua, honestae animi recrea-
tioni, corporisque exercitationibus concessa, quoniam sibi
solis relictos se, atque adeo, custodibus, arbitrisque remo-
tis, liberius et simplicius agere posse putant, suum quis-
que pectus intimum quasi denudant, veramque animi in-
dolem produnt. His igitur horis, quibus mores iuuenum
inter ludendum simplicius sese detegunt, perquam oppor-
tunum erit, a Praeceptore, quasi e specula aliqua, nec opi-
nos obseruari, eorumque voces, actiones, moresque ad-
notari. Prudentiae in disciplina scholastica regunda etiam
est hoc, vt, quoniam adolescentuli, suae sibi licentiae re-
licti, nihil agere, et, nihil agendo, male adeo agere so-
lent, Praeceptor eos non facile solos relinquat, sed saepe nec
opinos opprimat, et, quos officii sui immemores offende-
derit, mature commonefaciat, suoque adeo frequenti nec
opino interuentu ita assuefaciat, vt sibi etiam solis relicti
intra officii sui fines contineantur. Vix dici potest, quam
saepe petulantiae, lasciuiae, malitiaeque adeo iuuenum
ista vigilanti cura, e specula veluti excubante, caueri et oc-
curri possit. In quo quidem haud scio, an a multis scho-
larum magistris grauiter peccari dicam, qui ista dissoluta
incuria, et socordi cura discipulos suae, quicquid velint
agendi, lubidini permittunt, et, si quid forte petulanter,
inhoneste que actum ab iis cognouerint, illico pugnos, vir-
gasque expediunt. Quanto prudentius, iuuenumque ra-
tion bus consultius erat, multis eorum delictis prudentia,

curio-

curioſaque vigilantia caveri, quam in ea poſtea ſeuere animaduerti! Non plane inepte igitur egiſſe putandus eſt DIOGENES, qui, cum in ſcholam quandam ingreſſus pueros petulantius, ferociusque laſciuientes offendiſſet, ad Praeceptorem conuerſus, inquit: *Cur vero tu ita doces?* innuens nempe, per ſcholae magiſtrum ſtare, quo minus modeſtiores, et a moribus politiores diſcipulos haberet. Bone DIOGENES, ſi hodie, ab inferis excitatus, in multas ſcholas noſtras ingreſſus eſſes, quoties tibi haec cantilena eadem non ſine quadam indignatiuncula canenda eſſet!

Illud quoque diligenter operam dare debent, quicunque munus inſtituendi, regundique adoleſcentes ſuſceperunt, vt, queinadmodum morum venuſtorum, ita et munditiei, (non odioſae iſtius, nimisque exquiſitae, foeminarum, formoſos oculis venantium, propriae, et quodammodo inſitae,) cum corporis, tum veſtium amantes ſint et ſtudioſi. Nam iſta diſſoluta munditiei cura, iſta agreſtis in veſtitu negligentia adoleſcentum diuturnitate temporis eam vim habet, vt, conſuetudine contracta, adultiores etiam, et viri adeo facti, ſordibus deformes, veſtituque et toto cultu incompoſito notabiles non ſine riſu, et contemptu hominum vrbaniorum, et politiorum incedant. *Adeo in teneris conſueſcere multum eſt!* Sunt ſane multi puerorum et adoleſcentulorum, qui ſuis ſordibus, porcellorum inſtar, delectentur: qui, etſi ab aliis dotibus egregiis commendabiles ſunt, tamen ob hanc cultus ruſticitatem non facile fauorem, et gratiam hominum politiorum (et quis in horum cenſum his noſtris temporibus referri ſe non cupit?) conſequentur. Nam quis hominem, qui ob ſordes dentium, nunquam purgatorum, ob grauem animam, odoremque foede exhalatum, ex iſta negligenti munditiei cura contractum, moleſtus et intolerabilis eſt, aut manibus, ſordium macula oppletis, ve-

ſlibusque hinc inde laceris incedit, aut crinibus hirſutis et erectis, vagisque per collum pendentibus horret, aut aliis quibusdam ſordium maculis inſignis conſpicitur, quis, igitur, iſtum hominem facile admittat, lubenter ſecum retineat, et vel alloquio dignetur? Iſti igitur immunditiei corporis, diſſolutaeque cultus incuriae ſtudio Praeceptoris cauendum, contra ea elegantiae honeſtae, ingenuos adoleſcentes decentis, cura iis ſtudioſe cum voce, tum exemplo commendada eſt. Ne dicam, illos de puerilibus corporibus et ſanis, mundisque vapores ad ſanitatem, producendamque adeo vitam multum valere, eamque ipſam inter cauſſas non vanas referri, quod multi in ſcholis magiſtri ad crudam, vegetamque ſenectutem perueniunt: quae obſeruatio magni GESNERI (T. I. Opuſc. p. 61.) eſt, cuius, Doctoris quondam mei, memoria ſemper mihi erit ſancta. Ceterum, non alienum, puto, ab hoc loco erit, optimi illius NEANDRI verba hic ſubiungere, qui in hanc ſententiam de hac re aliquo loco diſputat: *Videndum eſt* Praeceptori, *vt totus cultus* adoleſcentum, *vultus*, *geſtus*, *et habitus corporis ingenuam modeſtiam et verecundam indolem prae ſe ferat. Vt ſint elegantiae obſeruantiſſimi. Ne vacillent tibiis, nec ſint geſticuloſae manus, ne mordeant labra, ſcabant caput, nec fodiant aures. Ne ambulando greſſus imitentur hiſtrionum, et quaſi fercula pomparum geſtantium: et quotiescunque gradum transferant, modulos quosdam ſeruare videantur, qui greſſus, vt peſtis, fugiendus. Nec curſim nimis ambulent, nec lente nimis. Greſſus ſit probabilis, in quo tranquillitatis veſtigium: motus ſit purus et ſimplex. Nihil furatum, nihil adfectatum placeat. Motum natura informet: ſi quid autem in natura vitii eſt, emendet induſtria.*

Quamquam autem Praeceptori, omnes et ſingulos adoleſcentes, inſtitutioni ipſius, fideique commiſſos, aequabili amore complecti, liberalique adeo diſciplina in officio conti-

continere cupienti, nihil acerbius eſt, quam triſtis puniendi neceſſitas: tamen, cum in frequenti adoleſcentum coetu optandum magis, quam ſperandum ſit, non inueniri immorigeros, natura intemperantes, immodeſtos, obſtinatos, contumaces, frena mordentes, iugumque iactantes, officiique ſui negligentes: iſta triſtis poenae infligendae neceſſitas vix vlla ratione euitari poteſt. Nunquam forte tam bene cum ſcholarum magiſtris actum eſt, quin in frequentiori diſcipulorum coetu vnum, et item alterum haberent, qui peruerſa animi indole, noxia et crudeli matris indulgentia, et moribus, e praua conſuetudine corruptis, ad omnes grauiſſimas, fideliſſimasque admonitiones et cohortationes ita obduruerit, vt non, niſi diſciplinae ſeueritate, in gyrum cogi, poenisque ſui admoneri poſſe officii videretur. Itaque et diſciplinae ſcholaſticae leges, et ipſius ſalutis horum diſcipulorum ratio exigit hoc, vt, ſi omnes admonitiones amantiſſimae, omnes cohortationes grauiſſimae, omnes corrigendi artes leniſſimae fruſtra ſunt adhibitae, acerbitate poenarum ad officium ſuum cogantur. Non dormiat tum diſciplinae ſeueritas, ſed Praeceptoris auctoritas diſcipulos a licentia deterreat effreni. Nam, vti moroſa et triſtis auſteritas in Praeceptore laudanda non eſt: ita diſſoluta comitas non ferenda, ne inde odium, inde contemptus erga Praeceptores oriatur. Lenitas et mitis animus in Praeceptore ita probandus eſt, vt adhibeatur, ſalutis ſcholae cauſſa, ſeueritas, ſine qua adminiſtrari ſchola non poteſt. Sed in poenis ipſis etiam infligendis non vna cautio eſt adhibenda, (de qua re paullo poſt dicetur,) neque ad vltimum hoc, tanquam extremae neceſſitatis remedium, prius confugiendum, quam omnes aliae artes molles, emendando, reducendoque ad officium diſcipulum aptae, fruſtra ſunt conſumtae. In quo quidem diligentiſſime commendatum Praeceptoribus ſit ſapientiſſimum illud, diſciplinaeque ſcholaſticae regundae accommodatiſſimum praeceptum SENECAE: (de Ira

I, 5.) *Legum praefidem decet, quamdiu poteſt, verbis, et his mollioribus, ingenia curare, vt facienda ſuadeat, cupiditatemque honeſti et aequi conciliet animis, faciatque vitiorum odium, pretium virtutum: tranſeat deinde ad triſtiorem orationem, qua moneat adhuc, et exprobret: nouiſſime ad poenas, et has adhuc lenes, et reuocabiles decurrat: vltima ſupplicia ſceleribus vltimis ponat, vt nemo pereat, niſi quem perire etiam pereuntis interſit.* Pauciores ſane eſſent adoleſcentuli immorigeri, et contumaces, ſi prudentius tractarentur, et raro ad grauiores poenas decurrendum eſſet, ſi Praeceptores eos mature obedientiae, obſequioque praeſtando aſſuefacerent, iisque ſenſim quandam quaſi facilitatem parendi, ſtudiumque officii agendi inſtillarent. Quod quidem in plurimis iuuenum animis effici poteſt, ſi ope auctoritatis, iis artibus, quas ſupra indicabamus, comparandae, adoleſcentulis quendam non ſolum amorem, ſed metum etiam erga Praeceptorem inſtillare ſtudemus, non ſeruilem illum, et terrore poenarum expreſſum, ſed liberalem, iuſtisque Praeceptoris meritis, virtutibusque debitum. Hae duae res ſaepiſſime Praeceptoribus puniendi occaſionem eripient, manusque vindicatrices quaſi vincient, et diſcipulos modeſtiae finibus ita continebunt, vt non facile ſeueritati dent locum. Quodſi autem quidam immorigeri et contumaces ſint, vt in tam numeroſo adoleſcentum diuerſi et ingenii, et animi coetu eſſe ſolent, (cum ne ipſa quidem Seruatoris noſtri ſchola a talibus diſcipulis plane libera fuerit,) qui, lenibus emendandi remediis h. e. admonitionibus fideliſſimis, conſiliis prudentiſſimis, cohortationibus, quin comminationibus grauiſſimis ſusque deque habitis, ad officium ſuum perduci ſe non patiuntur, et diſciplinam, quam intemeratam ſeruari totius ſcholae intereſt, exemplo ſancire Praeceptores cogunt, ii vero poenis ſunt coercendi. Nam neque exſultans iuuenilis licentia certius continetur, quam diſciplinae paullo acerbioris vinculis iniiciendis, et adſtringendis, neque Praeceptoribus

ribus vel mitiſſimi ingenii ita lenibus eſſe licet, vt, poſthabitis legibus et diuinis, et humanis, iuuenilem petulantiam impune ferocius exſultare, pati debeant. Sed in ipſa triſti poenae paullo acerbioris infligendae neceſſitate duo ſunt curioſe, et propemodum religioſe obſeruanda: quorum alterum eſt hoc, vt diligentem quaſi delectum et ingeniorum, et delictorum ipſorum faciamus, neque vno omnia numero, locoque habeamus, poenisque iisdem coerceamus. Nam, quae e iuuenili animi leuitate, ex oſcitantia, ex inſcitia, aut aliis huiusmodi fontibus promanant, in ea expeditis ſtatim virgis, aut aliis eiusmodi tremendis officii admonendi magiſtris animaduertere velle, id vero Praeceptoris eſſet bilioſi, parumque prudentis, neque ſane digni, qui, cum ſe ipſum nondum regere didicerit, ab adoleſcentum literarum ſtudiis, moribusque regundis eſſet. Nec nimis duriter ſunt iuuenum ingenia, praeclara praeſertim, tractanda, ne inſita vis, omni ratione fouenda, et lenitate admonendi, corrigendique regunda, extinguatur, praeſertim cum iuuenes ſaepe lapſu ipſo, ſi amica manu tollantur, ad cauendum in poſterum fiant cautiores. Bene in hanc rem ille ingenii politiſſimi POLITIANVS in quadam ad Laurentium Medicem epiſtola, exhibita etiam a GRVTERO in *Lampade Critica*: (T. I. p. 122.) *Vt boni agricolae nihilo minus noxias frugibus plantas, herbasque conuellere atque exſtirpare ſolent, quod foecundi ſoli ingenium ex illis animaduerterint: ita profecto parentes ac magiſtros nihilo magis teneris adhuc vitiis indulgere oportet, quod ea optimae, ingenuaeque naturae documenta praebuerint.* Quid igitur? dicat quis: nullae in iuuenili petulantia liberius exſultante, et ferociente adeo poenae paullo acerbiores adhibendae ſunt? Sunt vero: ferocius enim tum iuuenilis licentia exſultat, vbi ſuae malitioſae petulantiae impunitatem propoſitam videt. Ibi autem iſtae poenae grauiores adhibeantur, vbi contumacia non expugnanda, malitia nullis artibus coercenda, iniuria violenta, deteſtan-

dum mendacium, calumniae, manus tagaces, impia cultus diuini, rerumque sacrarum contemptio et profanatio, et huius generis vitia alia has duras, extremasque emendandi artes efflagitant. In leuibus autem delictis, v. c. si memoria non constiterit, aut si oculus parum agilis in legendo haeserit, aut si iuuenilis animi leuitas parum deliquerit, aut si diligentia in litteris colendis paullo remissior facta fuerit, statim poenas acerbiores, virgarum inprimis, baculorumque ministerio (quod poenae genus illiberale, quoniam homine ingenuo indignum, atque adeo non facile adhibendum est,) exercere velle, id vero plagosi et bilioſi Orbilii, non prudentis Praeceptoris, et est, et habetur. Sapienter in hanc quoque rem disputat QVINCTILIANVS, admirabilis ille iuuentutis prudenter instituendae magister, (Lib. I. Institutt. 3, 14.) *Caedi discentes, quamquam et receptum sit, et Chrysippus non improbet, minime velim. Primum, quia deforme atque seruile est, et certe, quod conuenit, si aetatem mutes, iniuria. Deinde, quod, si cui mens tam illiberalis est, vt obiurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, vt pessima quaeque mancipia, durabitur. Postremo, quod ne opus quidem erit hac castigatione, si assiduus studiorum exactor adstiterit. Nunc fere negligentia paedagogorum sic emendari videtur, vt pueri non recte facere, quae recta sunt, cogantur, sed cum non fecerint, puniantur.* Ad quem locum magnus GESNERVS: *Vtinam ex alta turri concionari quis omnibus, qui vsque quaque sunt, paedagogis hoc possit. Non condonanda sunt parvis pueris peccata: reuocandi etiam plagis a pernicie, quibus per imbecillitatem iudicii aliter consuli non potest. Sed non putandum est, posse plagis effici, vt discat puer, vt diligens sit. Orbilii plagosi maiorem partem puerorum corrumpunt, vt studia oderint ante, quam norunt. Pulsate, si ita videtur, petulantes, coercete verberibus maledicos: sed cunctantes, pigros, negligentes alia quauis ratione excitate.*

excitate. Conferatur in eandem ſententiam Plutarchus *περὶ παίδων ἀγωγῆς*, p. 14. *Editionis Stephanianae.*

Alterum in poenis expetendis diligenter tenendum, ſequendumque eſt hoc, vt, ſi quid commiſſum ab vno et item altero fuerit, quod lex diſciplinae inultum non patitur, non iracundiae aeſtu abrepti ad puniendum feramur, nec poenas extemplo irrogemus et repraeſentemus, ſed re prius probe deliberata, et, ſi neceſſe videatur, cum Collegarum conſilio etiam communicata, ne indignationis, iraeque ardore in transverſum auferamur, et, dum peccata aliorum punire volumus, puniendo ipſi peccemus. Nam, vt recte SENECA, (de Ira I, 15.) *cum ira delictum animi ſit: non oportet peccata corrigere peccando.* Nota eſt ſapiens, et SOCRATE digna vox, qui ſeruo, a quo grauiter laeſus fuerat, *caederem te*, ait, *niſi iraſcerer.* Sapiens profecto, et imitatione dignum magni animi exemplum! Neque ſane ad coercitionem errantium, et delicta committentium adeo irato caſtigatore opus eſt. Hanc prudentiae regulam qui in caſtigando non vbique ſequitur, et indignitate delictorum commotus, iratusque ad poenam exigendam non tam accedit, quam fertur, is nunquam ſane illam, Peripateticis tantopere laudatam et commendatam, *mediocritatem*, quae inter nimium, et parum eſt, tenebit. Neque minus diligenter in poenis ſumendis curandum, videndumque eſt, vt ne maior poena, quam culpa, ſit, aut in contumeliam, ignominiamque illius, qui coercendus eſt, decreta videatur, ſed vt omnes intelligant, hanc poenam ipſius ſcholae ſalutem (quae ſuprema Lex et eſt, et habetur,) exigere, et ad commilitonum admonitionem ſaluberrimam, vtilitatemque referri, neque aliud, quam caſtigati vtilitatem, quaeri.

P. P. in Illuſtri Moldano a. d. IV. Septembr. A. R. S. CIↃIↃCCLXV.

PRO-

X.

PROLVSIO
DE MAGNA VI NEGLECTAE EDVCATIONIS LIBERORVM DOMESTICAE IN DISCIPLINAM SCHOLASTICAM.

Communes hodie sunt, omniumque fere ore iactae querelae de educatione liberorum domestica, partim plane neglecta, partim peruerse instituta, quam in caussa esse dicunt, quod nostra aetas tam magnum, eumque infelicem prouentum eorum adolescentum tulerit, et etiamnum ferat, qui, adultiores facti, omnis fere virtutis, honestatisque negligentes, et in crassa omnium rerum, artiumque, vitae humanae vtilium et necessariarum, ignorantia versantes, cum patriae oneri, tum parentibus dedecori et sint, et habeantur, atque hinc inde vagi, miserique oberrent. Iam, etsi ego omnium rerum non ita ignarus sum, quin sciam, eandem cantilenam flebilem et maiorum nostrorum aetate, et antiquissimis adeo temporibus a viris sapientibus, honestatis studiosis, salutisque patriae amantibus fuisse iam cantatam: tamen et hoc scio, et contendere mihi posse videor, hanc nostram inprimis aetatem iustissimam praebere caussam, de ista re acerbe conquerendi. Cuius enim aures in communibus omnium fere sermonibus ita peregrinantur, aut cuius oculi in rebus quotidie occurrentibus ita quasi coecutiunt, quin saepe coguouerit, quam male blanda, et intempestiue indulgens, quam laxa, et quodam modo dissoluta plerumque sit liberorum educatio atque disciplina? Quod quidem non est,

quod

quod magnopere mirandum putemus. Nam, quo magis haec noſtra aetas ad omnem fere mollitiem, ignauiam, laboris fugam, et iners, deſidioſumque otium proclиuis eſt, quo magis in religionis amore, virtutisque ſtudio friget: eo etiam remiſſior fere eſt, eo magis ſocors cura liberos prudenter, honeſteque educandi, ſenſuque rerum honeſtarum, omni ſtudio expetendarum, imbuendi. Quamquam autem omnes, quibus Reipublicae ſalus curae, cordique eſt, iuſtiſſimam cauſſam habent, de neglecta, aut peruerſe inſtituta liberorum educatione, diſciplinaque domeſtica conquerendi: tamen haud ſcio, an inprimis ſcholae magiſtris omnes iſtae querelae non vna de cauſſa ſint fundendae, et facillime condonandae. His enim cum plerumque exedendum, bonoque et firmo ſtomacho concoquendum ſit, quod parentum ſiue ſocors liberorum educandorum negligentia, ſiue ignoratio et imprudentia, ſiue mollis et crudelis indulgentia intriuit: quis non his facile conceſſerit, ſi, ipſius muneris ſui acerbitate, reique indignitate compulſi, querelas, acerbas illas quidem et graues, iuſtas tamen de adoleſcentum, doctrinae ipſorum, inſtitutioni, diſciplinaeque commiſſorum, ignorantia, petulantia, contumacia, morum ruſticitate, et malitia, nullis fere artibus coercenda, effundant. Neque hoc ita dixi, vt mihi ipſi eiusmodi querelas concedi, condonarique velim. Nam ego ſane longe abſum, vt, de more querularum aniculārum, aliorum aures miſeris querelis iaciendis obtundam, ſiue, quia non habeo, quod magnopere de ſorte mea conquerar, ſiue, quia cognoui, omnibus iſtis querelis, quamvis iuſtis, nihil aliud fere effici, quam vt alii tacito riſu eas excipiant et transmittant, alii autem a moroſo ſchol'ae magiſtello, *cui feruens difficili bile tumet iecur*, atque adeo in miſeriis ſuis exaggerandis ingenioſo, prolatas arbitrentur. Quae huc vſque diximus, in ſententiam potius diſputauimus hanc, vt hac prolusione, actui oratorio ſolemni, quo Illuſtris Moldani noſtri, ante hos ipſos CCXVI annos

annos aperti et conſtituti, dies Natalis grata, piaque mente celebranda eſt, praemittenda, doceremus, quantam, et quam pernicioſam vim (*influxum* vulgo eleganter vocant) neglecta liberorum educatio, et diſciplina domeſtica in inſtitutionem, diſciplinamque ſcholaſticam habeat, et quam difficilem eam, moleſtiarumque plenam reddat.

Iam primum, ſi hominum generi nihil dulcius, cariusque datum eſt, quam ſui cuique liberi, et ſi ipſius Naturae vox atque auctoritas, commendabili aliqua gratia, nobis iniungit hoc, vt, quibuscum vel ipſius neceſſitatis, vel cuiuscunque neceſſitudinis vinculo coniuncti ſumus, eorum ſaluti, rationibusque pro ſua quisque facultate conſulamus: debent profecto parentes in officiis ſuis primis, maximeque neceſſariis ponere hoc, vt liberos a teneris inde annis moribus iis fingant, ea diſciplina domeſtica contineant, vt, quos ſuos aliquando videre cupiant, h. e. florentes, felices, beatos, ii etiam fiant. Cuius quidem educationis ſuae, diſciplinaeque ſapientis et honeſtae, inter alios, dulciſſimum, vberrimumque fructum percipient hunc, vt, quos liberos ſuos amare neceſſe ſit, eos etiam ament libenter. Et hoc officium, ſapienter, honeſteque educandi liberos, hoc munus parentibus eo grauius, eo magis neceſſarium eſſe debet, quo magis incertum eſt, quam longa ſit cuiusque parentum vita futura, adeo, vt viui, vel ipſius amoris neceſſarii erga liberos religione, obſtricti teneantur, eorum ſaluti, prudenti honeſtaque educatione, conſulere, eaque re firma futurae fortunae iacere fundamenta. Et quod monimentum clarius, honorificentius parentes, ſi ipſi viri ſancti, honeſtique fuerint, relinquere mortui, quod gratius, et praeſtantius munus Reipublicae afferre, et relinquere poſſunt, quam liberos, paternarum virtutum haeredes, omnisque honeſtatis amantes atque ſtudioſos?

Quodſi

Quodſi antiquiſſimorum temporum memoriam mente, cogitationeque repetimus: inueniemus, parentibus omnibus, niſi quos aut Natura ad omnem animi turpitudinem abiecerit, aut ingenii ferocitas ad omnem humanitatis, honeſtatisque ſenſum obtuſos reddiderit, inſediſſe opinionem hanc, vt putarent, quoniam liberi non ſibi ſolis, ſed patriae inprimis eſſent nati, vt a) PLATO veriſſime iudicat, eos mature honeſta ratione educandos, prudentique diſciplina domeſtica continendos eſſe ita, vt ſuo tempore in communem vtilitatem afferre aliquid, et Reipublicae officia, bono ciue, ſalutisque patriae ſtudioſo digna, praeſtare poſſent. Hanc opinionem, a Naturâ ipſa inſitam atque commendatam, ſtudio autem boni publici magis, magisque confirmatam, cum parentes infixam animo haberent: vti erat, ita exiſtimabant, in officiis ſuis, muneribusque Reipublicae afferendis gratiſſimum, ampliſſimumque eſſe hoc, vt, prudenti cura, ſollicitaque educatione, liberos ſuos, tenellos adhuc, atque adeo et ad fingendum molliores, et ad parendum ſequaciores, ad honeſtatis ſenſum, amoremque concipiendum, ad maiorum inſtituta, et ad ciuitatis diſciplinam inſtituerent atque conformarent. Cuius quidem educationis, inſtitutionisque liberorum, arbitrio parentum relictae, eo maior, ſollicitiorque cura erat habenda, quo grauiores poenae, auctore PLVTARCHO, (in Lycurg. p. 91. Ed. Steph. et in Laconic. p. 422.) eos manebant, qui in neglecta puerorum, adoleſcentumque educatione remiſſi, negligentesque eſſent deprehenſi. Nam omnes fere legum latores, qui liberorum educationem, inſtitutionemque parentum fidei, prudentiae, curaeque reliquerant, grauiſſime ſanxerunt hoc, vt, qui ab honeſta vivendi norma, legibus praeſcripta, receſſiſſent, ii graues luerent poenas, quo grauius et hi officii ſui, in poſterum diligen-

a) Lib. VII. de Legg. p. 804. Edit. Stephan. πᾶς παὶς τῆς πόλεως μᾶλλον, ἢ τῶν γεννητόρων ἐστί. Cf. eiusdem Epiſt. IX. ad Archyt. p. 358. et CICERO Offic. I, 7.

diligentius, religioſiusque obſeruandi, admonerentur, et alii, triſti eorum exemplo commoti, ad ſollicitiorem huius muneris ſui curam, diligentiamque acuerentur. Nam ſapientiſſimi et legumlatores, et philoſophi ſententiae huius erant, vt putarent, niſi homines a tenera inde aetate prudenter, honeſteque educati, atque inſtituti fuiſſent, nullam vim, auctoritatemque vel ſaluberrimarum legum, optimorumque inſtitutorum maiorum eſſe. Veriſſime in hanc ſententiam [b]) ARISTOTELES diſputat: ***Maximum omnium ad Reipublicae ſtabilitatem eſt id, quod nunc parvi faciunt omnes, erudiri ad Reipublicae diſciplinam. Nihil enim proſunt vtiliſſimae leges, quae a gubernatoribus feruntur, niſi moribus inſtituti, et diſciplina imbuti in Republica homines fuerint.*** Quid? quod Perſae et Lacedaemonii, vt apud PLVTARCHVM (in Lycurg. l. c.) et XENOPHONTEM (Cyropaed. Lib. I. fere ab initio) eſt, quia vſu rerum edocti cognouerant, inſtitutionem puerorum magnam vim in mores publicos habere, liberos educandos, inſtituendosque non tam parentum ſiue curae, ſiue incuriae permitti, ſed publica, eaque paullo ſeueriori diſciplina, quae, auctore [c]) PLVTARCHO l. c. ***meditatio ſ. exercitatio obedientiae eſt***, contineri voluerunt, rati, ſaepe parentum vel imprudentia et inſcitia, vel nimis molli, crudelique indulgentia, vel denique acerbiore, eaque intempeſtiue adhibita diſciplina liberorum animos vel corrumpi, vel effoeminari, vel ad honeſti, et turpitudinis ſenſum obtuſos reddi. Quam ſollicitam curam, quam ſeueram diſciplinam Romani tum, cum boni mores in Republica viguerint, in liberis educandis, et ad morum honeſtatem fingendis

b) Μέγιστον πάντων πρὸς τὸ διαμένειν τὰς πολιτείας, ὃ νῦν ὀλιγωροῦσι πάντες, τὸ παιδεύεσθαι πρὸς τὰς πολιτείας. Ὄφελος γὰρ οὐδὲν τῶν ὠφελιμάτων νόμων, καὶ συνδεδοξαμένων ὑπὸ πάντων τῶν πολιτευομένων, εἰ μὴ ἔσονται εἰθισμένοι, καὶ πεπαιδευμένοι ἐν τῇ πολιτείᾳ.

c) Ἡ παιδεία ἐστὶ μελέτη ὑπειθείας.

gendis adhibuerint, vel nobiliſſimus locus apud auctorem (TACITVM vulgo edunt,) Dialogi de cauſſ. corrupt. eloquent. c. 28. luculenter docet, paullo longior, quam quem anguſti huius proluſionis fines capere poſſint. Multo ſollicitior cura, multo acrius ſtudium omnium parentum hodie in hac re eſſe deberet, vt, qui ipſis diuino aliquo munere dati et conceſſi ſint liberi, eos, veluti teneras arbores, prudenter, honeſteque educarent, et ſapientis inſtitutionis praeceptis ſalubribus, tanquam animi alimentis, ita nutrirent, nutriendoque perducerent eo, vt, maturioribus et annis, et viribus ingenii, huius educationis, inſtitutionisque fructus, et parentibus dulces, et Reipublicae ſalubres, ferrent. Quemadmodum enim in ſeminibus frugum cauſſae latent: ita prudenti, honeſtaque educatione et inſtitutione ratio vitae, ſancte, honeſteque inſtituendae, continetur. Magna ſane educationis, inſtitutionisque vis eſt in vtramque partem. Nam, vt recte [d]) PLATO, *homo ſicum felici illa natura rectam quoque inſtitutionem, diſciplinamque conſecutus eſt: maxime diuinum, et manſuetum animal exiſtere ſolet: Sin autem non ſatis recte fuit inſtitutus, omnium, quae in terra ſunt, ferociſſimum animal euadit.* Neque vero quicquam eſſe poteſt, quod parentum curae, fidei, diligentiae, ſtudioque magis commendatum eſſe debeat, quam prudens et honeſta educatio liberorum. Vere, et diuinitus [e]) PLATO in hanc ſententiam diſputat: *Non poteſt homo de negotio magis diuino inſtituere deliberationem, quam de recta pueri, iuuenisque inſtitutione, qui patri-*

d) De Legg. VI. p. 766. ζῶον ἥμερον (ἄνθρωπός ἐστι,) ὅμως μὲν παιδείας μὲν ὀρθῆς τυχὸν καὶ φύσεως εὐτυχοῦς, θειότατον ἡμερώτατόν τε ζῶον γίγνεσθαι φιλεῖ· μὴ ἱκανῶς δὲ, ἢ μὴ καλῶς τραφὲν, ἀγριώτατον ὁπόσα φύει γῆ.

e) In Dialogo, *Theages* inſcripto, T. I. p. 122. Οὐκ ἔστι, περὶ ὃ θειοτέρῳ ἂν ἀνθρώπος βουλεύσαιτο, ἢ περὶ παιδείας τῶν αὑτοῦ οἰκείων.

patriae aliquando ciuis esse debet. Cf. CICERO de Diuinat. II, 1. Cum igitur gentes, a veri Dei cognitione remotae, diuinaeque revelationis luce non collustratae, tamen prudentem, honestamque educationem liberorum tam salubrem toti Reipublicae, atque adeo tam necessariam censuerint, ita, vt PLATO (Lib. VIII. de Legg. p. 549. sq.) vere contendat, *educationem liberorum plurimum habere momenti vel ad felicem, vel infelicem Reipublicae statum:* quanto grauius, quanto magis necessarium hoc, honeste educandi liberos, munus Christianis et esse, et videri debet, quibus id non solum insitus a Natura erga liberos amor, aut studium communis salutis Reipublicae, sed grauissima etiam Dei auctoritas, sacrarum litterarum monimentis consignata, et ratio, in tremendo illo iudicio aliquando reddenda, grauiter iniungit, maximeque necessarium facit! Neque vero harum rationum grauitas solum, sed cura etiam futurae liberorum salutis ad hoc officium, summa cum cura et religione praestandum, allicere eos, et acuere deberet. Nam prudens, honestaque liberorum educatio et institutio haereditas est, a parentibus tradita, omni patrimonio, quamuis amplo et lauto, praestantior, nullis quippe neque inconstantis Fortunae casibus obnoxia, neque fraudulentorum hominum iniuriis exposita, neque vna cum aliis rebus fluxis et caducis interitura. Verissime f) PLATO de hac educatione in sententiam disputat hanc, vt dicat: patrimonium optimum, et praestantissimum esse prudentem, honestamque educationem. Sed quorsum haec disputo? nempe eo, vt vnusquisque intelligat, quam male, quam impie et iniuriose cum in seipsos, tum in liberos suos, tum denique in totam Rempublicam ii agant parentes, qui, cum in innumeris aliis rebus fluxis et caducis, et vel parum, vel nihil vtilitatis habentibus fere toti sint, studiosissimeque laborent, in prudenti, honestaque libe-

f) Παισὶ δὲ δὴ χρὴ πολλὴν, ὦ χρυσὸν κατελίπειν. Lib. V. de Legg. p. 729.

liberorum educatione, re omnium grauiſſima, omnique adeo cura, ſtudio, laboreque digniſſima, tam negligentes, tam remiſſi, et quodammodo diſſoluti reperiuntur, vt totum iſtud negotium cura ſua vix dignum eſſe arbitrentur. Quam graue autem, quam multiplex damnum ex iſta vel plane neglecta, vel peruerſe inſtituta liberorum educatione cum in liberos, tum in parentes ipſos, tum in diſciplinam ſcholaſticam, tum totam denique Rempublicam redundet, cum res ipſa loquatur, non eſt quod multis diſputandum putemus. Equidem pro muneris mei ratione non, niſi de magna vi, quam neglecta puerorum educatio in diſciplinam ſcholaſticam habet, exponendum hac proluſione exiſtimaui. In quo quidem modum tenebimus hunc, vt non omnia, quae in hanc rem diſputari poterant, afferamus: (hoc enim opus libri integri haud exiguae molis foret;) ſed ſumma tantum rerum quaſi capita ſtrictim attingamus.

Omnium grauiſſimum ſane, maximeque neceſſarium parentum officium et eſt, et eſſe debet hoc, vt, vbi rationis liberorum vis exſerere ſeſe incipit, et intellectus aliquam percipiendi, cognoſcendi, iudicandique facultatem aſſecutus eſt, omni modo rationem, in qua maxima hominis prae brutis animantibus praeſtantia cernitur, excitent, et colant, atque ingenia eorum, animosque vera religionis, rerumque diuinarum cognitione, cuius quidem iſta aetatula capax eſt, imbuant atque informent. Recte enim PLATO (Lib. X. de Legg. p. 890.) iudicat ita, *ignorantiam Dei eſſe ſummam omnium et hominum, et rerum publicarum, et familiarum peſtem, et calamitatem.* Neque vero doctrinam religionis, rerumque diuinarum intelligimus hanc, quae liberos certas quasdam precandi formulas, mero ſono, nullaque vi ſubiecta, ediſcere, et recitare memoriter doceat, quarum ſententiam non capiant, nec pro ingenii imbecillitate capere poſſint: (quamquam

his quoque rebus diuinis tenera illa aetatula non satis mature imbui potest;) sed institutionem, doctrinamque rerum diuinarum eam intelligimus, quae vim habeat hanc, vt non solum praecipua doctrinae christianae capita memoria fideli percipiantur, tenacique teneantur, sed tam alte etiam in teneros animos descendant, vt vero Dei amore inflammati, timoreque commoti omnia, quae legum diuinarum auctoritati, honestatisque rationi contraria sunt, studiose fugiant, et auersentur, rerum honestarum amore, studioque incendantur, contra ea omnium illicitarum, turpiumque odium, detestationemque concipiendam sibi putent. Hac religionis diuinarumque rerum cognitione, hoc virtutis amore, hoc rerum honestarum sensu teneri adhuc liberorum animi sunt imbuendi. Nam, vt vere g) PLATO iudicat, ***in vnaquaque re maximum, atque praestantissimum est primordium, iuueni praesertim, et cuilibet tenero. Tunc enim maxime formatur et induitur figura eius rei, quam quis vnicuique imprimere, atque dare velit.*** Hic sensus rerum diuinarum, hic amor virtutis, omnisque honestatis nisi teneris adhuc liberorum animis instillatus, veraeque felicitatis gratia amabilis, commendabilisque factus fuerit: quid aliud exinde oriri et potest, et solet, quam hoc, vt annis maturioribus, in tanta praesertim hac aetate nostra religionis contemptione, in tanta adolescentum in dies magis, magisque inualescente dissoluta, effrenique vivendi licentia, rerum diuinarum studium, sensus, amorque sensim refrigescat, refrigeratusque neglectum, contemptumque secum trahat. Tantum interest, teneros liberorum animos religionis, diuinarumque sensu, amoreque mature inflammari!

Neque alia ratio est honestatis, cuius maximam curam in educandis liberis habendam esse recte praecipit PLATO.

g) Ἀρχὴ παντὸς ἔργου μέγιστον, ἄλλως τε καὶ νέῳ καὶ ἁπαλῷ ὁτῳοῦν· μάλιστα γὰρ δὴ τότε πλάττεται, καὶ ἐνδύεται τύποις, ὃν ἄν τις βούληται ἑνσημήνασθαι ἑκάστῳ. Lib. II. de Republ. p. 377.

PLATO. (Lib. VII. de Legg. p. 809.) Huius enim ſenſum, et amorem, niſi animi adhuc teneri conceperint, contra ea odio iuſto rerum turpium fuerint incenſi: verendum ſane eſt, ne, adultiores facti, aliorum praua conſuetudine, tanquam peſtifera contagione, tacti indies magis, magisque cupiditatibus effrenibus, turpibus, laſciuisque obſecuti, tandem conſuetudine, facilitateque inhoneſte, indecoreque agendi, contracta, ad omnem honeſtatis ſenſum obdureſcant, nullamque rationem neque honeſti et turpis, neque decori et indecori habeant, ſed iuxta aeſtimanda omnia, ſibique licere arbitrentur. Quid enim? Nonne et haec noſtra aetas quam plurima ſpectacula et exempla triſtiſſima hominum infeliciſſimorum nobis oſtendit, qui, in pueritia nulla fere doctrinae chriſtianae cognitione imbuti, nullo virtutis, honeſtatisque ſenſu et amore incenſi, adultiores facti eam viuendi rationem ſunt ſecuti, qua voluptatum laſciuarum aeſtu in vitiorum decliuia abrepti, et in omnia tandem flagitiorum praecipitia detruſi miſerabilem, deplorandumque vitae exitum habuerunt? Quam ſaepe autem parentes in hac praecipua officii ſui parte claudicent, quam negligentes et remiſſi ſint in tradendis doctrinae chriſtianae initiis, quam ſecuri in animis eorum, honeſtatis ſenſu, amoreque inflammandis, et alii ſciunt, huiusmodi educationis teſtes quaſi oculati, et inprimis ſcholarum magiſtri ſuo cum dolore ſaepe ſentiunt, qui tales pueros, adoleſcentesque inſtituendos, honeſtorumque morum cultu fingendos accipiunt. Eam enim in vnam aliquam ſcholam publicam miſſi ſecum afferunt et initiorum doctrinae chriſtianae imperitiam, eam morum inhoneſtorum improbitatem, eam ferocitatem, vt praeceptoribus, quemadmodum in craſſa iſta praecipuorum doctrinae chriſtianae capitum ignorantia depellenda multum laboris, ſic in animorum ruditate polienda, morumque ferocitate domanda et coercenda multum moleſtiae ſit, taediique deuorandum. Et raro tamen praeceptores, quamquam nullum laborem,

lam moleſtiam ſubterfugerint, tam felices ſunt, vt vtriusque huius mali, diuturnitate temporis confirmati et corroborati, fibras quaſi elidere, penitusque evellere queant. *Adeo in teneris conſueſcere multum eſt!*

Neque vero his ſolum finibus contineri, coercerique parentum prudentum, ſalutisque liberorum ſtudioſorum cura et opera debet, ſed etiam dirigenda eſt eo, vt pueros, quos quidem olim bonarum literarum ſtudiis conſecrare conſtituerint, mature literarum initiis aut ipſi imbuant, aut per alios imbuendos curent, ne, poſtea in ſcholam aliquam publicam miſſi, tam rudes, tam ignari omnium rerum inueniantur, vt, quae dudum antea didiciſſe eos oportuiſſet, ea praeceptores demum cum magna, et taedioſa moleſtia tradere iis, et inculcare cogantur, neque omni ſuo inſtituendi labore efficere poſſint, vt, curriculum ſcholaſticum emenſi, ſtadiumque academicum ingreſſi, Profeſſorum ſcholis cum fructu operam dare poſſint. In quo quidem ipſa ratio vnicuique parentum praecipit, iniungitque hoc, vt, ſi ipſi, vel ignoratione harum rerum impediti, vel negotiorum multitudine diſtricti, curam literarum initiis inſtituendi liberos ſuſcipere non poſſint, eos non ſolum alii cuidam doctrinae cultu formandos mature committant, ſed diligenter etiam videant, cui committant, vt tradant nempe ei, qui facultatem conſecutus ſit, pueros teneros adhuc, omniumque rerum imperitos bonarum literarum initiis imbuendi. Neque minus prudentia ſuadet parentibus, iniungitque hoc, vt, ſi ipſi ſuo in hac re iudicio vti non poſſint, adhibeant alios, ſed non niſi eos, quos, certo conſtat, magnum docendi vſum, variis ingeniis tractandis et erudiendis, conſecutos, earumque rerum eſſe peritos, quarum initiis pueri imbui et inſtrui debeant. Sed hic quoque multorum parentum pudenda incuria et ſocordia animaduertenda eſt. Nam primo, quibus annis literarum maxime neceſſariarum initiis

puero-

puerorum ingenia impertiri et instrui deberent, eos plerumque turpi, ignauoque otio transigi patiuntur, graui, si Diis placet! ratione allata hac: non esse teneras, imbecillasque ingenii puerulorum vires, praematuro intempestivo discendi labore debilitandas et frangendas; omnium rerum suam esse maturitatem, atque adeo ingeniorum etiam expectandam, neque pueros nimis festinato discendi labore praemature esse macerandos, et quasi atterendos. Inde fit, vt isti pueruli delicatuli annos quatuordecim, et quod excurrit, nati vix Grammatices Cellarianae praecepta perceperint, graece autem ne legere quidem possint, quamquam alia multa iam didicerint, quae nunquam eos, neque audiendo, neque videndo, cognouisse praestaret.

Iam illud maturum tempus appropinquasse his, de valetudine filiolorum suorum male sollicitis, parentibus visum est, quo, sine magno timendi periculo, ne infirmae adhuc, et tenerae ingenii, animique vires duro discendi labore frangantur, in vnam aliquam scholam publicam mitti possint. Traduntur igitur, siue potius committuntur et concreduntur cariſſima pignora curae, fidei, institutioni (propemodum etiam dixissem, *disciplinae*, nisi hanc vocem, scirem, tam odiosam et horrendam multorum auribus esse, vt vel ipse sonus terrorem aliquem iniiciat;) committuntur igitur cariſſima pignora scholae magistris, sed ita, vt ne tria quidem STESICHORI, de vulgari prouerbio, sciant, omniumque rerum ita rudes sint, vt vix recte legere latine, nedum intelligere aliquid, aut scribere possint. Vnde bonis istis scholae magistris ingrata necessitas imponitur haec, vt, quod XENOCRATEM fugisse, auctore DIOGENE LAERTIO (IV, 10.) scimus, qui adolescentes, disciplinae ipsius tradendos, Geometriae autem rudes, reiicere solitus est his verbis: *παρ' ἐμοὶ πόκος ὐ κναπ]ε]αι, apud me lana non carminatur*, id facere, et his iam bene robustis adolescentulis non sine acerbo, taediique pleno la-

bore tradere cogantur, quae multis annis ante didicisse eos oportuisset. Iam, quam negligentes, quam male curiosi multi parentum inueniuntur, qui, aut a peritia, filios suos literarum latinarum, graecarumque initiis imbuendi, destituti, aut aliis negotiis impliciti, ipsi hoc instituendi, erudiendique munus suscipere nequeunt, atque adeo de *Informatore* aliquo, quem dicunt, anquirendo solliciti esse debent? Nam primo, saepissime non tam id spectant, quam aptus iste *Informator* sit liberis rite instituendis, quam assiduus et religiosus in suscepto munere obeundo, quam integer vita et moribus, (τοῦτο γὰρ οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ) sed quam blandus, quam comis, quam iucundus, elegansque in consuetudine, et inprimis quam indulgens in vitiis, delictisque dulcissimorum filiolorum peruidendis, et, quod fere caput rei est, quam vili mercedula istam ingratam operam suam parentibus locet, et quasi vendat. Deinde, si quem, aut felici fato quodam, aut prudentis alicuius viri, harumque rerum elegantis iudicis, studio et dilectu, nacti fuerint *Informatorem* idoneum, in legibus ei ferendis primam fere, et praecipuam ponunt hanc, (et vae tibi, bone *Informator*, si ab ea vel latum vnguem discesseris!) vt ne liberos, consueta loquendi formula, male tractet, sed comiter se erga eos, blande, indulgenterque gerat, in petulantia, contumacia, malitia, mendaciis, aliisque vitiis benigne coecutiat, non duris verbis (verberibus enim sine immani aliquo flagitio vti non licet,) animos teneros, et ad iram concipiendam molles, ad indignationem, ploratumque commoueat. Sic delicati isti pueruli, effreni licentia, quiduis fere lubuerit, impune agendi, a tenera inde aetate vsi, suae peccandi petulantiae, cum annis maturioribus magis corroboratae, frena laxa permitti cupiunt, adeo, vt, si quis eorum, qui prohibendi, coercendique habeat potestatem, ea vti velit, vehementer indignati grauissimam iniuriam sibi fieri, et nimis impotenti, seueroque imperio contineri se, cohiberique misera-

miſerabili ploratu clament. Recte huc transtuleris illa h) PLATONIS: *Deliciae puerorum animos reddunt difficiles, moroſos, iracundos, et qui leuibus cauſſis irritentur.* Ita educati, et inſtituti, huic impune fere peccandi licentiae aſſueti cum in ſcholam aliquam, eam inprimis, vbi diſciplina viget, et iuuentus via regia ad altioris fortunae cultum excitatur et formatur, nullaque peccandi licentia impune abire nec poteſt, nec ſolet, in eam, ergo, ſcholam cum a nimis blandis parentibus ſunt miſſi: facile coniectu eſt, quot, quantasque moleſtias iſta ſua morum peruerſitate, tamdiu valde adamata, blandeque conniuendo tolerata, praeceptoribus faceſſant. Nam, cum diu ita domi viuere conſueuerint, vt, quae facere libuerit, etiam liceret, diſciplina autem ſcholaſtica coerciti ſuae iſti effrenatae petulantiae, prauaeque lubidini indulgere ſe ſine poenarum acerbitate amplius non poſſe intelligant: tum vero miſerabilibus vocibus et queſtibus blandorum, et male miſerantium parentum aures obtundunt, vehementer conqueſti de immani Praeceptorum crudelitate et tyrannide, a cuius duro iugo vt quam primum liberentur, blandos, et in hoc quidem concedendo nimis faciles, parentes aſſiduis querelis implorant. Neque vero vanis, irritisque precibus eorum opem implorant. Nam quotusquisque parentum tam durus ſit, quin filiolis, iſta tam indigna perpeſſis, ſuccurrere, malisque iſtis medelam quam primum afferre ſtudeat praeſentem? Hinc ſaepe tot quaſi plauſtra non querelarum ſolum, ſed conuiciorum etiam in inhumanos iſtos, ſeuerosque ſcholarum magiſtellos, immanes Orbilios, omnisque elegantioris rationis viuendi expertes: hinc tot ſiniſtrae voculae et reprehenſiones bonorum Praeceptorum, ſiue coram, ſiue per literas factae: hinc tot accuſationes, vanae illae quidem, et impudentiſſimorum men-

h) Lib. VII. de Legg. p. 791. Ἡ τρυφὴ δύσκολα καὶ ἀκρόχολα καὶ σφυδρὰ ἀπὸ σμικρῶν κινήσεως τὰ τῶν νέων ἤθη ἀπεργάζεται.

daciorum pleniſſimae, graues tamen, et perquam odioſae miſerorum Praeceptorum apud eos, penes quos ius et poteſtas in illos eſt, de crudeli in liberos ſuos imperio, et immani tyrannide, (ita etiam prudentem, ſalubremque diſciplinam benigne interpretantur,) rati, ſe iſtis falſis accuſationibus et criminationibus, impudenti ore, perfrictaque fronte impactis, effecturos eſſe hoc, vt iſti ſcholae magiſtelli, nimis ſeueri diſciplinae exactores, et honoratiorum virorum (nam quotusquisque eſt, quin ſibi etiam videatur eſſe aliquid?) filiis inſtituendis et tractandis plane inepti, aut loco ſuo et munere ignominoſe remoueantur, aut ſaltem pro atrocium ſcilicet! in mellitulos filios ſuos commiſſorum delictorum grauitate grauiſſimas luant poenas. Nam

Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridae,
nullo diſcrimine facto, *Tros, Rutulusue fuat.* Quodſi ſuperiores iſti liberorum petulantiae, contumaciaeque patrocinari nec poſſunt, nec volunt: ecce aliam viam, et eam perquam facilem et commodam, miſeros filiolos ſuos a dura iſta, nec amplius ferenda, ſeruitute quamprimum liberandi. Scholae enim, miſero iſti ergaſtulo, extemplo eos vale dicere iubent, domumque receptos aut in ſinu molliter fouent, aut alius cuiusdam Scholae magiſtris ſecure committunt, in qua iſta ſeuera et barbara diſciplina non dominatur, ſed iuuenili petulantiae exultanti, contumaciaeque ferocienti blande aliquid conceditur. In hac ad altioris fortunae cultum excitari, in hac informari, et bonis literis inſtitui, ſed non niſi blandis, lenibusque verbis, filiolos ſuos volunt, vt aliquando doctrinae ſplendore illuſtres, tanquam noua quaedam et ſplendida ſidera, familiae nouum lumen, decusque afferant ſuae. Horum parentum mores iminane eſt quantum abhorreant ab inſtitutis Lacedaemoniorum, apud quos, i) PLVTARCHVS

i) Παῖς ὑπό τινος κολασθεὶς εἰ τῷ πατρὶ ἐξήγγειλεν, αἰσχρὸν ἦν πατρὶ

CHVS auctor est, more fuisse receptum hoc, *vt, si puer, punitus a magistro, id deferret ad patrem, patri turpe esset, non alia insuper addere verbera*, ratione allata hac: *ex sua enim quisque disciplina persuasum habebat, nihil quemque pueris suis inhonestum praecipere.* Quam saepe autem istos nimis molles, blandosque parentes huius imprudentis consilii (ne quid grauius dicam) breui acerba, quamquam sera, poenitentia subeat; quam saepe huius crudelis indulgentiae poenas, non sine graui luctu, luant: quando tristis rerum experientia fere quotidiana docet, non est, quod pluribus disputandum putemus.

Iam quid de illa quorundam parentum pudenda imprudentia dicam, qui saepe multa inhonesta, turpia et foeda, liberis et videntibus, et audientibus agunt, et narrant, quae, vt per omnem vitam ab eorum oculis, et auribus quam longissime remota fuissent, optabile esset? Quid enim? nonne multi, praesentibus liberis, vitae suae, quamuis inhonestae, quondam transactae, curriculum imprudenter, incauteque, re quasi bene gesta, enarrant, nihil pensi habentes, quam pestifero veneno impudentis istius narrationis quasi contagione liberorum animos, ipsos plerumque aegros, inficiant. Nam pueri, huiusmodi incautis narrationibus facile in eum ducuntur opinionis errorem, quo capti, seu decepti potius sibi persuadeant, sibi quoque olim illicitum, inhonestumque non esse futurum, quod a parentibus ipsis perpetratum, et ita narratum audiuerint, vt quodammodo gloriandi de istis rebus turpibus causam habere videantur. Hanc pudendam quorundam parentum imprudentiam vel ipsa ratio detestatur, quippe quae docet, non posse satis sollicite iuuentutis et animos, et aures contra turpia ista, foedaque dicta praemuniri: quod

πατρὶ μὴ προσεντεῖναι ἀκούσαντα πάλιν ἑτέρας· ἐπίστευον γὰρ, ἑαυτοῖς ἐκ τῆς πατρίδος ἀγωγαγῆς μηδὲν προστάξαι τοῖς τέκνοις. Laconic. p. 422.

quod ipſi Veteres, luce diuinarum literarum non colluſtrati, tamen ſaepe, grauiterque praecipiendum, et iniungendum putarunt. Vtinam ex alta quaſi turri omnibus, qui vſque quaque ſunt, huiusmodi parentibus concionari poſſint haec IVVENALIS! (Satyr. XIV, 44.)

Nil dictu foedum, viſuque haec limina tangat,
Inter quae puer eſt.

Et non ita multo poſt:

Illud non agitas, vt ſanctam filius omnem
Adſpiciat ſine labe domum, vitioque carentem?

Et quotusquisque honeſtatis, et reuerentiae, pueris etiam debitae, ſtudioſorum inter ipſos gentiles non fuit, quin hac etiam prouida cura modeſtiae liberorum, pudorique conſuleret? Catonem illum Cenſorium, PLVTARCHVS (in eius Vit. T. II. p. 637.) refert, praeſentibus liberis, non minus verecunde, quam ſi virgines Veſtales adeſſent, ab obſcoenis dictis ſibi temperaſſe. Neque ſine graui ſane cauſſa CICERO (Verr. III, c. 68.) inuehitur in Verrem hoc nomine, quod Praetor in Sicilia ſuum filium flagitiis ſuis intereſſe paſſus eſſet: *Tune*, inquit, *quum te, ac vitam tuam noſſes, in Siciliam grandem praetextatum filium ducebas? vt, etiamſi natura puerum a paternis vitiis, atque a generis ſimilitudine abduceret, conſuetudo tamen eum, et diſciplina degenerare non ſineret?* Sed totus iſte locus in hanc rem lectu eſt digniſſimus. Horum male cautorum, et ad corrumpendos teneros, imperitosque animos nimium efficacium, ſermonum veneno cum pueri inficiantur: quid mirum eſt, ſi eodem tramite brevi incedere geſtiunt, quo parentes ſuos olim tam ſtrenue cucurriſſe cognouerunt? Veriſſimum ſane illud QVINCTILIANI eſt (Lib. I. Inſtitutt. c. 1.) *Natura tenaciſſimi ſumus eorum, quae rudibus annis percepimus - - et haec ipſa magis pertinaciter haerent, quae deteriora ſunt.* Profecto, ſi

ſi quod crimen eſt, et atrocitate ſua deteſtandum, et exemplo pernicioſum, quod cum parentes ipſi concipiunt, et in liberos ſuos imprudenter, an impudenter dicam? quaſi transfundunt, eſt certe hoc, quod ſua iſta vitae iuuenilis narratione illecebroſa praeſentibus et audientibus liberis viam ad vitiorum praecipitia digito quaſi monſtrant, et tacite iis concedere videntur, quod ſe ipſos olim tam ſtrenue egiſſe, non ſine aliqua rei quaſi bene geſtae iactatione, effutiunt impudenter. Neque enim liberos ſuos ſanctiores fere, honeſtioresque fieri ſe velle iſta narratione oſtendunt, quam fuerint ipſi. Quam graues autem, et acerbas poenas parentes iſtius imprudentiae ſuae ſaepe dederint, et etiamnum dent, cum liberos ſuos, adultiores factos, flagitioſa vitae ſuae ratione in perniciem ruiſſe cognouerint: tot exempla, in hanc rem illuſtria illa quidem, ſed eadem triſtiſſima teſtantur, vt ingenio, otioque abundare videri poſſim, ſi quid huic rei confirmandae addere velim. Quodſi quis his infelicibus parentibus, de miſeria ſua miſere conquerentibus, obiecerit, per ipſos ſteriſſe, quo minus liberos ſanctiores, honeſtioresque haberent: haec fere reſpondent:

Haec ego nunquam
Mandaui olim - - nec talia ſuaſi:

quibus recte regeri poſſunt haec:

Mentis cauſſa malae tamen eſt, et origo penes te.

Quid? quod ſaepe liberi huiusmodi parentibus multo peiores fiunt. Recte tali parenti occinas illud IVVENALIS l. c. Filius

Omnia deterius tua per veſtigia peccat.

Nunquam enim malum, vbi coepit, conſiſtere ſolet, ſed vires eundo acquirit. Quodſi verum eſt illud dictum SENECAE, (Epiſt. 94.) vt eſt veriſſimum, *nullam vocem ad aures puerorum impune perferri:* quam pernicioſa cenſeamus

ſeamus quorundam parentum, impie cautorum, et dicta, et facta, auditu, viſuque turpia, quibus mores liberorum, integri adhuc et imperiti, corrumpuntur, et ad animi turpitudinem, immodeſtiam, laſciuiamque formantur? Quanto conuenientius religioni chriſtianae, quanto conſultius morum honeſtati, liberorumque ſaluti erat, teneram iſtam aetatem non ſalubribus praeceptis tantum, ſed exemplis etiam, quae altius fere, quam optima praecepta, in pectus deſcendere ſolent, moribusque honeſtis fingere atque formare? Conſtat enim, quae opiniones hac aetate concipiantur, qui mores, mali praeſertim, induantur, eos diuturnitate temporis ita corroborari, et tam altas quaſi radices in animis agere, vt maturioribus annis non, niſi cum maximo labore, eradicari penitus, exſcindique poſſe videantur. Quam curioſe, et religioſe optimus quisque veterum etiam philoſophorum morum integritati, ſaluberrimis praeceptis, proſpicere ſtuduerint, non poſſunt ignorare, niſi qui plane hoſpites et peregrini ſunt in eorum ſcriptis. Non poeniteat harum rerum ſtudioſos legiſſe cum PLATONEM Lib. III. de Legg. p. 401. et Lib. V. p. 729. tum ARISTOTELEM Politic. Lib. VII, c. 17. His igitur moribus prauis pueri, domi corrupti, cum in ſcholam aliquam miſſi ſunt: quid mirum eſt, ſi praeceptoribus inſtituendi laborem perquam acerbum, diſciplinamque moleſtiarum pleniſſimam reddant? Cum enim, quae domi, quamuis foeda et turpia, aut videndo, aut audiendo didicerint, ſibi non illicita, inhoneſtaque eſſe, ac libere adeo, et impune perpetrare ſe poſſe, putent, diſciplinae ſcholaſticae autem ratio iſtam indecoram petulantiam, laſciuamque procacitatem nec ferat, nec ferre poſſit, ſed poenarum quaſi vinculis coercere et conſtringere ſoleat: facile ad intelligendum eſt, quam difficilis, moleſta, et taedioſa praeceptoribus diſciplina, et vita ipſa adeo, ſaepiſſime reddatur. Non pigebit QVINCTILIANI, (Lib. I. Inſtitutt. c. 2.) magni illius iuuentutis prudenter, hone-

honeſteque inſtituendae et formandae magiſtri, locum, etſi paullo longiorem, huc transferre, vt, quae huc vsque diximus, vim iis, auctoritatemque addat. *Vtinam*, inquit, *liberorum noſtrorum mores non ipſi perderemus! Infantiam ſtatim deliciis ſoluimus. Mollis iſta educatio, quam* indulgentiam *vocamus, neruos omnes et mentis, et corporis frangit. Quid non adultus concupiſcet, qui in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, et iam coccum intelligit, iam conchylium poſcit. Ante palatum eorum, quam os, (*al. *mores) inſtituimus. In lecticis treſcunt: ſi terram attigerint, e manibus vtrinque ſuſtinentium pendent. Gaudemus, ſi quid licentius dixerint. Verba, ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis, riſu et oſculo excipimus. Nec mirum, nos docuimus, ex nobis audierunt: noſtras amicas, noſtros concubinos vident. Omne conuiuium obſcoenis canticis ſtrepit: pudenda dictu ſpectantur. Fit ex his conſuetudo, deinde natura. Diſcunt haec miſeri, antequam ſciant, vitia eſſe. Inde ſoluti et fluentes NON ACCIPIVNT E SCHOLIS MALA ISTA, SED IN SCHOLAS AFFERVNT.* Conferant, quibus volupe eſt, IVVENALIS Satyr. XIV, et imaginem educationis liberorum, quae noſtra aetate nimis ſaepe animaduertitur, viuidis coloribus non adumbratam, ſed expreſſam videbunt.

P. P. in illuſtri Moldano a. d. VI. Septembr. A. R. S. CIↃIↃCCLXVI.

XI. PRO-

XI.

PROLVSIO
DE
FESTINATO IVVENVM
DISCESSV E SCHOLIS.

Saepe, multumque audiui, cum Viri docti, qui bonas literas cum magna omnium elegantum iudicum laude in Academia docent, de pernicioſa illa conſuetudine, aetate noſtra in dies magis, magisque inualeſcente, conquerebantur, qua plerique fere iuuenes abrepti, ſcholis relictis, in Academiam quaſi auferantur ita, vt in craſſa, pudendaque literarum humaniorum, quarum cultura ingenia praecipue in ſcholis excoli, et ad ſublimiorum doctrinarum cultum excitari, formarique debeant, ignorantia verſari deprehendantur, nec obſcure colligere inde mihi videbantur, feliciorem maiorum noſtrorum tempore conditionem, praeſtantiamque magnam ſcholarum, prae his noſtris, fuiſſe. Iam etſi ego non ſum is, qui neget, iuſtiſſimas eſſe, et ab ipſius rei indignitate expreſſas, horum Virorum doctorum querelas de mira iuuenum paucitate, qui e ſcholis dimiſſi, eos in literis humanioribus profectus in Academiam ſecum afferant, quibus adiuti cum fructu Profeſſorum ſcholis operam dare, easque doctrinae copias colligere ſibi poſſint, quae in ſcholis altioribus colligi et poſſint, et debeant: tamen inducere animum non poſſum, vt credam, eius rei culpam in ſcholis ipſis, earumque conditione hodierna reſidere, ſuperiorumque adeo temporum ſcholas melius fuiſſe conſtitutas, magiſtros habuiſſe peritiores, fideliores que, laetioremque adeo iuuenum, literarum

rum humaniorum cultu ornatorum, quasi prouentum tuliſſe, quam hac noſtra aetate fieri ſoleat. Omnino humani ingenii quaedam ſiue imbecillitas, ſiue peruerſitas eſt, vt, antiqua laudando, iniuriam faciamus recentioribus, et, quo altius illa efferamus, eo magis fere deprimere haec ſoleamus. Cuius quidem rei cogitatio ſaepe animum meum tetigit hoc inprimis tempore, quo multa ſcripta, iniquo Apolline, et iratis Muſis confecta, *de emendanda re ſcholaſtica*, tanquam immaturi foetus, in publicum effunduntur et protruduntur, quibus meliorem, ſi Diis placet! formam ſcholis induere, aegrisque earum membris ſanitatem, et nouam quaſi vitam ſpecioſe, ſed vane, pollicentur. Et hae quidem, ſcholas emendandi, in melioremque conditionem redigendi, rationes ab iis fere traduntur, qui nunquam in ſcholaſtico aliquo munere obeundo verſati, neque ipſo rerum vſu edocti, atque adeo huius diſciplinae, vſus indocilis, ignari et ſunt, et eſſe deprehenduntur. Meo eiusmodi ſcriptiunculas legentis animo non ſemel obuerſatum illud eſt, quod apud CICERONEM (Lib. II, 18. de Oratore) de Hannibale, Carthagine expulſo, et in Syria apud Antiochum M. verſante, legimus. Hic enim cum PHORMIONEM, philoſophum peripateticum, de imperatoris officio, et de omni re militari aliquot horas copioſius, cum magna aliorum conuiuarum voluptate et admiratione, diſputantem audiſſet, interrogatus, quidnam ipſe de illo philoſopho iudicaret? iudicium tuliſſe fertur hoc: *multos ſe deliraſſe ſenes ſaepe vidiſſe, ſed qui magis, quam Phormio, deliraret, vidiſſe neminem. Neque mehercule iniuria*, ſubiungit CICERO: *Quid enim arrogantius, aut loquacius* etc. norunt enim docti reliqua. Perquam facile ſane eſt, in Muſeo ſuo quaedam praecepta tradere, ad quorum normam res ſcholaſtica dirigenda et componenda ſit; perquam difficile autem experturo videbitur, eas ad vſum ipſum adiungere, et transferre, cum in omnibus rebus fere multo facilius ſit, praecepta dare,

quam, quod praeceperis, re ipſa praeſtare. Iniuria ſane fit noſtrae aetatis ſcholis, ſi deteriores, et minus bene conſtitutae cenſentur iis, quae maiorum noſtrorum tempore floruiſſe exiſtimantur. Nam ſi vel ipſorum magiſtrorum, qui tunc temporis iuuentuti inſtituendae praefuerunt, doctrinam, vel profectus iuuenum, qui, ex eorum diſciplina profecti, ſe in Academiam contulerunt, ſpectes, et in iudicando nihil neque gratiae, neque malignitati dare velis: non, opinor, inuenies, quod ſuperioris temporis felicitatem, praeſtantiamque ſcholarum prae his noſtris praedices, illasque cum contemptu aliquo noſtrarum efferas laudibus paene inuidendis. Quodſi quis ſuperiorum temporum ſcholas feliciores, meliusque conſtitutas eo nomine contenderit, quod eorum magiſtri a bonis literis inſtructiores, a docendi facultate praeſtantiores, et ab aſſiduitate laboris patientiores fuerint: videat, ne cupide magis, quam vere, iudicare, et, antiqua efferendo, recentiora maligne deprimere et deterere videatur. Nam ſi quis Proluſiones, et alias Commentationes, ſuperioribus illis temporibus, ab ingenio, doctrinaque magiſtrorum ſcholae profectas, cum iis, quae nunc ab huius conditionis viris ſubinde prodeunt, legerit, et, praeconceptarum opinionum tanquam vinculis non impeditus, contenderit: haud ſcio, an his idem, quod illis, et forte maius pretium ſit poſiturus. Magna autem illa felicitas ſcholarum ſuperioris temporis, quam multi in magnis diſcentium profectibus ponere ſolent, ſi recte iudicare volumus, magis ingenti diſcipulorum numero, qui tunc temporis ad ſcholas confluebant, quam laudabili eorum bonas literas diſcendi ratione metienda, et diiudicanda eſt. Neque vero hoc in hanc ſententiam diſputamus, vt de illorum ſuperioris temporis magiſtrorum ſcholae meritis, ſcriptisque detractum aliquid, delibatumque velimus; (puſilli, ieiunique animi id eſſet!) aut inanes et vanas iſtas multorum Doctorum academicorum querelas de multorum iuuenum pudenda inſcitia, qui

in

in Academiam ſeſe conferunt, reddere velimus. Hoc neque in oratione noſtra ponimus, neque in cuiusque opinione relictum volumus. Sunt ſane omnes illae querelae iuſtae de craſſa humaniorum literarum ignorantia multorum iuuenum, qui, pennis adhuc minus firmis ſubleuati, tanquam *Icari*, in Academiam quaſi aduolare ſuſtinent. Cuius quidem pudendae inſcitiae ſuae documenta cum in aliis rebus, tum in Speciminibus facultatis latine ſcribendi non ſine aliqua Doctorum academicorum indignatiuncula edunt. Neque vero eius rei culpa in ſcholarum magiſtros, aut ſcholas ipſas coniicienda eſt, (quod nec faciunt illi prudentes, et aequi iudices;) ſed in iuuenes ipſos, penes quos quippe ſtare fere ſolet, quo minus maiores in humanitatis literis profectus in Academiam ſecum afferant e ſcholis. Cum autem variae ſint cauſſae, quibus impediti plerique iuuenes in ſcholis tam parum in literis humanioribus proficiant: tamen haud ſcio an, praeter naturalem ingenii quorundam ſtuporem, nullis fere artibus expugnandum, ac mollitiem, et, quae aſſidua fere, atque infelix illius comes eſt, fugam laboris, et deſidiam, ad quam haec aetas noſtra nimis procliuis eſt, praecipuam eſſe dicam, *feſtinatum, et immaturum iuuenum e ſcholis diſceſſum.* De qua re hoc tempore, quo illuſtris Moldani noſtri, ante hos CCXVII annos erecti et conſtituti dies Natalis memoria grata, piaque mente celebrandus eſt, diſputare eo conſilio conſtituimus, vt et diſciplinae noſtrae alumnos doceamus, quam male ſibi, rationibusque ſuis feſtinato iſto diſceſſu conſulant, fortunaeque futurae officiant ſuae, et parentes, e quorum arbitrio et poteſtate liberi in hac quoque re pendent, pendere certe debent, forte perpellamus, et eo perducamus, vt ne iniquo illi, et pernicioſo liberorum deſiderio, ſcholam nimis mature relinquendi, velificandum ſibi, ſatisfaciendumque putent.

In cauſſis feſtinati e ſcholis diſceſſus, h. e. iis annis fieri ſoliti, quibus neque ingenium, neque iudicium ali-

quam maturitatem duxit, et iuuenes neque eam latinae, graecae, ebraeae etiam linguae cognitionem consecuti sunt, neque ea altiorum doctrinarum initia rite perceperunt, quibus necessario instructus, ornatusque esse debet, qui e Doctorum academicorum scholis eos fructus percipere velit, qui percipi ex iis et possint et debeant, in huius, igitur, festinati discessus cautis equidem primam fere et praecipuam posuerim hanc, quod plerique fere eorum, qui literarum studiosi dicuntur, et haberi volunt, cum de literis in vniuersum, tum de eo doctrinae genere, cui inprimis dedere se aliquando, et consecrare volunt, perquam humilem, abiectamque opinionem concipiunt, atque adeo in literis colendis consilium sequuntur inhonestum, et quodammodo sordidum, cum ipsorum rationibus perniciosum, tum bonis literis ipsis parum dignum et honorificum. Nam si quis horum consilium in literis colendis paullo diligentius attenderit, et, quo tendere cupiant, obseruarit: inueniet profecto, eos omnem fere studiorum rationem non nisi *ad panem lucrandum* referre, adeo, vt, quod huc facere non videatur, id negligendum sibi, et vix primis labiis gustandum arbitrentur. Hinc praestantissimae doctrinae, quarum initia in scholis bene constitutis traduntur, a multis iuuenibus susque deque habentur, et vix tanti aestimantur, vt de nomine cognoscantur. Quis magistrorum scholae est, quin saepe non sine iusta indignatione, animique dolore cognouerit, quam parui initia doctrinae Christianae, et Theologiae ab iis iuuenibus inprimis, qui olim se iurisprudentiae, aut artis medicae studio dedicare constituerunt, vel hoc nomine in scholis negligantur, quod nunquam studio theologico sese sint consecraturi? quasi vero non cuiusuis Christiani quamplurimum interesse debeat, has res mature probe cognouisse et percepisse. Hinc ille succedente tempore contemptus religionis, cultusque diuini, ex ignorantia rerum diuinarum ortus: hinc illa multorum vita dissoluta, e contemptu religionis,

ligionis, rerumque diuinarum profecta: hinc denique infausta ista, et detestanda, si non manifesta, tacita tamen, et rebus ipsis non obscura, literarum sacrarum irrisio quae certissima, sed infelicissima via est, quae ad extremam perniciem ducit, inque deplorandam miseriam detrudit. Cuius infelicissimi fati exempla non ignota erunt scholarum magistris. Neque vero ista multorum iuuenum contemtio in initiis Theologiae tantum animaduertitur, sed obseruatur etiam in tradendis elementis Logices, Rhetorices, Mathematices, et aliarum doctrinarum, quae, vt quisque magis abiecte et sordide de eo doctrinae genere, cui se vni aliquando in Academia consecrare constituit, senserit, eo magis negligenda sibi, et parui aestimanda arbitratur. Omnium autem literarum et disciplinarum, quae ad humanitatem pertinent, commune quoddam vinculum, quaedam coniunctio et quasi cognatio est, adeo, vt, nisi opem mutuam sibi praestent, amicasque veluti manus porrigant, vnaquaeque earum manca et imperfecta habeatur. Stulte igitur agere, et cum suis ipsorum rationibus, tum bonis literis obesse censendi sunt iuuenes, qui, caeteris doctrinis neglectis, non nisi vnam illam doctrinam, vnde panem aliquando lucrari se posse credunt, quodammodo cognoscendam sibi, discendamque putant. Haec discendi ratio magis opifices sellularios, aut artem aliquam sordidam exercentes, quam bonarum literarum cultores, decet. Quid dicam de linguis doctis, latina et graeca, sine quarum cognitione accurata nemo aditum ad nobiliores disciplinas rite percipiendas sibi munire, neque nomen viri eruditi obtinere, iureque tueri potest? Quotusquisque iuuenum est, qui in scholis bene constitutis, vbi huius rei discendae facultas est, id agendum sibi omni contentione putet, vt vtriusque linguae cognitionem accuratam, quantum quidem hac aetate fieri possit, sibi comparet? Nam de latina lingua, multi sibi eam hactenus discendam putant, vt *vnum aliquem terminum*, ita enim ele-

ganter loquuntur, *et ponere, et intelligere, bonumque ſtilum ſcribere* h. e. quosdam loquendi floſculos, et elegantes, ſi Diis placet! phraſes ex NEVBAVERO, LINDNERO, aut ſimili aliquo Lexico diobolari corradere, et miſerabilem aliquando Centonem conſuere *diſcant*. Nam aliter fere haec ſacra iis non conſtant. Graeca autem lingua, tanquam vilis quaedam, et obſoleta merces, contempta iacet. Nam, qui iurisprudentiae ſtudio aliquando in Academia ſe dedere conſtituerunt, ii, auctoritatem Bartoli et Baldi, magnorum illorum Iurisconſultorum, ſecuti, antiquo illo, et quaſi per manus tradito iure, plane eam negligendam arbitrantur. Nihil enim facit *πρὸς τὰ ἄλφιτα*, et *auream* praxin. Qui autem in Academia olim theologiae, vel medicinae ſtudioſi fieri volunt, non penitus ſpernendam ſibi eam, ſed quodammodo diſcendam putant, et hi quidem, vt verba medica, a Graecis accepta, illi autem, vt *Nouum ſuum Teſtamentum intelligere*, h. e. ope PASORIS aut STOCKII verbum de verbo latine reddere *poſſint*. Tantus eſt graecae linguae neglectus et contemptus, a qua, aliquot abhinc ſeculis renata, omnis elegantior doctrina exorta, aut potius reſtituta eſt, adeo, vt non temere verendum ſit, ne hac lingua iterum intermortua, vna et bonae literae pereant, et latini ſermonis puritas priſtina barbarie contaminetur, vt iam dudum recte aliquo loco ad ISOCRATEM iudicauit H. WOLFIVS. Qui igitur ſtudiorum rationem in ſcholis ita inſtituunt, qui hoc humile, abiectum, et ſordidum conſilium in literis colendis ſequuntur, ii per breue ſane temporis ſcholaſtici ſpatium decurrendum, et, quoniam iam eſſe aliquid ſibi videntur, quamprimum ſuum e ſchola diſceſſum maturandum ſibi putabunt.

Neque vero haec vna eſt feſtinati diſceſſus iuuenum e ſcholis cauſſa, ſed accedit et altera, cum ſuperiori perquam arcte coniuncta, nempe *iuuenilis illa perſuaſio*, maxime vana illa et inanis, de magnis profectibus in literis

iam

iam factis. Nam qui ita, vti diximus, ſtudiorum rationem in ſcholis inſtituunt, qui omnia in literis colendis vnice *ad panem lucrandum* referunt, ii, quamuis rudes adhuc bonarum literarum, tamen inani de ſe ipſis opinione capti facile ſibi perſuadent, ea iam ſe paucis annis, et fere inter ludendum literarum adiumenta in ſchola ſibi comparaſſe, quibus inſtructi, ornatique in Academia facile et feliciter ſtudiorum ſtadium decurrere poſſint. Eſt ſane hic vulgaris, et quodammodo epidemicus iuuenum morbus, quo, veluti vehementi febris ardore, correpti ſomniant, ſe, quum primum, initiis literarum perceptis, craſſam ignorantiam, ruditatemque depulerint, et vix rudimenta depoſuerint, iam aliquid ſibi ſapere. ſe iam eſſe eos, qui non diutius diſciplina magiſtrorum ſcholae ſint continendi, nec opera eorum, inſtitutioneque opus habeant, rati, ea iam ſibi literarum praeſidia comparaſſe, quae vitae academicae ſint neceſſaria, et, ſi quid earum rerum adhuc deſit, id ſuis ingenii viribus, ſuo ſtudio facile in Academia addere ſe et ſupplere poſſe. Hic vero verendum mihi non puto, ne cuiquam rem nimis exaggerare, aut elatorie dicere videar. Equidem per hos XXI annos ſcholaſtico munere functus, et in multis, variisque ingeniis tractandis verſatus, ſaepiſſime animaduerti, plerumque iuuenes, vbi vltra tirocinia in literis vix progreſſi fuerint, vbi coeperint aliquid, quamquam ſatis miſerabiliter, aut e latina lingua in vernaculam, et ex hac in illam transferre, aut quaedam vocabula latina et graeca, quamquam nec ea ſatis accurate intellecta, fideli pectore imbiberint, verbo, vbi eo peruenerint, vt praeceptores iam cum voluptate et fructu in iis inſtituendis operam, ſtudiumque ponere, et ſui laboris, perquam ingrati et acerbi, antea exantlati, fructum percipere poſſent, faſtu tam turgido inflari, eas criſtas erigere, vt non diutius magiſtrorum opera et inſtitutione opus habere ſibi viderentur. Omnino, commune fere iuuenum,

literis colendis conſecratorum, vitium eſt hoc, vt vix mediocrem aliquam linguarum doctarum facultatem conſecuti, et vltra initia doctrinarum altiorum vix progreſſi, magnifice de ſe, doctrinaque ſentiant ſua, magnamque ſibi de profectibus ſuis perſuaſionem induant: cum autem annis maturioribus paullo melius intellexerint, quam late pateat eruditionis campus, literarum ſtudioſis decurrendus, quot, et quam varia ſint ei diſcenda, qui iure viri eruditi nomine dignus et eſſe, et haberi velit, tum demum non ſine tacito vanae illius perſuaſionis ſuae riſu modeſte de ſe, doctrinaque ſua iudicare incipiant, adeo, vt, quod ſibi iam ante decem, et plures annos eſſe viderentur, id iam vix, ſe aliquando futuros eſſe, credant. Magnum profecto, et non fallax in doctrina, omnique omnino virtute profectuum indicium eſt, non magnifice de ſe, ſcientiaque ſua ſentire, neque eam cum vanitatis oſtentatione iactare. Non incommode huc tranſluleris illa PLVTARCHI in Libello, *Quomodo quisque ſuos in virtute paranda ſentire poſſit profectus*, T. I. p. 140. edit. Stephan. Ὡς οἱ τελούμενοι, κατ' ἀρχὰς ἐν θορύβῳ καὶ βοῇ πρὸς ἀλλήλους ὠθούμενοι συνίασι, δρωμένων καὶ δεικνυμένων τῶν ἱερῶν, προσέχουσι ἤδη μετὰ φόβου καὶ σιωπῆς· ὅτω καὶ φιλοσοφίας ἐν ἀρχῇ καὶ περὶ θύρας πολὺν θόρυβον ὄψει καὶ θρασύτητα καὶ λαλιὰν, ὠθουμένων πρὸς τὴν δόξαν ἐνίων ἀγροίκως τε καὶ βιαίως· ὁ δὲ ἐντὸς γενόμενος, ἕτερον λαβὼν σχῆμα καὶ σιωπὴν καὶ θάμβος, ὥσπερ θεῷ τῷ λόγῳ ταπεινὸς συνέπεται καὶ κεκοσμημένος. *Quemadmodum, qui ſacris initiantur, initio cum tumultu et vociferatione ſeſe mutuo trudentes coeunt; cum vero peraguntur et monſtrantur ſacra, animum timidi, tacentesque aduertunt: ita et in principio et circa fores philoſophiae multum videas tumultus, ferociae, et loquacitatis, nonnullis ruſtice et violenter ad gloriam proruentibus. Qui vero introuenerit, et lumen magnum velut ſacrario aperto viderit, alio iam habitu accepto tacitus atque mirabundus humilis,*

humilis, modeſtusque doctrinam veluti Deum ſubſequitur. In hos iuuenes, qui inani iſta de doctrina ſua perſuaſione inflati, vanoque faſtu turgidi e ſcholis in Academiam diſcedunt, et aliquot annis demum poſt, quantum ſit, quod neſciant, intelligunt, conuenit ille iocus MENEDEMI, de quo apud eundem PLVTARCHVM loc cit. eſt. Hic enim aiebat: *eorum qui ad Scholam Athenas nauigarent, plerosque primum ſapientes ſibi eſſe, deinde philoſophos fieri, poſtea oratores, progreſſu temporis rudes et plebeios: quo enim magis doctrinae ſe praeberent, eo magis eos faſtum, arrogantiamque deponere.* Haec peruerſa autem et male ſana multorum iuuenum in literis colendis ratio, vanaque de profectibus ſuis perſuaſio, cum ipſorum futurae fortunae, tum bonis literis ipſis pernicioſa etſi ipſa ſcholae magiſtris, quibus ſcholae, ipſorumque diſcipulorum concreditorum ſalus curae, cordique eſt, multum aegritudinis, indignationisque excitat: tamen vix dici poteſt, quantopere vel indignentur, vel tacite rideant, ſi nonnullos parentes (omnibus enim eam ingenii, animique imbecillitatem tribuere velle, ea vero grauis et impudens iniuria eſſet,) ſiue nimio liberorum amore, eorumque amabilibus dotibus captos, ſiue alia, neſcio qua, cauſſa commotos, huic inani liberorum de ſe ipſis, doctrinaque ſua perſuaſioni patrocinari, iisque hanc opinionem afferre animaduertunt, vt credant, ſe iam non poenitendos in literis feciſſe profectus, easque iam doctrinae copias in ſchola collegiſſe, quibus ornatus eſſe debeat, qui in Academiam ſeſe conferre velit, ibique cum fructu Profeſſorum ſcholis operam dare (*collegia audire* vulgo vocant) poſſit. *Scribit filius, quamquam ſatis miſerabiliter, aliquam epiſtolam latinam:* elegantem ſtilum ſcribere dicitur; *facit elumbes aliquot verſus*: poeta audit; *reddit quosdam verſus latine e N. T. et e Codice ſacro*: bonus Graecus et Ebraeus eſt. Adeo multum profeciſſe breui tempore iſta praecocia filiorum ingenia quibusdam parentibus videntur! Hic vero repetenda

mihi est veteris cuiusdam memoriae recordatio, accommodata rei praesenti, et ad fidem verbis meis faciendam perquam apta. Venit quondam in scholam quandam provincialem quidam pater eo consilio, vt filium, e disciplina scholastica dimissum, et quasi emancipatum, secumque domum ductum breui in Academiam mitteret. Fuit tum forte stata et solemnis synodus, cui omnes Praeceptores intererant. Petit pater intromitti: intromittitur. Intromissus exponit aduentus sui caussam: postulat facultatem discessus filii sui e schola, venia a supremo senatu Ecclesiastico Dresdensi impetrata. Rector illius scholae, non ignarus, quam exigui huius alumni profectus in literis essent, et quam multa adhuc futuro Academico deessent, se magnopere mirari, patri regerit, cur filii discessum immaturum tantopere maturet, multum abesse, vt eius filius eos in literis profectus fecerit, quos feciſſe debeat, qui Professorum scholis in Academia cum intelligendi facultate, fructuque interesse velit, vt potius Praeceptorum suorum doctrina, institutioneque aliquamdiu adhuc opus habeat: consentire et confirmare reliqui Collegae. Tum vero pater, concusso capite, leniter et blande subridens, *Quid vobis vultis*, inquit, *o Domini mei! per animam meam filius meus plus, me ipso, scit.* Forte verum bonus pater loquebatur. Et ipse tamen olim aliquot annos in schola et Academia commoratus, eruditorumque adeo choro adiungendus erat. Quid multa? Hoc tam graui patris testimonio conuicti falsae suae de suo disciplinae alumno opinionis Praeceptores, minus quippe intelligentes de profectibus discipulorum suorum iudices, ne hiscere quidem audent. Blandus pater filium, literis probe instructum, patre ipso quippe doctiorem, e scholae quasi carceribus emissum secum domum laetabundus, gratulabundusque ducit, quamprimum in Academiam, fausſis auibus, Musisque ipsis fauentibus, mittendum. Mirabimurne igitur, iuvenes, hoc inani fastu turgidos, nihil magis in votis habere,

re, nihil ſtudioſius agere, quam vt, cum in ſchola nihil fere reliqui, quod addiſcendum ſibi ſit, arbitrentur, quamprimum ſcholam, tanquam aues implumes nidum, relinquere, et in Academiam aduolare poſſint?

Omnium autem efficaciſſima, et frequentiſſima feſtinati iuuenum e ſcholis diſceſſus cauſſa eſt faſtidium diſciplinae ſcholaſticae, quamuis liberalis, et *cupido nimiae et immoderatae libertatis*, quam, e ſcholae quaſi ergaſtulo dimiſſi, in Academia ſe conſecuturos eſſe arbitrantur. Educantur liberi his noſtris temporibus tenera adhuc aetate ſaepius domi tam blande, molliter, et delicate, vt omnia fere licere ſibi, et pro ſua lubidine, quidquid velint, agendum ſibi putent. Ita educati, hac diſciplina domeſtica inſtituti, in aliquam ſcholam omnis fere diſciplinae, quamvis leuis et mitis, impatientes mittuntur, curaeque magiſtrorum doctrinae cultu poliendi, morumque venuſtate fingendi committuntur. Hic vero, praeſertim in ſcholis prouincialibus, quia vident, interdum etiam ipſi ſentiunt, diſciplinam eſſe paullo arctiorem, et puerorum petulantiae, effrenaeque lubidini coercendae idoneam, neque adeo, vti domi, ita hic ex ſuo ingenio, arbitrioque viuere ſe poſſe animaduertunt: ſub iugo huius diſciplinae ſcholaſticae ingemiſcentes ardentiſſimis ſuſpiriis optant, vt quamprimum, veluti pignora depoſita, et non niſi ad breue tempus concredita, a parentibus repetantur, domumque reducantur. Neque raro blandi et indulgentes parentes his iniuſtis filiorum deſideriis ſatisfaciunt, eosque domum reductos in ſinu quaſi molliter fouent, donec attigerint annos, quibus in Academiam mitti poſſe videantur. Quodſi parentes his ſtultis liberorum votis annuere nolunt, (et ſunt quidam tam duri, et difficiles,) parent quidem, parentum auctoritate coacti, ſed ſpe dulci ſeſe ſolantur et lactant interea hac, vbi primum annos, qui vitae academicae quodammodo apti videantur, fuerint

conſe-

conſecuti, ſe tamdiu miſeris querelis de miſera eorum ſorte, qui diſciplina ſcholaſtica contineantur, parentum aures obtundere velle, donec eorum animos pertinaces fregerint, ad ſententiamque flexerint mitiorem. Vix igitur in Claſſem ſuperiorem, in qua praecipue iuuenes ad ſtudia academica praeparari debent, transuecti, (quamquam ſaepe etiam adhuc in ſecundae claſſis ſubſelliis, ob ſupinam negligentiam, turpemque inertiam, haerere coguntur,) vixque vltra rudimenta earum literarum, quibus iuuenum ingenia, et iudicia perpolienda et acuenda ſunt, progreſſi, cupiditatis vitae liberioris quaſi ſtimulis agitantur, et, quoniam iam multum, etſi non aliis, ſibi tamen ipſis ſapere videntur, dies, noctesque fere id animo agitant, vt quamprimum, nidulo ſcholaſtico relicto, pennas in Academiam tendere, maiorique libertate frui poſſint. Enecantur igitur parentes horum iuuenum importunis precibus et epiſtolis, quibus ſaepe pater, quamquam paullo difficilior antea in concedendo, vinci ſe, expugnarique patitur, vt filium, e doctrina, diſciplinaque ſcholaſtica dimiſſum, quamvis rudem adhuc bonarum literarum, adeoque diſciplinis in Academia rite percipiendis minus aptum, domum ſecum reducat. In quo quidem ſaepius dubius fui, ſtolidamne iſtam, fortunaeque futurae pernicioſam talium iuvenum diſceſſum immaturum e ſchola maturandi cupiditatem magis, an quorundam parentum ſocordem curam ſalutis liberorum, iniuſtamque in concedendo facilitatem, mirarer. Nam, quemadmodum hi intempeſtiua indulgentia, et iniuſta iſta in concedendo facilitate ſtultae filiorum opinioni de magnis iam profectibus in literis humanioribus factis quodammodo patrocinantur: ita illi, in craſſa literarum, futuro Academico neceſſariarum, ignorantia verſantes, et tamen in Academiam aduolare geſtientes, ſuis ipſorum rationibus, futuraeque fortunae vix dici poteſt, quantopere officiant ſuae. Poteruntne enim iuuenes, qui, ſcholaſticam doctrinam, diſciplinamque pertaeſi,

taesi, discessum e schola, maioris libertatis cupidine incitati maturant, qui ne mediocrem aliquam latinae, graecaeque linguae facultatem consecuti sunt, qui vix vnam pagellam latine scribere possunt, quin aliquoties bono illi Prisciano iniuriam faciant, qui omnis fere historiae expertes deprehenduntur, qui nondum imbiberunt initia doctrinarum altiorum, in quibus tradendis praecipua Professorum academicorum opera et diligentia versatur; poteruntne, igitur, hi iuuenes Professorum Scholis in Academia cum fructu operam dare, earum doctrinas, praesertim si latine tradantur, intelligere, mente probe percipere, rite diiudicare, et perspicere, verbo, eum, quem deberent, ex iis fructum, vtilitatemque percipere? Credat hoc Iudaeus Apella, non ego. Optandum sane esset, vt omnes parentes, quibus filiorum fortuna curae, cordique est, (omnibus autem esse debet,) cum alias de incrementis, quae liberi in literis fecerint, tum eo inprimis tempore, quo discessum e schola maturare, abitumque in Academiam parare velint, eorum Praeceptores quorum optima notio in ea re esse debet, consulerent, dignosne eos putarent, qui cum fructu suo in Academiam conferre sese possint, nec ne? Hoc, vti parentum officium est: ita e re, vtilitateque liberorum foret. Ita enim immatura iuuenum cupiditas e scholis in Academiam aduolandi coerceretur, et parentes saepe filios suos a bonis literis ornatiores e schola domum reducerent, posteaque in Academia laetiores, optatioresque in literis colendis profectus facere non sine animi voluptate viderent. Sed omnia alia fere vsu venire, experientia edocti scimus. Incessit cupido discipulum, quamuis immaturum adhuc, et ineptum studiis academicis, e schola in Academiam abeundi; rogat coram, aut per literas patrem, vt quamprimum sibi veniam, e schola ante definitum tempus abeundi, a Principe (ita enim fieri in scholis prouincialibus mos est,) impetret: ecce! benignus et blandus pater literis supplicibus saepe impe-

impetrat, cauſſis, aut a iuſtis filii profectibus, in literis iam factis, aut a filii valetudine minus commoda, aut aliunde ductis, quas non ſemel vanas et fictas eſſe cognovimus. Sed non raro ipſos parentes huius nimiae facilitatis, indulgentiaeque in concedendo poenitentia, quamquam ſera, peracerba tamen, ſubire ſolet. Nam ſaepe paucis annis poſt non ſine acri aegritudinis, pudorisque etiam, ſenſu animaduertunt, filios ſuos, vti humaniorum literarum rudes in Academiam nuper miſerint, ita nunc ex ea, tanquam bonarum artium mercatu, tam inanes, et ab omnibus fere literis tam nudos redire, vt vix digni habeantur, qui, tolerabili aliqua conditione, puerulis, doctrinae Chriſtianae initiis, et elementis literarum imbuendis, adhibeantur. Hinc ingens ille, perquam miſer et triſtis prouentus eorum iuuenum, qui, abſolutis ſtudiis academicis, vti loquuntur, incerti atque inſtabiles hinc inde circumuagantes oberrant, neſcii, vnde tantum ingenio, doctrinaque ſua ſibi anquirant, vt ventrem latrantem placare, aut corpus honeſte tegere poſſint, atque adeo et hic ſaepe deſperatio faciat militem. Haec fere merces eſt feſtinati e ſcholis diſceſſus: hi fere fructus ſunt immaturi in Academiam abitus ex liberioris vitae cupiditate facti. Hinc crebrae illae, et iuſtiſſimae Profeſſorum academicorum querelae de perquam exiguis profectibus, quos multi iuuenum e ſcholis in Academiam ſecum afferunt. Hinc tot querelae ſummorum Virorum de pudenda eorum inſcitia, qui in Examinibus, quae vocant, interrogati tam inepte et inſulſe reſpondent ad propoſitas quaeſtiones, vt ea re craſſam ignorantiam prodant ſuam. Hinc tot querelae de magno numero eorum, qui muneri ſuo, in quod artibus minus honeſtis ſiue irrepſerint, ſiue irruperint, rite, et ex eius dignitate obeundo plane impares et inepti ſunt. Hinc tot querelae de iis, qui — — Sed ſatis querelarum eſt, quibus ſcimus plerumque non multum profici, et multos adeo, qui ſalutis Eccleſiae,

Reique

Reique cum ciuilis, tum literariae parum curioſi ſunt, ad riſum commoueri. Quae in hanc ſententiam diſputauimus, diximus conſilio hoc, vt et diſciplinae noſtrae alumnis ſtolidam iſtam, et incrementis in bonis literis capiendis perquam pernicioſam opinionem, perſuaſionemque de magnis profectibus ſuis, quantum quidem facultatis noſtrae ſit, eriperemus, immaturamque adeo cupiditatem, vitae ſcholaſticae cum academica commutandae, coerceremus, et parentibus oſtenderemus, quam inique agant, quam male liberorum ſaluti, futuraeque fortunae conſulant illa nimia facilitate ſua in admittendis liberorum precibus, vt nimis mature diſcedendi e ſchola facultatem conſequantur. Quodſi id, quod in hac proluſione ſcribenda ſecutus ſum, non aſſecutum me, forte etiam nunquam aſſecuturum eſſe, intellexero: at confido, Viris doctis, quibus bonae literae, Resque publica literaria curae, cordique ſunt, vel hoc nomine quidquid huius Commentatiunculae eſt non improbatum iri, quod huic peruerſae iuuenum conſuetudini, immaturum e ſcholis diſceſſum maturandi, indies magis, magisque inualeſcenti, pro muneris mei religione, reſiſtere ſtudui. His ſi hoc conſilium meum probari cognouero: ſatis amplum exigui huius laboris mei praemium tuliſſe me, exiſtimabo.

P. P. in Illuſtri Moldano a. d. III. Septembr. A. R. S. CIↃIↃCCLXVII.

XII.

PROLVSIO

DE

DOCENDI RATIONE SOCRATICA INSTITVTIONI IVVENVM IN SCHOLIS PERQVAM ACCOMMODATA.

Graues ſunt, eaeque non vanae omnium virorum bonorum, ſalutisque publicae amantium querelae de moribus corruptis, noſtra aetate magis magisque inualeſcentibus, et indies latius ſerpentibus, quorum veluti contagione peſtifera multorum animi rudes adhuc et integri ſenſim infecti corrumpantur. In hac autem tam communi querela vna omnium et conſentiens virorum ſapientum vox eſt, huius mali publici, capitalisque peſtis cauſſam repetendam eſſe ab educatione tenellae adhuc aetatulae, male peruerſeque inſtitutae, et a diſciplina, paullo ſeueriori illa quidem, prudenti tamen et liberali neglecta, cuius tanquam fraenis liberorum animi teneri adhuc, et ad ducendum ſequaces regundi ſint, inque officio continendi. Hinc tantum prouentum eorum librorum aetas noſtra tulit, qui de prudenti, honeſtaque iuuentutis educatione et inſtitutione exponunt, eiusque vtilitatem latiſſime patentem, neceſſitatemque adeo parentibus, et omnibus omnino, qui vicem eorum munusque ſuſtinent, diligentiſſime commendant, et ſuum cuique officium grauiſſime iniungunt. Sed his libris omnibus, praeceptisque ſaluberrimis parum hucusque effectum eſſe, cum res ipſa loquatur, probatione nulla indiget: nec forte vlla ſpes eſt, aliquid vel ob conſuetudinem inueteratam, diuturnitateque tempo-

temporis corroboratam, vel ob blandam multorum patrum ſocordiam, crudelemque matrum indulgentiam, vnquam iri effectum. Enimvero, ſi quid eſt, cuius diligentiſſimam, maximeque ſollicitam curam parentes habere, in quo dies noctesque fere cogitationes defigere debeant, eſt ſane prudens, honeſta, liberalisque liberorum educatio et inſtitutio. In hoc omnium cum ſapientum, tum legislatorum vnanimis conſenſus, et amica opinionum conſpiratio animaduertitur, ab hac liberorum educatione et inſtitutione regnorum, imperiorum, Rerumque publicarum florem, ſecuritatem, ſalutemque pendere. Socrates quidem apud a) PLATONEM de hac re in ſententiam diſputat hanc, vt dicat, primordium Reipublicae feliciter, et e ſalute communi adminiſtrandae ducendum eſſe ab honeſta, liberalique iuuentutis educatione et inſtitutione. Sed totus ille locus nimis elegans eſt, quam qui huc, in gratiam lectorum intelligentium, non ſit transferendus: Κινδυνέυει σοφός τις (Μέλιτος) εἶναι. Καὶ τὴν ἐμὴν ἀμαθίαν κατιδὼν, ὡς διαφθείροντος τὺς ἡλικιώτας αὐτῦ, ἔρχεται κατηγορήσων μυ, ὥσπερ πρὸς μητέρα, πρὸς τὴν πόλιν. Καὶ φαίνεταί μοι τῶν πολιτικῶν μόνος ἄρχεσθαι ὀρθῶς. Ὀρθῶς γὰρ ἐστι τῶν νέων πρῶτον ἐπιμεληθῆναι, ὅπως ἔσονται ὅτι ἄριστοι, ὥσπερ γεωργὸν ἀγαθὸν τῶν νέων φυτῶν εἰκὸς πρῶτον ἐπιμεληθῆναι, μετὰ τῦτο καὶ τῶν ἄλλων. Καὶ δὴ καὶ Μέλιτος ἴσως πρῶτον μὲν ἡμᾶς ἐκκαθάιρει, τὺς τῶν νέων βλάστας διαφθείροντας, ὥς φησιν ἔπειτα μετὰ τῦτο δηλονότι τῶν πρεσβυτέρων ἐπιμεληθεὶς, πλείστων καὶ μεγίστων ἀγαθῶν αἴτιος τῇ πόλει γενήσεται. Ὥστε τὸ εἰκὸς συμβῆναι ἐκ τοιάυτης ἀρχῆς ἀρξομένῳ. *Perquam ſapiens eſſe* (Melitus) *videtur. Nam, malitia mea animaduerſa, quaſi ego ipſius aequales corrumperem, prodit me accuſaturus apud ipſam ciuitatem, tanquam apud matrem. Et mihi videtur ſolus praefectorum*

a) In Euthyphron. p. 2. ſq. edit. Stephan.

ſtorum reipublicae adminiſtrandae eam recte adminiſtrare. Conſentaneum enim eſt, primam, antiquiſſimamque curam haberi hanc, vt iuuenes quam optimi euadant: quemadmodum agricolam decet, nouellarum plantarum primam curam habere, tum vero de caeteris curandis rationes inire. Et certe, Meliti hoc eſt conſilium, vt nos, qui teneras iuuenum veluti plantas, vt ipſe ait, corrumpimus, quaſi ſarriat, et expurget, poſt haec vero curam ſeniorum gerat, maximorumque bonorum auctor huic ciuitati exiſtat. Tanta commoda e tali primordio praeſagire poſſumus. Et [b] alio PLATONIS loco idem Sapiens, *ſe neſcire*, ait, *qua de re virum prudentem magis ſollicitum eſſe deceat, quam de hac, vt filius ipſius quam optimus euadat.* Cum autem, vt egregie Socrates apud [c] PLATONEM diſputat, duo vitia, et animi quaſi morbi hominibus innati deprehendantur, quorum alter *κακία* ſ. *improbitas*, alter autem *ἀμαθία* ſ. *ignorantia* dicatur, vtrique autem, quantum quidem fieri poſſit, depellendo, et cum ipſis quaſi fibris euellendo ſollicita cura, aſſiduaque diligentia adhibenda ſit: facile intelligi poteſt, cum omnibus omnino, quibus educandae, inſtituendaeque iuuentutis cura demandata eſt, tum imprimis ſcholarum magiſtris duplicem quaſi perſonam impoſitam eſſe, alteram, vt in illa improbitate, e iuuenum animis tollenda et exſtirpanda laborent, alteram, vt, ignorantiae tenebris diſcuſſis, eorum ingenium literarum diuinarum, humanarumque cognitione excolant, et indies magis magisque doctrinae cultu perpolire ſtudeant. Sed quemadmodum de priori illo ſcholae magiſtrorum munere, quod in iuuenum animis ad pietatem, honeſtatemque morum fingendis cernitur, alio tempore expoſuimus: ita forte operam non luſiſſe videamur, ſi de altero, quod ad ingenia commiſſorum iuuenum, doctrinae ope excolenda, humanitatisque paſtu quaſi alenda ſpectat,

b) In Theage p. 21. et 127. cf. eundem in Phaed. p. 107.
c) In Sophiſta p. 227. ſqq.

ſpectat, hac proluſione pro anguſtis, quibus includenda eſt, terminis diſputemus. Nam, cum inſtituendi, docendique iuuenes ratio in ſcholis magna educationis publicae, ſcholarum magiſtris commiſſae, ſit pars, plurimumque referat, quibus ſenſibus, quibus opinionibus, praeceptisque teneri adhuc et rudes iuuenum animi imbuantur, et qua via ingenia ad cognitionem literarum diuinarum, humanarumque ducantur, docendi ratio autem Socratica huic rei perquam accommodata nobis videatur: rem ſuſcepturos nos eſſe exiſtimauimus, neque a muneris noſtri profeſſione, neque a ſolennitate huius diei alienam, quo memoria illuſtris Moldani noſtri, ante hos CCXVIII annos aperti et conſtituti, grata, piaque mente recolenda eſt, ſi *de ratione docendi Socratica, inſtitutioni iuuentutis in ſcholis perquam accommodata*, paucis exponeremus.

Duo omnino ſunt inſtituendae, docendaeque iuuentutis, literarum ſtudiis conſecratae, genera, *continuum alterum et perpetuum*, quo res cognitu vtiles et neceſſariae a vno quaſi orationis, diſputationisque filo connexae traduntur ita, vt iſte diſputationis curſus aliqua interpellatione impeditus nunquam retardetur, atque adeo diſcentium non niſi hae partes ſint, vt, quae traduntur, attentis auribus, animisque, aut calamis etiam d) excipiant: *alterum* autem, quo res diſcentibus proponendae ita traduntur, vt oratio ſubinde interrogationibus docentis, reſponſionibusque diſcipulorum varietur, adeoque vox docentis, attentione, intelligentiaque diſcipulorum exploranda, interdum conticeſcat.

Iam, quemadmodum prius illud docendi genus doctoribus Academicis accommodatiſſimum et eſt, et habetur: ita hoc ſaluberrimum, iuuentutisque in ſcholis inſti-

d) Hoc docendi genere qui vtitur, is PLATONI in Sophiſta p. 217. *λυτὸς ἐφ' ἑαυτῷ μακρῷ λόγῳ διεξιέναι*, nec non *καθ' ἑαυτὸν διαλέγεσθαι* dicitur.

tuendae rationibus conuenientiſſimum eſſe exiſtimamus. Nam, qui alterum illud genus, quod in Academiis obtinet, in ſcholis etiam vſurpant, id fere faciunt, commoti vana quadam magnae, variaeque doctrinae oſtentandae cupiditate, (*ambitum intelligendi* e) QVINCTILIANVS vocat,) rati, ſe ea re magnam de ſe, doctrinaque ſua opinionem apud imperitos fere iuuenes excitare, et, de horum quidem ſententia, in cenſum Virorum, varie, exquiſiteque doctorum referri poſſe. Mirifice enim delectantur nonnullorum ſcholae magiſtrorum blandae auriculae, cum has diſcipulorum ſuorum voces ad ſe deferri audiunt: *Bone Deus! quam docte hic, quam exquiſite, quanto variae doctrinae apparatu docet! quam multa, quam egregia et ſelecta, calamis excipienda, et in Commentariola noſta referenda, nobis quotidie dictare ſolet! Haec vero ſunt mere realia, non inanes verborum nugae.* Alii autem hoc docendi genere in ſcholis vtuntur iſta vanitate doctrinae oſtentandae non commoti, ſed laboris fuga, taedioque operae, collocandae in eo, vt antea cogitando, legendoque perſequare ea, quae faciant ad praelectiones e re, vtilitateque iuuenum habendas. Nam res facillimi negotii eſt, nec homini defidi etiam grauis, vel ex allatis plagulis, quas olim dictatis in Academia exceptis repleueris, vel e Commentariolis, quae ipſe per otium in aliquam diſciplinam, aut vnum aliquem graecum, latinumque auctorem, acerbiſſimas per librorum indices exactiones inſtituendo, aut Lexicorum opem miſere efflagitando et emendicando, confeceris, vnam et item alteram horulam *perdere* (conſumere volebam dicere,) dictando diſcipulis in calamos vnam eandemque rem, bis terue, facta reſpiratione commoda, repetitam, et ex eo Commentariolo ea praelegere et quaſi decantare ita, vt iſte libellus conſarcinatus *Praeceptoris*, Praeceptor autem non niſi *Lectoris* munere fungatur. Ex hac docendi ratione, ex hoc inutili dictandi labore conficiuntur

e) Inſtitut. Orator. 12, 100.

ficiuntur a discipulis magni illi, variaque doctrina referti Commentarii, haud ita multo post deferendi

in vicum, vendentem thus et odores,
Et piper, et quidquid chartis amicitur ineptis.

Neque vero boni illi viri, quibus istam docendi rationem in scholis adhibere placet, intelligere, aut curare videntur, quam parum hac re iuuentutis, ipsorum institutioni concreditae, rationibus consulatur. Nam, ne dicam, quam multum temporis ista dictandi opera perdatur, quam parum accurate ista dictata a iuuenibus, rudibus plerumque et leuibus, excipiantur calamis: istud docendi genus in scholis incommodi habet hoc, quod ea re socordiae, desidiaeque veluti aditus munitur. Multi enim discipulorum, qui vultum, speciemque excipientium calamis dictata prae se ferunt, mente et cogitatione interim hinc inde vagantur: alii scribendi laborem pertaesi horulam, qua e scholae tanquam carceribus emittantur, pandiculantibus auriculis expectant, et interea in vtramque aurem secure dormientes, et equos, canes, aliasque reculas somniantes alte stertunt. Qua quidem re quis non intelligit, diligentem, acremque attentionem, quauis arte in leuis animi iuuenibus et excitandam et retinendam, minui ac sopiri? Quid? quod hoc docendi genere in scholis et ingeniorum explorandorum ratio negligitur, et vis iudicii, quouis modo acuenda, sensim debilitata frangitur. Ne illud dicam, multa et forte pleraque, si latine dictentur, a plerisque discipulorum ne intelligi quidem, adeo, vt ista latine dictata, si praeceptor ab omnibus intelligi velit, ab eo rursus germanice, cum magna temporis iactura, sint dicenda. Neque prudentius rationes suas ii scholarum magistri instituunt, qui dictando quidem totas horas non consumunt, in tradendis, docendisque tamen rebus continua perpetuaque oratione ita vtuntur, vt non subinde discipulos, in historia etiam tradenda (in qua tamen aliqua ex-

ceptio datur,) interrogent, et explorent, qua animi attentione, quae tradita sunt, acceperint, retinuerintne memoria, an per oscitantiam elabi passi sint, intellexerintue omnia, an minus? Nam non omnes discipuli ita liberaliter sunt doctrina instituti, nec eum iam iudicandi vsum habent, aut ingenio tam acri sunt, vt, quae semel in continenti orationis docentis cursu audierint, mente assequi, memoriaque fideli retinere possint. Nam, vt bene f) CICERO in re fere simili dicit: *Cum fertur, quasi torrens, oratio, quamuis multa cuiusque modi copias: nihil tamen teneas, nihil apprehendas, nusquam orationem rapidam coerceas.*

Sed explosa hac docendi ratione, a quibusdam consilio non sane salubri in scholas introducta, susceptae rei ratio postulat, vt, docendi rationem Socraticam institutioni iuuentutis in scholis perquam accommodatam esse, ostendamus. Quae qualis fuerit, vt eo facilius intelligi, diiudicarique possit, e PLATONE praecipue, a cuius quippe lectione adhuc recentes sumus, non tam expressa, quam adumbrata a nobis iam ostendatur. Iam primum, satis constat, eam aetatem, qua Socrates vixerit, magnum tulisse prouentum Sophistarum, h. e. hominum, qui ostentationis aut quaestus caussa philosopharentur, in quibus nihil esset, nisi ieiuna verborum concertatio. Nam istorum hominum oratio in veris et vtilibus tradendis nimis muta erat, in nugulis autem venditandis nimium loquax. PLATO (in Sophista p. 28.) hos vaniloquos et nugiuendulos homines eleganter ἀσπαλιευτὰς vocat, quoniam, vti piscatores hamo pisces, sic hi verborum illecebris et veluti decipulis incautos iuuenes decipere, nummisque emungere solebant. Hi Sophistae, vana magnae doctrinae opinione de se capti, fastusque tumore turgidi sibi ipsis, et aliis, huius vanitatis fraude deceptis, persuadebant, se non modo de re, de quacunque quis vellet, in vtramque partem ex

f) De Finib. II, 1.

ex tempore diſputare, ſed dicendo etiam efficere poſſe, vt res iuſta iniuſta, iniuſta autem iuſta videretur. Hanc iſtorum hominum vanitatem, quam PLATO ironice παγκρατιαστὴν τέχνην vocat, Socrates cum multis aliis PLATONIS locis, tum in Euthydemo (p. 272.) his verbis perſtringit: ὕτω δεινὼ γεγόνατον ἐν τοῖς λόγοις μάχεσθαί τε καὶ ἐξελέγχειν, τὸ αἰὲι λεγόμενον, ὁμοίως ἐάν τε ψεῦδος, ἐάν τε ἀληθὲς ᾖ· *Tanta dicendi facultate valent, vt et decertare, et id, quod in medium affertur, refutare poſſint, ſiue verum ſit, ſiue falſum.* In qua quidem doctrinae ſuae, facultatisque dicendi oſtentandae vanitate non tam diſcipulorum vtilitatem ſpectabant, ſed ſequebantur potius hoc, vt et magnam ſui admirationem excitarent, et magnam pecuniae vim corraderent, quod PLATO (in Sophiſta p. 243.) eleganter vocat τὸ σφέτερον περαίνειν h. e. *intus ſibi canere*, nulla diſcipulorum ratione habita. Non pigebit, locum g) PLVTARCHI, paullo longiorem illum quidem, rei praeſenti autem perquam conuenientem, huc transferre: Ὥσπερ ἐκ τύχης τότε φορὰν γενέσθαι συνέβη Σοφιστῶν ἐν τῇ Ἑλλάδι καὶ τούτοις οἱ νέοι πολὺ τελοῦντες ἀργύριον, οἰήματος ἐπληροῦντο καὶ δοξοσοφίας, καὶ λόγων ζήλε, σχολὴν καὶ διατριβὰς ἀπράκτους ἐν ἔρισι καὶ φιλοτιμίαις ἄγοντες, καλὸν δὲ καὶ χρήσιμον ἀδ' ὁτιοῦν. *Ea* Socratis *aetate quaſi fortuna quadam magnus erat prouentus Sophiſtarum in Graecia, quibus adoleſcentes magnam pecuniae vim perſoluentes implebantur arrogantia, et ſcientiae opinione, ſtudioque diſputandi, ita, vt otioſi et inertes in rixis contentionibusque ambitioſis tempus tererent.* Horum Sophiſtarum minus acutorum, merasque nugulas vendentium, diſcipulos PLATO (in Sophiſta p. 247.) eleganter σπαρτοὺς καὶ αὐτόχθονας h. e. *terrae ſatu editos, e terraque prognatos* vocat. Princeps iſtorum nugiuendulorum, fallaciumque Sophiſtarum fuit Protagoras, vel e PLATONIS Dialogo, illius nomine inſignito, notus, et CI-

g) In Quaeſt. Platon. p. 1839. Edit. Stephan.

CERONI (de Natur. Deor. I, 23.) *Sophiſtes illis temporibus quam maximus* dictus, de quo GELLIVS: (Lib. V, 3.) *Is Protagoras inſincerus quidem Philoſophus, ſed acerrimus Sophiſtarum fuit: pecuniam quippe ingentem quum a diſcipulis acciperet* h) *annuam; pollicebatur id docere, quanam verborum induſtria cauſſa infirmior fieret firmior. Quam rem graece ita dicebat,* τὸν λόγον ἥττω ποιεῖν. LAERTIVS (in vit. Protag. p. 250.) de eodem: Πρῶτος ἔφη δύο λόγους εἶναι περὶ παντὸς πράγματος ἀντικειμένους ἀλλήλοις. *Primus dixit, de omni re duos eſſe ſermones ſibi oppoſitos*, h. e. vnamquamque rem dicendo, diſputandoque nunc veram, nunc falſam reddi poſſe. Iam, *Georgium Leontinum*, CICERO (de Fin. II, 1.) refert, *primum auſum eſſe in conuentu poſcere quaeſtionem, id eſt, iubere dicere, qua de re quis vellet audire. Audax,* ſubiungit CICERO, *negotium: dicerem impudens, niſi hoc inſtitutum poſtea translatum ad Philoſophos noſtros eſſet. Sed et illum, quem nominaui, et caeteros Sophiſtas, vt e* PLATONE *intelligi poteſt, luſos videmus a Socrate.* Cf. idem de Orat. I, 22.

Socrates igitur cum animaduertiſſet, iſtis captioſorum Sophiſtarum artibus inhoneſtis iuuenes non pecunia ſolum fraudulenter emungi, vanaque de ſe, diſputandique facultate ſua perſuaſione turgidos inſolenter ſeſe vbique iactitare, ſed tempus etiam vanis iſtis, ambitioſisque altercationibus perdi, animosque corrumpi, et bona ingenia deleri: rem ſuſcepturum ſe eſſe putabat, vti iuuenum vtilitati accommodatam, ita totius Reipublicae rationibus frugiferam, ſi et iſtam Sophiſtarum vanitatem arrogantiamque conuinceret, iuuenesque, illorum ſequaces, et inani faſtu quodammodo ferocientes, reprimeret, et a perverſa illa via, qua ad laudem graſſabantur, retractos in viam regiam, et ad ſtudium cognoſcendarum rerum ad bene

h) LAERTIVS in eius vita p. 250. Edit. Londin. C minas a ſingulis diſcipulis exegiſſe tradit, vbi v. MENAGIVS.

bene beateque viuendum neceſſariarum perduceret. Omnis enim eius oratio cum in virtute laudanda, tum in omnibus hominibus ad eius ſtudium cohortandis conſumebatur. Cf. CICERO in Bruto c. 8. Reiecta enim iſta inutili, exilique diſputandi ratione, ab intelligentia aliorum longe remota, et a ſenſu diſiuncta, exploſisque iſtis Sophiſtarum nugis, et ſpinoſis quaeſtiunculis, diſputando in vtramque partem agitatis, omnem diſputationem ſuam conſumebat in eo, vt doceret, quid pium eſſet, quid impium, quid honeſtum, quid inhoneſtum, quid iuſtum, quid iniuſtum, et omnino, quae facienda, quae omittenda eſſent, auctore XENOPHONTE Memorabil. Socrat. I, 1. Sed iuuat ipſum Socratem apud i) PLATONEM hac de re audire: *Οὐδὲν ἄλλο πράττων ἐγὼ περιέρχομαι ἢ πείθων ὑμῶν καὶ νεωτέρους, καὶ πρεσβυτέρους, μήτε σωμάτων ἐπιμελεῖσθαι, μήτε χρημάτων πρότερον, μήτε ἄλλου τινὸς ἅτω σφόδρα, ὡς τῆς ψυχῆς, ὅπως ὡς ἀρίστη ἔσται, λέγων, ὅτι ἐκ χρημάτων ἡ ἀρετὴ γίνεται, ἀλλ' ἐξ ἀρετῆς χρήματα, καὶ τἆλλα ἀγαθὰ τοῖς ἀνθρώποις ἅπαντα, καὶ ἰδία, καὶ δημοσίᾳ.* *Coetus hominum obeo, nulla alia re occupatus, niſi hac, vt vobis iuuenibus, ſenibusque perſuadeam, neque corporis, neque facultatum prius, nec cuiusquam aliae rei aeque magnam curam, rationemque eſſe habendam, ac animi, vt quam optimus euadat, hac quidem cauſſa addita, quod e diuitiis non oriatur virtus, ſed e virtute diuitiae, et alia bona omnia in homines cum totius ciuitatis, tum ſingulos redundent.* Ne autem haec nimis magnifice, et paullo arrogantius in ſuam ipſius laudem dixiſſe videatur Socrates: age, teſtem in hanc rem excitemus CICERONEM, quem nemo ob aliquam cupiditatem, partiumque ſtudium vanitatis ſuſpectum in hac quidem re habere poſſit. *Is igitur, a Socrate* k) narrat, *omnem, quae eſt de vita et moribus, philoſophiam manaſſe.* Idem l) alio loco: *Socrates mihi videtur,*

i) In Apol. Socrat. p. 30.
k) Diſputatt. Tuſcul. III, 4.
l) Academ. Quaeſt. I, 4.

tur, id quod conſtat inter omnes, primus a rebus occultis, et ab ipſa natura inuolutis, in quibus omnes ante eum philoſophi occupati fuerunt, auocauiſſe philoſophiam, et ad vitam communem adduxiſſe, vt de virtutibus et vitiis, omninoque de bonis rebus et malis quaereret. In eandem ſententiam m) idem alibi: *Socrates primus philoſophiam deuocauit e coelo, et in vrbibus collocauit, et in domos etiam introduxit, et coepit de vita et moribus, rebusque bonis et malis quaerere.* Nam, vti eſt, ita perſuaſum ſibi habebat, adulterinae doctrinae, ſcientiaeque vanae ſignum haud fallax eſſe hoc, ſi diſputatio in rerum vanarum quaeſtiunculis conſumatur, et verba tantum adhibeantur, nulla autem vtilitas ad vitam, bene beateque inſtituendam redeat, vt ipſe apud n) PLATONEM dicit. Vere ſane! Quid enim, vt CICERO de Orat. I, 12. ait, tam furioſum eſt, quam verborum quam optimorum ſonitus inanis, nulla ſubiecta ſententia aut ſcientia? Commodiſſimam autem, et efficaciſſimam iſtorum Sophiſtarum conuincendorum rationem ipſe Socrates apud o) PLATONEM docet eſſe hanc, vt illos interrogationibus, dubitationibus, et exceptionibus (ἀντιλήψεις et ἀπορίας PLATO in Sophiſta p. 231. vocat,) ſubinde factis confunderet, et ex ipſorum reſponſionibus, quas eliciebat, et veluti extorquebat, ſimplici concluſione tam ridicula, tam abſurda conficeret, vt ſententiarum, dictorumque vanitas dilucide appareret. Et in hac ratione diſputandi contra, nihil aliud ſequi videbatur, quam vt vnice falſa refutaret, cum re ipſa doceret vera. Qua quidem in re qua vſus fuerit arte, nunc paullo curatius eſt dicendum. Scilicet Socrates, qui in diſputando ironia, diſſimulantiaque vti, et de ſe ipſe detrahere ſolebat, plus in diſputatione tribuere videbatur iis, quos refellere vellet, et his diſſimulationis integumentis veluti inuolutus, nihil aliud ſpectabat, quam vt craſſam Sophi-

m) Diſputatt. Tuſcul. V, 4.
n) In Protag. p. 361.
o) In Hipp. min. p. 364.

Sophiſtarum inſcitiam conuinceret, ſtultitiamque loquacem comprimeret, et diſputando in vtramque partem, interrogandoque eliceret, et quaſi exprimeret id, quod aut verum eſſet, aut ad id quam proxime accederet. Cum itaque in diſputando aliud diceret, aliud ſentiret: libenter vti ſolebat ea diſſimulatione, quam Graeci εἰρωνείαν vocant, qua aliis opinionem afferebat, ſe nihil ſcire, atque ab iis, quod neſciret, doceri velle. Hoc conſilium ſuum ipſe Socrates apud p) PLATONEM aliquo loco aperit, vbi docet, quare diſſimulanter et dubitanter diſputet, ſuaque arte obſtetricia vtatur. CICERO, q) *haec eſt, vt ſcis, vetus et Socratica ratio, contra alterius opinionem diſſerendi. Nam ita facillime, quod verosimillimum eſſet, inueniri poſſe Socrates arbitrabatur.* Hac diſputandi ratione cum Socrates ſuam ipſe ſententiam tegeret: errore alios leuabat, et in omni diſputatione, quid ſimillimum veri eſſet, quaerebat, vt r) CICERO alio loco tradit. Inde eſt quod s) ARISTOTELES dicat, Socratem interrogaſſe, non reſpondiſſe, confeſſumque eſſe, ſe nihil ſcire. Hac diſputandi ratione cum contra alios, tum Sophiſtas imprimis vtebatur. Nam contra eorum ſententias ſubinde dubitationes graues, nec facile tollendas mouebat, interrogationumque nec opinarum veluti vinculis ita irretitos tenebat, vt, quomodo ſe expedirent, non haberent, et ea in percunctando iis proponebat, ea in ſermone tractabat, vt, quid dicerent contra, non invenirent: quod PLATO (in Sophiſta p. 135.) ἀθυμεῖν περὶ τὸν λόγον vocat. Cum autem illa diſſimulatione ſua, et interrogandi ratione non niſi id ſpectare videretur, vt verum ab iis doceretur: ipſe callida iſta diſputandi contra ratione, vanitate ſententiae illorum conuicta, verum doce-

p) In Theage ſub fin. p. 210.
q) Diſputatt. Tuſc. I, 4.
r) Diſputt. Tuſc. V, 4.
s) Elench. II, 34. Σωκράτης ἠρώτα, οὐκ ἀπεκρίνετο· ὡμολόγει γὰρ μὴ εἰδέναι.

docebat, ex ipſorum ſaltem reſponſionibus tandem eliciebat et conficiebat, quod aut verum eſſet, aut ad id quam proxime accederet. Vidit enim plus, quam quantum acies ingeniorum Sophiſtarum intueri potuit.

Haec docendi ratio Socratica, qua omnia per diſſimulationem intelligendi dicuntur, PLATONI (in Sophiſta p. 134.) μαθημάτων εἰς ψυχὴν φύτευσις καὶ σπορὰ dicta, qua aptis interrogationibus, et reſponſionibus, alternis vicibus factis, animorum ſenſa, tanquam foetus, in lucem producuntur, venuſte reique conuenienter PLATONI variis locis μαιεία ſ. *obſtetricatio* dicitur, quia, vti obſtetricium ope, parturientibus adhiberi ſolita, foetus, ita hac commoda et interrogandi et reſpondendi ratione animi ſenſa, tanquam mentis foetus, eliciebantur. Scilicet ex vniuerſa doctrina diſciplinaque Socratis, vt patet e PLATONIS inprimis Theaeteto, intelligitur, eum fuiſſe opinionis huius, vt putaret, Sapienti ad veram rerum cognitionem, ſcientiamque comparandam neceſſarium eſſe hoc, vt ſit [t]) ἐξεταστικὸς h. e. non omnibus temere aſſentiatur, ſed omnia diligenter exploret, donec certam, minimeque vagam aut fallacem cognitionem ſollerti ſtudio ſit conſecutus.

Putabat enim, rerum ipſarum quaſi ſemina hominum animis, diuino aliquo dono ac munere eſſe inſita, vnde illarum cognitio in nobis coaleſcat: haec autem ſemina, induſtria et ſollerti praeceptorum arte exculta, ad veram rerum cognitionem, vſusque rationem reuocari deberi, nobis autem opus eſſe aliqua veluti obſtetrice, vt veri animi foetus ab adulterinis h. e. verae opiniones a falſis diſcerni poſſint. Et hanc quidem tutiſſimam, certiſſimamque viam ad rerum diuinarum, humanarumque cognitionem conſequendam eſſe arbitrabatur. Hac autem μαιεία ſ. *obſte-*

t) Vid. PLATO in Theaet. p. 160. ſq. vbi de foetu et partu translate ſumto elegans Allegoria eſt. Cf. in eod. p. 220.

ſ. *obſtetricia arte* ad hos veros animorum veluti foetus educendos cum ſe valere diceret: ſe ipſe vocabat *μαιευτικὸν* h. e. eum, cuius opera illa rerum ſemina, hominum animis inſita, excolerentur, et ad veram rerum cognitionem perducerentur. Iſta enim *μαιεία* eſt illa diſciplina, illa docendi ratio, qua commodis interrogationibus, et, quae inde eliciuntur, reſponſionibus animorum noſtrorum ſenſa, tanquam foetus in lucem u) producuntur. Huius artis *μαιευτικῆς* facultatem cum ſe habere Socrates profiteretur: ſe ipſum apud x) PLATONEM filium *Μάιας* h. e. *obſtetricis* valde generoſae et magnificae, docendique artem ſuam *τέχνην μαιευτικὴν* vocat. Inde translata dicendi ratione et ea perquam venuſta *ὠδίνειν* ſ. *parturire* apud y) PLATONEM dicitur, *qui verae rerum vtilium cognitionis comparandae ſtudioſus eſt, alterius autem opera adiutrice, veluti obſtetrice aliqua, in ea re opus habet.* Eiusdem venuſtatis illae translatae loquendi formulae apud z) PLATONEM ſunt: *Ἦ ἂν κυῆμέν τι καὶ ὠδίνομεν περὶ ἐπιςήμης, ἢ πάντα ἐκτετόκαμεν· Num igitur adhuc, quae ad veram ſcientiae naturam conſtituendam, definiendamque pertinent, nobis anquirenda et inuenienda ſunt, an omnia iam inuenimus?* et mox opiniones vanas et falſas vocat *ἀνεμιαῖα ἀναξια τῆς τροφῆς* h. e. *non dignas, quas quis accipiat et foueat*: vtiris, qui alios multas res docendi cupidus eſt, *ἐγκύμων* ſ. *praegnans, parturiens* venuſte ibidem dicitur. Sed haec *ὡς ἐν παροδῷ*, vt iuuenes harum literarum ſtudioſi quendam quaſi guſtum Platonicae venuſtatis concipiant, per totam orationem diffuſae, qua variare eam, et verborum, ſententiarumque veluti inſignibus diſtinguere ſolet. Socrates igitur explorabat animi ſenſa, et principia dubi-

u) Cf. in hanc rem PLATO in Theaet. p. 148. et in Sophiſt. p. 217. ſqq.
x) In Theaet. p. 149.
y) In eod. Dialogo p. 148.
z) In eod. ſub fin.

dubitandi, tanquam dolores partum praecurrentes ſuggerebat, iisque mox aduerſarios liberabat, perducens ad verum cognoſcendum, animoque veluti parturienti obſtetriciam operam praeſtabat. Inſignis in hanc rem locus a) PLVTARCHI eſt: Οὐδὲν ἐδίδασκε Σωκράτης, ἀλλὰ ἐνδιδοὺς ἀρχὰς ἀπορίων, ὥσπερ ὠδίνων τοῖς νέοις, ἐπήγειρε καὶ ἀνεκίνει καὶ ξυνεξῆγε τὰς ἐμφύτους νοήσεις· καὶ τοῦτο μαιευτικὴν τέχνην ὠνόμαζεν, ἐκ ἐντιθεῖσαν ἔξωθεν, ὥσπερ ἕτεροι προσεποιοῦντο, νοῦν τοῖς ἐντυγχάνουσιν, ἀλλ' ἔχοντας οἰκεῖον ἐν ἑαυτοῖς, ἀτελῆ δὲ καὶ συγκεχυμένον τῷ τρέφοντος ἐπιδεικνύουσαν· *Socrates nihil docuit, ſed principia dubitandi, tanquam dolorem partus antecedentes, adoleſcentibus ſuggerens, exſuſcitauit, atque vna confirmauit inſitas notitias, hanc artem obſtetriciam appellauit, quae non, vt alii profitebantur, intelligentiam auditoribus extrinſecus ingereret, ſed demonſtraret, eam ipſis eſſe inſitam, imperfectam tamen et confuſam, et cuiuſdam adiutoris, tanquam nutricii, indigentem.* Ipſe Socrates apud PLATONEM (in Theaet. ſub fin.) docet, hanc μαιείαν ſ. *obſtetricandi facultatem* ſuam non foeminis, ſed animis iuuenum, et quidem ingenuorum, et honeſtatis, verique cognoſcendi amantium, inſeruire. Hac vero arte ſua Socrates efficere ſtuduit non ſolum hoc, vt alios, vana ſcientiae, doctrinaeque ſuae opinione turgidos compeſceret, ſed etiam modeſtius de ſe ſentire doceret, ad iudicandum acutiores, et ad pronunciandum, decernendumque in vtramque partem cautiores redderet, verbo, ad verum inueniendum, diiudicandumque, et a falſo diſcernendum manu quaſi duceret, vt ipſe apud PLATONEM l. c. non obſcure docet.

Vel vno in hanc rem exemplo, e PLATONE ex innumeris petito, defungamur, vnde appareat, quomodo Socrates hac ſua arte μαιευτικῇ fuerit vſus, h e. graues dubitationes mouendo, et aptis interrogationibus reſponſiones

a) In Quaeſt. Platon. p. 1840.

siones aliorum eliciendo cum falsum refutarit, tum ad verum cognoscendum perduxerit. In Platonis Dialogo, nomine Euthyphronis insignito, instituitur de re omnium grauissima, omnique veneratione dignissima, Religionem puta, disputatio. In quo quidem Dialogo, quidam Euthyphro, ariolus, qui veram Religionis cognitionem habere sibi persuaserat, introducitur, Socrati aperiens, se suum ipsius patrem in iudicio homicidii esse postulaturum, Religionis, vti ipse dicebat, amore, studioque permotum. Socrates, probe gnarus, quam saepe, quam grauiter homines honesta specie, et honorifico obtentu Religionis peccent, inuidentiaeque suae, et odio nomen Religionis obtendant, vel coeco, maleque sano studio eius auferantur: oblata hac occasione commoda, disputationem de Religione cum Euthyphrone ingreditur. In cuius rei disputatione versatur ita, vt, more suo εἰρωνευόμενος, intelligendique dissimulatione vtens, interrogando tres definitiones religionis ex Euthyphr. eliciat, quas, in vtramque partem disputando, (ἄνω καὶ κάτω λέγειν PLATO vocat,) mancas, imperfectas, falsasque ostendat, ipsum autem Euthyphronem huius rei, cuius verissimam, certissimamque cognitionem habere se credebat, imperitissimum arguat, propositisque quaestionibus, et, quas elicuerat, responsionibus, motisque contra eas dubitationibus doceat, Religionem esse veram sapientiam, cognitionemque Dei, et vitae Reique publicae fundamentum. Sed de Religionis indole natura plenius et copiosius cum alibi, tum II et III Libro de Republica apud PLATONEM disputat. Iuuat vel vnum exemplum Socraticum, apte interrogando aduersarium conuincendi, et ad veri cognitionem perducendi, subiungere, laudatum ARISTOTELI, (Rhetoric. III, 8.) vbi de commoda et artificiosa interrogandi ratione exponit, qua alter ex sua ipsius responsione intelligit, quid absurdi ex ea sequatur. Σωκράτης, Μελίτᾳ ἀ φάσκοντος αὐτὸν Θεοὺς νομίζειν, ἔιρηκεν, εἰ δαιμόνιόν τι λέγοι; ὁμολογήσαν-

λογήσαντος δὲ, ἤρετο, ἢ ἀχ οἱ δαίμονες ἦτοι Θεῶν παῖδες εἶεν, ἢ θεῖόν τι; φήσαντος δὲ, ἔγιν ἄν, ἔφη, ὅστις Θεῶν μὲν παῖδας οἴεται εἶναι, Θεὰς δὲ ἄ; *Socrates, Melito dicente, ipſum exiſtimare, Deos non eſſe, dixit: num daemonium aliquod eſſe fateretur? confitente illo, interrogauit, annon daemones aut Deorum filii, aut diuini quid eſſent? Quod cum ille confirmaſſet: eſt igitur, inquit, qui Deorum filios eſſe arbitratur, non autem Deos?* Vbi alludi intelligitur ad nobile illud multisque multorum veterum ſermonibus celebratum *Daemonium Socratis*, quod ſe habere, prae ſe ferebat. Quae res occaſionem dedit eius inimicis calumniandi et clamandi, quos Deos ciuitas coleret, eos habere Socratem contemptui et riſui, nouosque adeo Deos introducere. Sed pleni ſunt horum exemplorum Dialogi Platonici, et Xenophontei, e quibus dilucide intelligitur, quae ratio docendi Socratica fuerit.

Nos igitur non poenitet, huius eſſe ſententiae, vt putemus, hanc docendi rationem perquam accommodatam, fructuoſamque eſſe iuuenibus in ſchola aliqua publica inſtituendis. Nam primo, hac docendi ratione attentio iuuenum, quorum cogitationes ob leuitatem animi ſaepe hinc inde ablatae vagantur, mire excitatur, excitata autem retinetur, praeſertim, ſi Praeceptor hunc morem, ad alia quoque accommodatum, introduxerit, vt non diſcipulos ſuo quemque ordine reſpondere iubeat, neque vni interrogando diu immoretur, ſed interrogationibus nunc hunc, nunc illum excitet, et quaſi opprimat, ita vt omnes et ſinguli, veluti in aliqua ſpecula poſiti, ſemper attenti eſſe debeant, cum nullus ne momento quidem ſecurus ſedere poſſit, annon ſit ad propoſitam quaeſtionem reſpondendum, et ratio reddenda eorum, quae ſint dicta.

Neque vero hoc vnum commodum eſt, quod haec docendi ratio habet, ſed multa alia etiam affert. Nam occaſionem commodiſſimam Praeceptori praebet, ingenium cuiusque diſcipulorum explorandi, et cognoſcendi, quo

vſque

vſque in literis colendis progredi poſſit, et qua arte excitandum, acuendumque ſit. Sunt enim aliis animi, ingeniique motus quidam celeres, et ad iudicandum acuti, et ad arripiendum faciles, et ad retinendum firmi atque diuturni, verbo, ſunt quidam ad res traditas percipiendas cognoſcendasque tam habiles et apti, ita ornati, vt non nati, ſed a Natura ipſa ficti videantur: alii contra ea, ingenio et acumine tam hebeti ſunt, vt tradendi videantur vno opere incudem diem, noctemque tundentibus, qui omnes tenuiſſimas particulas, atque omnia minima manſa, vt nutrices infantibus, in eos inſerant. Haec igitur ingeniorum diuerſitas cognita commodam occaſionem, facultatemque Praeceptori praebere poteſt, inſtituendi, docendique rationem cuiusque diſcipulorum captui conuenienter accommodandi, ita vt, grauiſſimam D. PAVLLI auctoritatem ſecutus, quodammodo *omnibus omnia fiat*, h. e. ſe, ſuamque docendi rationem ad cuiusque vires ingenii componat.

Iam quid aptius accommodatiusque eſſe poteſt, hac, per interrogandi, reſpondendique vices inſtituta, ratione docendi, ad claras diſtinctasque rerum notiones animis diſcipulorum informandas, percunctando nempe, an, quid reſponderint, intelligant, h. e. an ea, quae dixerint, aliis verbis, iisque perſpicuis, nihil neque obſcuritatis, neque ambiguitatis habentibus, exprimere poſſint. Nam iuuentuti, recte cogitando nondum adſuetae, nihil vſitatius eſt, quam hoc, vt, quoniam res ipſas a verborum ſonitu diſcernere nondum didicere, quae dicunt, ea etiam intelligere ſe credant. Hoc vitium, quod cum ipſo paene lacte nutricis in tenerrima aetatula ſuximus, qua prius loqui, verbaque effutire conſueuimus, quam cogitare, verborumque vim et poteſtatem ab eorum ſono diſcernere didicimus, hoc igitur, vitium cum ipſis annis alitur, diuturnitateque temporis ita confirmatur, vt non niſi cum magno, difficilique labore tolli radicitusque euelli poſſit. Et haec quidem praecipua cauſſa eſt, quod iuuenes non ſolum multa et dicant, et ſcri-

bant, quae iussi dilucidius exprimere, fateri coguntur, se ipsos non intelligere, sed etiam, quia rem ipsam, vimque verborum ab ipsorum sono discernere non possunt, eam sibi opinionem, persuasionemque perquam fallacem induant, vt multa iam se scire credant, cum saepe nihil fere intelligant. Quam commodam igitur facultatem Praeceptor habet, disciplinae suae alumnos, hac Socratica docendi ratione ita assuefaciendi, vt cogitare, verborumque sonum a vi, potestateque iis subiecta mature discernere, rerumque notiones claras distinctasque animo informare discant suo!

Denique haec docendi ratio, per interrogandi respondendique vices instituta, commodi affert hoc, vt iudicium iuuenum acuatur, h. e. indies maiorem facilitatem facultatemque de rebus vel lectis vel auditis recte sentiendi iudicandique consequatur, cum saepius cogitando, quid, et quomodo respondendum sit, ingenii, iudiciique vires sint intendendae, et hac consuetudine crebra sensim maior facilitas recte cogitandi iudicandique acquiratur.

Hic vero illud attinet dicere, prudentis callidique Praeceptoris esse, tam apte et commode interrogare, vt discipulis recte respondendi facultas suppeditetur, et, quid respondendum sit, quasi subministretur. Quod quidem interrogandi artificium, non minus fructuosum, quam difficile, vti magnam prudentiam, ingeniumque disciplina, bene, apteque interrogandi, subactum, ita magnum rerum vsum, et peritiam requirit. Ad huius rei facultatem autem consequendam perquam multum conferet diligens, et curiosa Platonicorum, Xenophonteorumque Dialogorum lectio, in quibus quippe illa eximia docendi ratio Socratica non adumbrata, sed viuis quasi coloribus expressa animaduertitur. Haec autem docendi ratio, alternis vicibus interrogando respondendoque instituta, a Socrate profecta, magno cum fructu adhiberi etiam possit in instituendis rudioribus, quibus initia, et prima elementa doctrinae christianae traduntur, quo instituendi munere vti imperitis nihil facilius, ita peri-

tis

tis nihil difficilius videtur. Quid enim *Catecheſis* aliud eſt, quam illa docendi ratio, quae rudiores perpetuis interrogationibus reſponſionibusque tentare iubet, donec claras diſtinctasque rerum notiones, accuratamque veri cognitionem conſequantur? Cuius inſtitutionis cum auctor fuerit Socrates: bene ſibi, diſcipulisque etiam ſuis conſulerent ii, qui artem per interrogationes erudiendi profitentur, ſi eius diſputationes, cum aliis inſtitutas, a PLATONE autem, et XENOPHONTE literarum monimentis conſignatas, diligenter legendas ſibi putarent. Neque vero haec mea vnius ſententia, ſed multorum aliorum, eorumque intelligentium iudicum conſentiens vox eſt. E quibus vel vnum MOSHEMIVM, τὸν νῦν ἐν ἁγίοις, virum et diuinarum, et humanarum literarum conſultiſſimum, teſtem excitabimus, vt, quae diximus, iis auctoritatem addat b). Is igitur ita: *Portenta forte nonnullis hic narrare videor, qui* SOCRATEM inſtitutionis Catecheticae *parentem et auctorem facio: ſed hi erunt fere, qui, morum et inſtitutorum veterum expertes, ex hodierno potius vocabulorum vſu et poteſtate res, quam ex rebus vim vocabulorum aeſtimant. Ego quidem in eam prope ſententiam venio, multos longe aptiores fore ad veri* Catechetae *munus obeundum, ſi Socratis diſputationes, a Platone et Xenophonte literis conſignatas, aſſidue legerent, atque praeclaram eius humanam ſapientiam, tradendique rationem ad res diuinas et coeleſtes prudenter et prouide accommodarent. Nam, quod cum animi quadam moleſtia dico, haud pauci eorum, qui magnos ſe fingendae iuuentutis chriſtianae artifices eſſe credunt, ne intelligunt quidem, quidnam illi propoſitum eſſe debeat, cuius eſt quaerendo et reſpondendo teneras mentes ad pietatem, diuinaeque ſapientiae cognitionem formare, et in quo officium hominis conſiſtat, qui* Catecheta *iure ſuo vocari vult.*

P. P. in illuſtri Moldano a. d. VI. Septembr. A. R. S. cIↃIↃCCLXVIII.

b) In Inſtitutt. Hiſt. Chriſt. maior. p. 243.

XIII.

PROLVSIO

DE

MALITIOSO LVCIANI CONSILIO RELIGIONEM CHRISTIANAM SCVRRILI DICACITATE VANAM ET RIDICVLAM REDDENDI.

In argumentis perquam grauibus, quibus veritas religionis christianae probè ſtabiliri, et contra pertinaciſſimos eius aduerſarios feliciter defendi poteſt, iure ſuo poni ſolet et hoc, quod a tot inde ſaeculorum aetatibus, in tanta hoſtium eius capitalium et multitudine et diuerſitate, contra omnes omnium infeſtos impetus, malitioſosque inſultus, qui eam, vel aperto Marte, vel actis quaſi cuniculis oppugnatum iuerunt, diuinis opibus ſuffulta et ſubnixa inconcuſſa ſemper et illaeſa perſtitit, tandemque omnium hoſtium victrix triumphauit. Nam, ſi antiquiſſima religionis christianae tempora memoria repetimus, et, quae fata, Eccleſia christiana habuerit, ab originibus inde ſuis ad hanc vſque aetatem noſtram mente, cogitationeque perluſtramus: inueniemus, omnem malitioſam artem, impiamque fraudem, et calliditatem ab ingenii humani perverſitate fuiſſe excogitatam, omnemque machinationem ab animi improbitate adhibitam, conſumtamque in eo, vt religio christiana creſcens adhuc et ſuboleſcens, ne altiùs ſurgeret, ſupprimeretur, eiuſque veluti fibrae eliderentur, aut vires eius, paullulum iam corroboratae, variorum armorum ictu fractae et debilitatae ſenſim, ſenſimque conficerentur.

rentur. Quidquid vel inueteratus, diuturnitateque temporis corroboratus coecae, maleque sanae superstitionis error, vel ingenii acumen, vel doctrinae subtilitas, vel animi malitia, vel dicacitatis acerbitas, vel calumniandi rabies, vel denique exquisita tyrannorum crudelitas ad fundamenta sacro sanctae religionis nostrae labefactanda et conuellenda, penitusque subruenda excogitare et adhibere potuit, id omne fuit, quamquam frustra et irrito conatu, consumtum, adeo, vt, quo infestius premi deprimique videretur, eo laetius exsurgeret, altiusque caput tollens dominaretur latius, et quo plures Christiani pro religionis suae veritate defendenda et confirmanda sanguinem profunderent, eo plures ad doctrinam christianam amplectendam inuitarentur, vt adeo cruor ille caesorum corporum quaedam quasi irrigatio esset nouis plantis, in Ecclesia christiana surgentibus, vti apud THEODORETVM est, Sermon. de Legg. T. IV. p. 613. Edit. SIRMONDI. Grauiter, et historiae ecclesiasticae conuenienter, a) TERTVLLIANVS, *Nec quicquam*, inquit, *proficit exquisitior quaeuis crudelitas vestra: illecebra est magis sectae. Plures efficimur, quoties metimur a vobis: Semen est Sanguis Christianorum*, vbi plura in hanc rem dabit HAVERCAMPVS. Sed pluribus in hanc sententiam disputare hic velle: hominis esset et ingenio, et otio abundantis, putidaeque doctrinulae ostentandae studiosi, cum id multi viri docti peculiaribus docuerint libellis. Neque enim consilium nostrum, quod in hac prolusione scribenda secuti sumus, fuit hoc, vt ostenderemus, quam fortiter se, feliciterque religionis christianae veritas contra armorum vim cruciatusque tyrannorum exquisitos, sed contra alias artes et machinationes, specie quidem minus periculosas, re ipsa tamen armis, omnique cruciatuum genere fortiores, perniciosioresque sit tuita. In variis autem, atque iis perquam malitiosis artibus, quarum ope malitiosa ingenii calliditas, sacro sanctam religionem no-

 stram

a) In Apologet. c. 50.

ſtram deridendam propinare, et in contemptum adducere, vanamque adeo reddere ſtuduit, ponenda etiam eſt *ſcurrulis* iſta LVCIANI *dicacitas*, qua, quod alii neque armorum vi, tormentorumque cruciatibus, neque ingenii, neque doctrinae ſubtilitate, neque contortis ratiunculis, neque improba criminandi libidine efficere potuerunt, id ſe effecturum eſſe ſperabat. Et ſane, ſi vllius hominis dicacis ingenio male ſano ſacroſancta noſtra religio vanitatis ſuſpecta reddi, et in contemptum apud homines leues, et ad iudicandum ſtupidos adduci potuiſſet, id certe hic ſaeerrimus nebulo praeſtiturus erat. Ea olim de iſto homine erat opinio, vt, ſi quid in re graui ridiculum, in ſeria ludicrum, in honeſta denique contumelioſe dictum reperiretur, id ad hunc Samoſatenſem ſcurram, tanquam ad auctorem, et horum foetuum quaſi parentem, referretur. Neque vero vna ratione religionem chriſtianam vanitatis ſuſpectam reddere, riſuique exponere ſtuduit. Nam maledicum iſtum calamum ſuum ſtrinxit vel in ipſum Saluatorem noſtrum, vel in ipſam doctrinam chriſtianam, vel in mores Chriſtianorum et, pro ſuo omnia inſectandi morbo, ea ſcurrili dicacitate exagitare, et in iocum, ludibriumque conuertere conatus eſt. Multa huius improbae et ſcurrilis dicacitatis documenta in variis eius ſcriptis extant, in quibus *Philomantis*, et libellus de *morte Peregrini* ponendus eſt, quae loca cum iam ab aliis ſint animaduerſa et indicata, putidum et ineptum foret, de iis ambitioſe diſputare vel le. Sed praeter ea loca, quae in illis libellis deprehenduntur, quibus ſacroſancta noſtra religio non oblique, ſed aperte, vt ridicula, vanaque perſtringitur et explodiditur, ſunt alia, perquam nefanda et deteſtanda, Viris doctis, quantum nos quidem ſciamus, parum obſeruata, in duobus de *Vera Hiſtoria* libellis, quibus tecte et oblique inprimis ſacroſanctae religionis noſtrae miracula hic vaferrimus literarum ſacrarum interpres vanitatis conuincere, riſuique exponere conatur. Et ſane, ſi quis aduerſariorum

rum oſtendere, demonſtrareque poſſit, (ſed coelum prius ruat, quam hoc quiſquam demonſtret,) miracula, pro confirmanda, ſtabiliendaque religionis noſtrae veritate diuinitus facta, eſſe ficta et vana: palmarium, vnumque e graviſſimis pro religionis chriſtianae demonſtranda veritate argumentis nobis eriperetur. Profecto, niſi haec miracula diuina certiſſimis ſignis, notiſque haud fallacibus inſignita eſſent: non tam ſtabilis eorum permanſiſſet opinio, nec diuturnitate temporis confirmata fuiſſet, nec vna, cum tot ſaeculis, aetatibusque hominum inueteraſcere potuiſſet. Videmus enim, omnes de aliqua re opiniones fictas atque vanas diuturnitate temporis extabuiſſe. Neque vero religionis noſtrae aduerſarii tam hebetis ingenii ſunt, quin intelligant, ſi miracula diuina, confirmandae religioni chriſtianae facta, ſuſpecta reddere, vanitatisque coarguere poſſint, firmiſſima ſacroſanctae religionis noſtrae fundamenta concuſſum iri. Nam SPINOZA, vt hoc iam vno vtamur, teſte b) BAYLIO, confeſſus eſt, ſi ſibi, non ad opinionem ſolum, ſed ad veritatem plane, perſuadere poſſet, Lazarum e morte in vitam fuiſſe reuocatum, ſe ipſum totum iſtud ſyſtema ſuum eſſe deſtructurum, doctrinamque chriſtianam lubentiſſime amplexurum. Tantam vim ipſi aduerſarii infenſiſſimi miraculis, pro veritate religionis chriſtianae ſtabilienda factis, ineſſe arbitrantur! Quod quam vis dilucide cognoſcant, hancque opinionem de vi miraculorum diuinorum animis ſuis quodammodo inſitam, vel potius innatam ſentiant: tamen, antecaptarum opinionum veluti nebula occoecati et obnubilati coecutire, quam grauiſſimis hiſtoriae teſtibus fidem adhibere malunt. Quidquid igitur in iis ingenii, acuminis, calliditatis, doctrinaeque fuit, id omne ad vim miraculorum infringendam contulerunt, omnesque, ſed ratione diuerſa, laborandum ſibi putarunt in eo, vt aliis perſuaſum cuperent, miraculorum Chriſti, eiuſque legatorum non eam vim, rationemque

 eſſe,

b) In Lexic. Hiſtorico Critico v. Spinoza not. R.

esse, vt in numero argumentorum pro veritate religionis christianae poni, haberique possent. Alii enim impudenter et malitiose talia miracula vnquam facta negarunt, et in mere fictis, vanisque fabulis habenda esse contenderunt. In quorum numero famigeratissimum istum TINDALIVM fuisse constat, qui non erubuit effutire haec: *miracula non nisi stultorum sunt.* Alii autem v. c. CELSVS, PORPHYRIVS, et IAMBLICHVS de disciplina recentiorum Platonicorum, ipsis rerum documentis, scriptorumque sacrorum fide, quae, vt in aliis, ita in his rebus historicis plurimum valere debet, coacti, concesserunt illi quidem, miracula a Salvatore nostro, eiusque legatis fuisse facta, sed quam vim ad religionis christianae veritatem stabiliendam tribuere iis Christiani soleant, eam non inesse, cum eiusmodi miracula a multis aliis etiam, PYTHAGORA v. c. APOLLONIO THYANAEO fuerint c) facta. Neque aliam rationem, divinorum miraculorum vim infringendi, excogitare potuit infelix iste Imperator IVLIANVS, quam hanc, vt diceret, vel potius somniaret, *rem esse mediocris facultatis, claudo firmitatem pedum, coeco visum* d) *restituere.* Alii in hac re aliter. LVCIANVS igitur cum intellexisset, haec omnia, quae contra miracula, aliaque sacrosanctae religionis nostrae capita essent disputata, nullam habere vim ad reddendam eam vanitatis suspectam: putabat, se omnium commodissime et facillime diuina miracula vanitatis convincere, et in contemptum adducere posse, si ea scurrili ista sua dicacitate perstringeret, deridendaque omnibus propinaret, multos alios nostra aetate, et in his MORGANIVM, male sanos sequaces nactus. Neque enim ignorabat iste scurra Samosatensis, (et vtinam hodierni religionis christianae hostes non nossent!) eiusmodi scurrilem dicacitatem in animis plerorumque hominum, aut imbecillitate

c) V. Lactantius Institutt. diuin. V, 3.

d) V. Cyrillus c. Iulianum VI. p. 192.

te iudicii laborantium, aut animi malitia corruptorum, maiorem habere vim, quam rationes grauiſſimae ſoleant. In quo quidem non eſt, quod magnopere miremur. Nam ingenium humanum iocoſa fere, ſaepius etiam inſulſa amare ſolet, magisque delectatur ridiculis, quam ſeriis grauibusque rebus, non niſi magno ſtudio, acrique attentione percipiendis et diiudicandis. Plerique vel pro ingenii tarditate nolunt, vel pro iudicii imbecillitate non poſſunt perſpicere et iudicare, grauia alicuius rei argumenta ſint, an leuia et vana: iocoſo vel ridiculo potius capiuntur, et ſi quid ſcurrili dicacitate exagitari vel audiant, vel legant: tum vero mirifice tanguntur, dulcique voluptatis ſenſu permouentur, nihil penſi habentes, quae res, quo iure deridenda propinetur, in contemptumque adducatur. Et quam aliam, quam hanc, cauſſam eſſe dicamus, quod multi noſtra aetate, hactenus miſera et infelici, ſcriptiunculas VOLTARII, HVMII, aliosque huius furfuris libellos, quorum peſtifera multitudine, vti olim Aegyptus locuſtarum peſte, ita nunc Eccleſia chriſtiana inundata affligitur, tam inſane emant, emtosque tam ſtudioſe legant? Nam ſcurrilibus iſtis religionis chriſtianae deriſoribus nihil vnquam tam graue, nihil tam ſanctum, nihil tam dignum veneratione fuit, quin iſtud dicacitatis ſuae ſcurrilis quaſi venenum in id euomerent, modo riſum aliis mouerent, ipſamque religionem chriſtianam vanitatis redderent ſuſpectam. Vix dici poteſt, quam pernicioſum hoc ſcurrile et maledicum ſcribendi genus ſit, et quam mortifero veneno multorum animos, huc vſque integros, prauarumque opinionum rudes, infectos corrumpat. Multi enim, praeſertim qui ingenii paullo hebetioris, et ad iudicandum minus acuti ſunt, flumine inanium verborum quaſi auferuntur, et acumine ſententiolarum conturbantur, ſaepiſſimeque ab eiuſmodi homine, impie dicaculo, non tam faceto, quam ad ſcribendi, irridendique licentiam libero, miſere decepti luduntur. Haec impia dicteria in miracula diuina,

ſcriptis, vocibusque iſtorum dicaculorum fuſa eo grauius incautos animos vulnerare ſolent, quo maior ineſt orationis ſuauitas, cuius illecebris et veluti veneficiis allicere alios, et capere ſtudent. Hac autem ſcurrili et impia dicacitate ii fere ablati corrumpuntur, qui, cum parum, aut nihil videant, tamen multum ſibi ſapere videntur: qui autem paullo emunctioris naris, iudiciique acrioris ſunt, his dicaculis idem dicunt, quod apud e) CICERONEM Balbus Velleio, Epicureo: *Salem iſtum, quo caret veſtra natio, irridendis nobis* (miraculis diuinis) *nolite conſumere: et mehercule, ſi nos audiatis, ne experiamini: Non decet: non datum eſt: non poteſtis.* Neque vero eſt, quod iſti hodierni religionis chriſtianae, miraculorumque diuinorum deriſores ſacerrimi (in quibus VOLTARIVS praecipue cum aliis, tum peſtilentiſſimo iſto ſuo libello, *La Pucelle d'Orleans* inſcripto, ad Gyaras, vel ad carnificem potius, et infelicem rogum amandando, ponendus eſt,) mirifice ſibi placeant, quaſi inuentores, et auctores iſtius ſcurrilis, deteſtandique artificii ſint cenſendi. Multum fallimini, o boni! Huius praeclari, ſcilicet! artificii laus egregia debetur communi veſtro doctori, LVCIANO, quo vos diſcipuli, et γνησιώτατα τότε τῦ πατρὸς παιδία, vti felicitate ingenii, acumine iudicii, doctrinae varietate, ſcribendi venuſtate, addo etiam morum probitate, multum inferiores, ita impudentia, malitia, impietateque multo ſuperiores habendi eſtis. Hic LVCIANVS eſt, qui cum in aliis libellis, tum in *Veris Hiſtoriis* cum alia doctrinae chriſtianae capita, tum miracula diuina inprimis iſta ſcurrili dicacitate ſua perſtringere, et ridicula, vanaque reddere conatus eſt. Cum autem hoc tempore, quo memoria illuſtris Moldani, ante hos CCXIX annos aperti et conſtituti grata, piaque mente recolenda eſt, de more recepto Commentatiunculae quid ſcribendum ſit: rem ſuſcepturos nos eſſe putauimus, neque a muneris noſtri profeſſione alienam, neque

e) De Natur. Deor. II, 29.

que forte lectione ſtudioſorum harum literarum indignam, ſi ex illis *Veris Hiſtoriis* quaedam loca, Viris doctis, quantum quidem nos ſciamus, parum obſeruata, in hac Proluſione per tranſennam quaſi ſpectanda exhiberemus.

Quemadmodum in vniuerſum duo illi de *Vera Hiſtoria* libelli f) eo conſilio a LVCIANO ſcripti ſunt, vt acri ſale perfricaret veteres hiſtoricos, qui, legum hiſtoriae ſcribendae, fideique hiſtoricae parum curioſi, non niſi delectare Lectores, et in admirationem, ſtuporemque miraculis, portentisque narrationum rapere ſtuduerunt: ita ſacerrimus iſte nebulo maledicum iſtum calamum ſuum etiam ſtrinxit in hiſtoricos ſacros, quorum miniſterio Deus in conſignandis literarum ſacrarum monimentis vſus eſt, et cum alia doctrinae chriſtianae capita, tum miracula diuina iſta ſcurrili dicacitate ſua explodere, irriſuique exponere ſtuduit. E multis locis vnum et item alterum huic rei confirmandae afferamus g). Deſcribit fictum illud iter ſuum maritimum, et inter alia miraculoſa, quae ibi videndo et audiendo cognouerit, ridicule refert et haec: Ἡμεῖς δύο μόνας ἡμέρας ἐν ὕδατι πλεύσαντες τῆς τρίτης ὑποφαινούσης πρὸς ἀνιόντα τὸν ἥλιον ἄφνω ὁρῶμεν θηρία καὶ κήτη πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα, ΕΝ ΔΕ ΜΕΓΙΣΤΟΝ ΑΠΑΝΤΩΝ, ὅσον τριάκοντα χιλίων καὶ πεντακοσίων τὸ μέγεθος· ἐπῄει δὲ κεχηνὸς καὶ πρὸ πολλοῦ ταράττον τὴν θάλατταν, ἀφρῷ δὲ περικλυζόμενον, καὶ τοὺς ὀδόντας ἐκφαῖνον, πολὺ τῶν παρ' ὑμῶν φαλλῶν ὑψηλοτέρους, ὀξεῖς δὲ πάντας ὥσπερ σκόλοπας, καὶ λευκοὺς ὥσπερ ἐλεφαντίνους. Ἡμεῖς μὲν τὸ ὕστατον ἀλλήλους προσειπόντες

f) Hoc conſilium ſuum ipſe nobis diſertis verbis aperit Lib. I. V. H. §. 2. p. 7. et p. 73. vbi dicit: *Scribo, de quibus neque vidi, neque expertus ſum, neque audiui ab aliis; adhaec quae neque ſunt, neque fieri omnino poſſunt. Nullo modo igitur fidem adhiberi illis par eſt, ſi qui lectores mihi contigerint.*

g) Lib. I. V. H. T. II. p. 94. ſqq. Edit. REITZII.

τες καὶ περιβάλλοντες ἐμμένομεν· τὸ δὲ ἤδη παρῆν, καὶ ἀναῤῥοφῆσαν ἡμᾶς ἀυτῇ νηῒ κατέπιεν· ἃ μέντοι ἔφθη συναῤῥάξαι τοῖς ὀδοῦσιν, ἀλλὰ τῶν ἀραιωμάτων ἡ ναῦς εἰς τὸ ἔσω διεξέπεσεν. Non pigebit, adiungere interpretationem latinam, quam multi forte lubentius legant, facilius certe intelligant. *Nos duo tantum dies in mari cum nauigaſſemus, illuceſcente tertio ad orientem ſolem ſubito videmus belluas ac CETOS, multos quidem etiam alios, VNVM vero OMNIVM MAXIMVM mille et quinquentorum ſtadiorum magnitudine; contra nos autem veniebat hians et longe ante ſe mare perturbans, ſpuma vndique allidente, dentes exſerens, multum phallis apud nos excelſiores, palorum inſtar omnes acutos, et eboris in modum candidos. Nos igitur vltimum allocuti et complexi nos inuicem, expectare: at ille iam adeſt, et abſorbens nos ipſa cum naue haurit. Neque tamen dentibus nos ſtatim comminuit, ſed per interſtitia eorum nauis illapſa eſt.* Huius ceti vaſtam molem deſcribit p. 95. §. 31. vbi inter alia dicit, ſpecum alui latum vndique, et altum ſatis capacem fuiſſe, vt decies mille hominum in eo habitare poſſent. Et non multo poſt (ſub init. Lib. II. p. 104. ſqq.) ridicule narrat, quomodo ex aluo ceti, igne deleti, per illius maxillares, ingentibus trabibus diſcuneatos, vna cum ſociis ſaluus et incolumis exierit. Hic vero neminem tam parum acutum puto, quin, ſi haec paullo curioſius legerit, ipſe videat, Samoſatenſem iſtum ſcurram ſtupendum illud miraculum, diuina vi factum, quo [h]) Ionas in mare coniectus, et ab horrendo balaenae rictu exceptus, inque viſceribus illius quaſi ſepultus, in profundo maris, quouis momento de vita ſua ſollicitus, huc illuc fuerit iactatus, et tertio demum die ſaluus, incolumisque ex ipſius aluo terrae redditus, ſcurriliter irridere, mordacique ſtilo perſtringere. Quo quidem miraculo quid Deus ſignificatum

h) Ionae 2, 1 ſqq. Cf. Ioſephus Lib. IX. Antiquitatt. 10, 2.

tum voluerit, Chriſtus ipſe i) docet. LVCIANVS autem, quoniam iſtius miraculi rationem non modo comprehendere animo, ſed ne ſuſpicione quidem attingere potuit, id totum irriſit. Quam bellum erat, confiteri potius quod neſcires, quam iſta effutientem nauſeare! Neque vero eſt, quod quis dicat, hoc miraculum, in Iona diuinitus factum, nimis a Gentilium cognitione remotum fuiſſe, quam quod ad LVCIANI notitiam legendo, aut fando peruenire poſſet. Nam vti omnes fere res, paullo grauiores inprimis, et admirationi commouendae idoneae, quae in populo Iudaico olim accidiſſent, fama et rumore ad Gentiles, quamquam craſſiſſimorum errorum, mendaciorumque impudentiſſimorum vanitate contaminatae et corruptae, k) peruenerunt: ita nec huius miraculi, in Iona diuinitus editi, hiſtoria iis ignota fuit, cum, quod literae ſacrae de Iona prodiderunt, id Graeculi iſti Herculi ſuo tribuerint, quippe ad quem ab antiquis referri ſolebat, quidquid vbique magnum, admirabile, et portentoſum accidiſſet, quo magnificentior et illuſtrior redderetur. Non ignotum autem hoc in Iona editum miraculum Gentilibus fuiſſe, vel hi LYCOPHRONIS in Caſſandra verſus 34—38, Viris doctis non ignoti, docent:

Τριεσπέρου λεοντὸς, ὃν ποτε γναθοις
Τρίτωνος ἡμάλαψε κάρχαρος κύων
Ἔμπνους δὲ δαιτὸς ἡπάτων φλοιδώμενος
Τριθῶ λέβητος, ἀφλόγοις ἐπ' ἐσχάραις
Σμήραγγας ἑστάλαξε κωδείας πεδω.
Triueſperi leonis, olim quem ſuis
Malis vorauit ſaeui Tritonis canis
Cum viuus intra, ceu coquus verſans iecur
Imo lebetis in fine ignibus foco
Sudore totum per caput madeſceret,

vbi

i) Matth. 12, 40.
k) Vid. HVETII Quaeſt. Alnetan. Lib. II. c. 12. Cf. VOSSIVS de Idololatr. I, 26. et II, 15.

vbi Enarrator Graecus, Iſacius TZETZES ſcribit, Herculem ea de cauſſa Τριέσπερον λέοντα vocari, διὰ τὸ ἐν τῷ κήτει τρεῖς ἡμέρας ποιῆσαι, *quia tres dies intra cetum commoratus ſit.* [1]) THEOPHYLACTVS: *Deuoratur a ceto Ionas, tresque dies ac totidem noctes in eo permanet vates: quae res omnem excedere fidem audientibus videtur, maxime iis, qui e Graecorum ſcholis, ſapienteque doctrina ad hanc hiſtoriam accedunt. Quas equidem ſatis mirari non poſſum, qui fiat, quod haec non intelligant, cum ſuis ipſorum alis capiantur. Apud ipſos enim nonnihil tale de Hercule narratur, nempe quod ipſe a balaena deuoratus incolumis remanſerit, niſi quod tantum depilatus redierit, idque ob ingenitum et internum belluae calorem. Aut igitur noſtra ſuſcipiant, aut ſua reiiciant.* Alia in hanc rem loca ſuppeditabunt [m]) VOSSIVS et [n]) GROTIVS.

Lib. II. V. H. p. 107. refert, ſe inter nauigandum vidiſſe multos homines, per mare pedibus ſine vllo metu et periculo iter facientes: Τῇ ὁγδόῃ ἡμέρᾳ πλέοντες ἐν ἁλμυρῷ καὶ κυανῷ ὕδατι καθορῶμεν ἀνθρώπους πολλοὺς, ἐπὶ πελάγους διαθέοντας, ἅπαντα ἡμῖν προσεοικότας, καὶ τὰ σώματα καὶ τα μεγέθη, πλὴν μόνον τῶν ποδῶν· ταῦτα γὰρ φέλλινα εἶχον· ἀφ' ὧν δὴ, οἶμαι, καὶ ἐκαλοῦντο φελλόποδες. Ἐθαυμάζομεν δὲ ἰδόντες, βαπτιζομένους, ἀλλ' ὑπερέχοντας τῶν κυμάτων, καὶ ἀδεῶς ὁδοιποροῦντας. *Octauo die nauigantes ſalſo mari et caeruleo videmus homines multos per mare currentes, omni ex parte nobis ſimiles, corporibus et ſtatura, pedibus ſolis exceptis, hos enim habent e ſubere, a quo etiam appellantur, puto, Phellopodes (Suberipedes). Mirabamur igitur, cum videremus, illos non mergi, ſed eminentes ſuper fluctus*

1) Ad Ionae c. 2. p. 685. Edit. Phil. Montani, Baſil. 1570. Fol.

m) De Idololatr. II, 15.

n) De Verit. Rel. Chriſt. II, 12.

Eius, ac fine metu viam facere. Quis adeo luſcus ſit, quin videat, hac fictione ſcurrili maledicentiſſimum iſtum ſcurram irriſiſſe, et in anilibus fabulis poſuiſſe o) veriſſimum illud miraculum Chriſti, quo Petrum iuſſit pedibus per mare incedere, et ad ſe venire? Iſti homini, coecae ſuperſtitionis tenebris obducto, et ad omnia, quae mentis humanae vim excedunt, irridenda et illudenda effuſo, in anilibus, explodendisque fabulis numerandum videbatur, quod ſcriptor diuinus de hac re tradidit. Nos autem, luce diuinarum literarum coliuſtrati, venerabundi et hic agnoſcimus illuſtre quoddam diuinitatis Chriſti documentum, cum hoc miraculo diuinam illam ſuam potentiam luculentiſſime declarauerit, qua plura, et maiora, quam pro noſtra mentis humanae imbecillitate, praeſtare et efficere poteſt. Nam, vt iam GROTIO ad h. l. MATTHAEI adnotatum eſt, in ſacris literis cum alibi, tum Iobi 9, 8. omnipotentia Dei ita praedicatur et illuſtratur, vt dicatur *ὁ περιπατῶν, ὡς ἐπὶ ἐδάφους, ἐπὶ θαλάσσης.*

Lib. I. V. H. p. 77 ſqq. inter alia miranda et ſtupenda quae vidiſſe, cognouiſſeque ſe fingit eo tempore, quo in Luna vna cum ſociis ſuis commoratus fuerit, ridicula et ſcurrili ratione deſcribit bellum, in quo ſuas ipſe quoque partes egerit, quod acerrime, infeſtisque et animis, et armis inter *Phaëthontem*, Regem incolarum *Solis*, et *Endymionem*, Regem incolarum *Lunae*, ea de cauſſa geſtum eſſe ſomniat, quod hic, Phaëthonte inuito, collectis imperii ſui tenuiſſimis, coloniam in *Luciferum* mittere voluerit, huiusque belli, capitali odio vtrinque geſti, exitum fuiſſe narrat hunc, vt *Endymion* ſagittis inprimis *Nephelocentaurorum* h. e. animalium ex equis alatis, et hominibus compoſitorum (qua figura malitioſe *Cherubinos*, quorum deſcriptio EZECHIELIS 1, 10. et 10, 14. eſt, irridet,) victus et fugatus, miſſa legatione pacem petere, et tributum

o) Matth. 14, 28 ſqq.

tum quotannis pendere *Phaëthonti* cogeretur. Quodſi quis totam hanc fictionem, non copioſe magis, quam ridicule et inſulſe factam, paullo attentius, curioſiusque legerit: ei extemplo ſuſpicio non vana, neque fallax ſuborietur, LVCIANVM in tota hac fabula fingenda nihil aliud ſecutum eſſe, quam vt irridendam propinaret ſacrae ſcripturae narrationem de pugna in coelo inter *Michaëlem*, eiusque Angelos, et *Satanam*, eiusque ſocios commiſſa, de qua eſt Apocalypſ. 12, 7 ſqq. Non vacat, neque lubet ipſum LVCIANI locum, paullo ampliorem, huc transferre. Sed ſi quis eum non oſcitanter legerit: ſententiae noſtrae ſubſcribendum putabit.

Magnifica eſt, et ad animi voluptatem dulciſſimam perquam iucunda deſcriptio feliciſſimae illius in vita aeterna ſedis beatorum, cuius admirandam ſane, mirificeque capientem ſpeciem, D. IOANNI oblatam, adumbratam invenimus Apocalypſ. 21, 10 ſqq. In quo quidem admirari, venerarique fas eſt immenſam illam ſapientiam, et *συγκατάβασιν* diuinam, quae in ſumma futurae illius vitae felicitate declaranda, neque humanae mentis anguſtiis comprehendenda, neque vllius orationis vi ſuſtinenda, vſa eſt imaginibus, quas perquam magnam vim habere et ſcimus, et ſentimus ad animos hominum ſuauiter demulcendos, atque capiendos. Nam, vt hoc vno iam vtamur, quid magnificentius, quid praeſtantius, quid ad delectandum ſuauius et dulcius fingi animo, excogitarique poſſit, hac ipſa deſcriptione, qua l. c. Deus futurae illius vrbis, nouae Hieroſolymae, beatorum ſedis, amoenitatem, magnificentiamque adumbrauit? Tradit ſcriptor diuinus, oblatam ſibi fuiſſe ſpeciem nouae vrbis, Hieroſolymae ſanctae, deſcendentis de coelo, ex auro puriſſimo exſtructae, eo effulgentis ſplendore, quem Deus ei dederit, in qua lux ea claritate exſplenduerit, vt ſplendorem puriſſimum cuiusdam Iaſpidis referret, murumque habuerit et ambitu,

ambitu, et altitudine ingentem, portas duodecim, fundamentaque e pretiosissimis lapidibus, Iaspide, Saphiro, Chalcedone, Smaragdo etc. facta. Haec futurae illius felicitatis, siue beatitas, siue beatitudo dicenda est, adumbratio, a IOANNE diuinitus facta, et ab iis rebus terrenis ducta, quae perquam aptae et efficaces sunt ad hominum sensus feriendos, animosque capiendos, quo spectet, quid vere credentibus in Christum ad finem vsque vitae ostendat, certissimeque promittat, vnusquisque lectorum, paullo curiosorum, luceque diuinarum literarum collustratorum videt. Dicaculus scurra autem Samosatenus, qui huius rei descriptionem siue legendo, siue fando cognouerit, infaustum illud ingenium suum eo contulit, vt eam ridiculam vanam, et de fide suspectam redderet. Quod quo sui similibus, h. e. historiae sacrae, omninoque religionis christianae derisoribus, facilius persuaderet, fingit, (Lib. II. V. H. p. 109 sqq.) se in ista nauigatione sua vna cum sociis delatum ad insulam beatorum, et (quemadmodum IOANNES l. c. ab vno septem Angelorum) ita ipsum a praesidiariis, litorisque custodibus deductum fuisse ad Rhadamanthum, illius insulae Regem. In hac autem fictione, quam, vt alias, in fabularum, mendaciorumque numero haberi ipse vult, (sub init. Lib. I. H. V.) mirum nemini videatur, vnum et item alterum occurrere, quod a descriptione Ioannea futurae illius beatorum sedis discrepare et abhorrere videatur. Qui enim historicos sacros, et profanos, vnam, eandemque rem tradentes, paullo diligentius inter se contenderunt, ii ignorare non possunt, hos, siue ignorantia rei verae, non nisi fama, saepissime perquam fallaci, cognitae, deceptos, siue mentiendi, cauillandique studio commotos, historiam sacram saepissime anilibus et pudendis commentis, fabulisque deturpasse atque corrupisse. Sed, age, ipsius LVCIANI scurrilem dicacitatem in hac re videamus. Hic cum (Lib. II. V. H. p. 107 sqq.) narrasset, se cum nauigationis sociis ad insulam quandam fuisse delatum, in qua

 suauis

ſuauis quaedam et odora nares adflarit aura, qualem HERODOTVS hiſtoricus tradat a felici Arabia ſpirare, in qua portus multi circumcirca tuti a fluctibus, et ſpatioſi, pellucida flumina placide exeuntia in mare, prata, ſyluae, cantrices aues, aër leuis, molliterque ſpirans, et aurae quaedam ſuaues, leni flatu ſyluam motantes, fuerint, ita pergit: Προϊόντες διὰ λειμῶνος ἐνανθῆντος ἐντυγχάνομεν τοῖς Φερεφόνης καὶ περιπόλοις· οἱ δὲ δήσαντες ἡμᾶς ἑρόδινοις, ἅτος γὰρ μέγιστος παρ' αὐτοῖς δεσμός ἐστιν, ἀπῆγον ὡς τὸν ἄρχοντα, παρ' ὧν δὴ καθ' ὁδὸν ἠκούσαμεν ὡς ἡ μὲν νῆσος εἴη τῶν Μακάρων προσαγορευομένων, ἄρχοι δὲ ὁ Κρῆς Ῥαδάμανθος, καὶ δὴ ἀναχθέντες πρὸς αὐτὸν ἐν τάξει τῶν δικαζομένων ἔστημεν. *Progreſſi per pratum floridum in praeſidiarios, litorisque cuſtodes incidimus, qui roſeis nos vinctos coronis, duriſſimum hoc apud illos vinculum eſt, ad principem deduxere, a quibus in via audiuimus, hanc eſſe beatorum, vt vocantur, inſulam, imperare autem in ea Rhadamanthum. Iam deducti ad illum ſtetimus in ſerie eorum, qui iudicandi erant.* Et mox vrbem, in quam vna cum ſociis ad beatorum conuiuium deductum ſe fingit, ita deſcribit: Αὐτη ἡ πόλις πᾶσα χρυσῆ, τὸ δὲ τεῖχος περίκειται σμαράγδινον. Πύλαι δέ εἰσιν ἑπτὰ πᾶσαι μονόξυλοι κινναμώμινοι· τὸ μέντοι ἔδαφος τῆς πόλεως, καὶ ἡ ἐντὸς τῶ τείχως γῆ, ἐλεφαντίνη κ. τ. λ. *Haec vrbs tota eſt aurea, moenia circumpoſita ſmaragdina: portae ſeptem ex vno ſingulae trunco elaboratae cinnamominae: ſolum vrbis, quodque intra muros terrae eſt, eburneum* etc. Haec et ſequentia ſi contenderis cum iis, quae l. c. Apocalypſ. narrantur, quam ſimillima eſſe deprehendes, ita, vt ad illum locum dicaciter et ſcurriliter alluſiſſe LVCIANVS dicendus ſit: quod et enarrator Graecus animadvertit, qui ad haec LVCIANI verba, Αὐτη μὲν ἡ πόλις, commentatur ita: Εἰς τὰς καθ' ἡμᾶς ὁ γόης ἔοικεν ἁγίας προφήτας διαπαίζειν, ἐφ' οἷς ἅτοι περὶ τῆς Ἱερουσαλὴμ ἐν ἐσχάταις ἡμέραις συνενεχθῆναι ἀλληγορικῶς διεξῆλθον: quod

quod ſcholion, in REITZII Editione, auctore MOS. SOLANO ſuo loco reſtitutum, ſi CLERICVS, in prioribus Editt. inepte, minusque commode poſitum fuiſſe, perſpexiſſet: ſuperſedere poterat iſta nota ſua cenſoria, (T. I. p. 31. Edit. Graeuianae,) qua Scholiaſten erroris arguit, vt ipſe haberet, quo criticam ſuam, nimis ſaepe infelicem, exerceret, nobiſque ſuae aliquid animaduerſionis impertire poſſet.

Iam naturam Spirituum in coelo, rationemque corporum coeleſtium, quibus beati, aliquando exornabuntur, vide mihi, quam ridicule et ſcurriliter Lib. H. V. H. p. 111. ſq. deſcribat: Ἐσθῆτι χρῶνται ἀραχνίοις λεπτοῖς, ποικίλοις· αὐτοὶ δὲ σώματα μὲν οὐκ ἔχουσιν ἀλλ' ἀναφεῖς καὶ ἀσαρκοί εἰσι, μορφὴν δὲ καὶ ἰδέαν μόνον ἐμφαίνουσι· καὶ ἀσώματοι ὄντες ὁμως ὧν ἐτιᾶσι, καὶ κινοῦνται, καὶ φρονοῦσι, καὶ φωνὴν ἀφιᾶσι· καὶ ὅλως ἔοικε γυμνή τις ἡ ψυχὴ αὐτῶν περιπολεῖν. τὴν τοῦ σώματος ὁμοιότητα περικειμένη. Εἰ γοῦν μὴ ἅψαιτό τις, οὐκ ἂν ἐλέγξειε μὴ εἶναι σῶμα τὸ ὁρώμενον· εἰσὶ γὰρ ὥσπερ σκιαὶ ὀρθαὶ καὶ μέλαιναι. Γηράσκει δὲ οὐδείς, ἀλλ' ἐφ' ἧς ἡλικίας ἔλθῃ, παραμένει· καὶ μὴν οὐδὲ νὺξ παρ' αὐτοῖς γίγνεται, οὐδ' ἡμέρα πάνυ λαμπρὰ κ. τ. λ. *In veſtitu vtuntur aranearum telis tenuibus purpureis. Corpora ipſi non habent, ſed tactum effugiunt, carnis experies, figuram ſolum et ſpeciem oſtendunt; ac licet corpora non habeant, tamen ſtant, mouentur, ſapiunt, vocem emittunt. Et omnino videtur nuda quodammodo anima illorum obverſari, ſimilitudinem quandam inducta corporis. Niſi enim tetigerit aliquis, non conuincatur corpus non eſſe id, quod videt: ſunt enim quaſi vmbrae erectae, non nigrae. Seneſcit nemo; ſed qua aetate huc venerit, ea manet. Verum neque nox apud illos eſt, neque dies plane clara* etc. Haec ſi contuleris cum S. S. locis Luc. 24, 39. 1 Cor. 15, 42. ſqq. Philipp. 3, 21. etc. facile intelliges, quid

ſibi iſte impiè dicax cum hac beatorum ſuorum ficto-rum fictione voluerit.

Alia loca in his duobus *Verae Hiſtoriae* libellis ſunt, quibus iſte ſcurra res, in ſacris literis traditas, ridi-culas, vanasque reddere ſtudet: ſed cùm longiores, quàm pro huius Proluſionis finibus, futuri eſſemus, ſi omnia et ſingula excutere, et, cum puluiſculo, quaſi, euerrere vellemus; haec in hanc rem attuliſſe ſufficiat.

P. P. in Illuſtri Moldano a. d. III. Septembr. A.R.S. cIↃIↃccLXIX.

XIIII. PRO-

XIIII.

PROLVSIO

DE

ARGVMENTIS PRO VERITATE ET PRAESTANTIA RELIGIONIS CHRISTIANAE E IVLIANI RELIQVIIS.

Cum veritas in vniuerſum habet hoc, vt contra hominum ingenia, calliditatem, ſollertiam, et contra fictas omnium inſidias, calumniasque impudentiſſimas facile ſeſe, ſuis ipſius viribus ſuffulta, defendat ac tueatur: tum veritatis Religionis chriſtianae ea ratio, ea vis eſt, vt, quamuis infeſte et hoſtiliter partim aperto Marte, partim actis veluti cuniculis impugnata, non ſolum inconcuſſa perſiſtat, ſed ſaepe etiam vel infenſiſſimis adverſariis aſſenſum ſui non tam eliciat, quam extorqueat, inuitisque interdum graue et honorificum exprimat teſtimonium. Haec enim Religio noſtra omnes veritatis numeros in ſe habet, et multis, iisque illuſtriſſimis diuinitatis, praeſtantiaeque eximiae notis inſignita exſplendeſcit, quae animos hominum, vel ſanae rationis vſu non priuatorum, vel praefractae mentis malitia non penitus induratorum, tam acriter feriunt, vt, niſi ad omnem veri ſenſum obduruerint, eas vel inuiti animaduertere et agnoſcere cogantur. Et quamquam ſacroſancta Religio noſtra ſaepe in tot, tamque perſpicuis, nec vnquam fallacibus diuinitatis, praeſtantiaeque notis impreſſis a multis, vel craſſae ignorantiae, errorumque coecitate captis, vel inueterata deprauati animi contumacia compulſis, vel vana gloriola

acuti scilicet! ingenii ostentandi deceptis, contempta, ludibrio exposita et cum scurrilibus dictis, tum pestiferis libellis saepe impugnata est: tamen non raro et fando, et legendo cognouimus, hos ipsos veritatis et praestantiae Religionis christianae hostes vel erroris impietate agnita, vel animi malitia exuta, vel insano isto irridendi, conuiciandique furore reflincto, vel denique acerrimis conscientiae stimulis tactos, ipsiusque veritatis viribus compulsos eam diuinam, atque vnice veram agnouisse, adeo vt in ea vna viuendum, pro hac vna vel vitam ipsam profundendam sibi arbitrarentur. Ipse Iulianus ille Apostata, quo haud scio an Religio christiana vnquam hostem habuerit, vti specie et simulatione leniorem, ita consiliis et factis capitaliorem, hic igitur Iulianus hinc inde in scriptis suis, quorum quaedam veluti tabulae e naufragio conseruatae ad nos peruenerunt, ostendit, se inuitum fuisse coactum, vnum et item alterum argumentum pro veritate et praestantia huius Religionis praebere. Huic sane Imperatori, vt non pauca consiliorum, rei christianae perniciosissimorum, adiumenta et praesidia, ita etiam non leuia incitamenta ad Religionis christianae fundamenta et subruenda, et euertenda suppetebant. Nam a primis inde aetatis annis imbiberat sophistica quaedam, a malitiosi animi calliditate contra Religionem christianam excogitata, consilia, confirmata postea a Sophista Libanio, et Maximo Ephesio, Philosopho Cynico, a quo vna cum coecae superstitionis amore odium sacrosanctae Religionis nostrae hausit. Hoc Iuliani odium in hanc Religionem, et Christianos ipsos hac de causa eo acerbius, reique christianae periculosius erat, quod et omnem Christianorum conditionem et statum perspectum habebat, et olim mysteria fidei nostrae cum institutione, tum lectione sacrarum literarum cognouerat. Nam, vt recte obseruat *Iac. Godofredus*, (in Orat. *Iuliani* inscripta,) ita fere accidere solet, vt, quo propius a quoquam veritas cognita est, eo acriores haec ipsa cognitio

cognitio poſtea ſtimulos deſertori et transfugae admoueat, capitalioremque habeat hoſtem. Hic Iulianus, quamdiu Religionem chriſtianam non pectore, ſed ore, non animi perſuaſione inductus, ſed metu *Conſtantii* coactus profeſſus eſt, quamuis ſinceri Chriſtiani ſpeciem prae ſe ferret: tamen non niſi callidiſſimi hypocritae perſona indutus aliorum animos minus cautos decepit, adeo, vt in hac quidem re illi idem iure exprobrari poſſit, quod a) ipſe aliquo loco Dionyſio, neſcio cui, his verbis exprobrat: *Quamuis multa dicas: nemini tamen vnquam perſuadebis, te eum non fuiſſe, qui fueris, et qualem te permulti iam dudum norant.* Nam huius ſimulati, et non niſi ad ſpeciem, hominum oculis, animisque decipiendis aptam, obſeruati veri Dei cultus ſuſpicio cum aliorum, tum fratris, Galli, inprimis animum iam dudum tetigerat, qui in b) quadam ad eum Epiſtola inter caetera haec: *Ad aures meas peruenit, te, eiurata priori religione, quam a maioribus accepiſti, ad vanam ſuperſtitionem deflexiſſe, impetu quodam, prauoque conſilio abreptum.* Poſteaquam vero, Conſtantio in ipſis apparatibus, et initiis belli, contra hunc Apoſtatam ſuſcipiendi, mortuo, ad Imperatoris faſtigium euectus erat: tum vero, Religione chriſtiana, auctore inprimis *Maximo Epheſio*, eiurata, et iſta ſimulationis, diſſimulationiſque larua abiecta, verum ſe Iulianum, h. e. verae religionis infenſiſſimum, et maledicentiſſimum hoſtem, palam oſtendit. Nam *Iulianus*, auctore c) *Cyrillo*, *ita ſe male-*

a) Epiſt. LIX. p. 444. Edit. Spanhem. Πολλὰ εἰπὼν οὐδένα ἂν πείσῃς ἀνθρώπων, ὡς ὑ γέγονας ὅπερ ὢν γέγονας, καὶ οἶσν πολλοὶ πάλαι σε ἠπίσταντο.

b) Quae Epiſtolis Iuliani p. 454. adiuncta eſt: Ἦκεν εἰς ἡμετέρας ἀκοὰς, ἀποξῆναι μέν σε τῆς προτέρας θρησκείας, τῆς ἐκ τῶν προγόνων παραδοθείσης κ. τ. λ.

c) Contra Iulian. L. V. p. 152. Ἐπιτετήδευται ὕτω φιλολογεῖν, ὡς οὐδενὶ τῶν ἑτέρων, οἳ πρὸ αὐτοῦ γεγόνασι τῆς τῶν χριστιανῶν θρησκείας κατήγοροι.

maledicentiae dedidit, vt alius nemo, quotquot antea religioni christianae bellum indixerunt. Neque vero hoc elatorie, aut criminandi cauſſa *Cyrillum* dixiſſe, exiſtimandum eſt, cum eius ſcripta, Edicta et facta id luculentiſſime confirment. Huius maledicentiae ſuae in Chriſtianos, et Religionem chriſtianam ipſam illuſtriſſima documenta in ſcriptis ſuis reliquit, ex quorum numero eſt, quod ſcribit: [d] *Nos penitus periimus, propterea, quod [illegible] aeternis Diis, Iudaeorum* (i. e. *Chriſtianorum,* quos ſaepe cum Iudaeis confundit,) *MORTVVM ſuſcepimus.* Et [e] alibi, *Galilaeorum amentia omnia afflixit et perdidit:* et [f] infinitis locis *Religionem chriſtianam* non niſi ἀθεότητος nomine infamare ſolet. Quid? quod Religionem chriſtianam [g] effutire non erubuit, *Galilaeorum eſſe humanum commentum, malitioſe confictum, quae nihil quidem diuini habeat, ſed fabulis addicta, et puerili ac ſtolida animi parte abuſa, prodigioſas narrationes in veritatis teſtimonium adduxerit.* Hanc ſacroſanctam Religionem noſtram tam capitali odio perſequebatur, vt [h] Antiocheni haud iniuria dixiſſe cenſendi ſint, *Iulianum indixiſſe bellum τῷ χ.* h. e. Religioni chriſtianae. Alibi [i] de Chriſtianorum *Baptiſmo* et *Poenitentia* tam ſcurriliter, tam contumelioſe, tam impie loquitur, vt ea loca ſine iuſta indignatione legi non poſſint. Sed quis omnia conuiciorum

d) Cyrill. c. Iulian. Lib. VI. p. 196. Ὀλέθρῳ γε μὴν εἰς ἅπαντας ἡμᾶς ἀφικέσθαι, διὰ τὸ — — τῶν Ἰουδαίων ἀναλέσθαι NEKPON.

e) Epiſt. VII. p. 376.

f) v. c. in Miſopog. p. 357. ὁ δῆμος ἅπας ΑΘΕΟΤΗΤΑ προελόμενος.

g) Cyrill c. Iul. L. II. p. 39. τῶν Γαλιλαίων ἡ σκευωρία πλάσμά ἐστιν ἀνθρώπων, ὑπὸ κακοεργίας συντεθὲν, ἔχουσα οὐδὲν θεῖον.

h) In Miſopog. p. 360. ὅτι πολεμῷ τῷ χ.

i) In Caeſar. ad quem locum vtrumque conferendus Spanhemius in Translat. Gall. p. 219. 309. 413 et 468.

rum plauſtra huc adducat? Quam vilia, et nullius plane pretii, ob Religionis chriſtianae odium Chriſtianos ipſos habuerit, vel illud docet, quod populum Alexandrinum, qui in tumultu quodam excitato multos Chriſtianorum vna cum k) *Georgio*, eius vrbis Epiſcopo, rabie Gentilium dilacerato, et vna cum camelo, cui ludibrii cauſſa impoſitus fuerat, concremato, miſerrime trucidarant, non niſi per epiſtolam ob huius facinoris immanitatem l) caſtigavit. Quid? quod cum cognouiſſet de tumultu Alexandrino, multis Chriſtianorum fatali et pernicioſo, m) *Quid magni eſt*, inquit, *vna manus Gentili Galilaeos interfici?* Scilicet, hic eſt ille Iulianus, qui n) aliquo loco ſcribit: *Ego per Deos neque interfici Galilaeos, neque caedi praeter ius et aequum, neque moleſtiae quidquam perpeti volo.* Et o) alibi, *Iterum, ac ſaepius eos* (Boſtrenos) *admoneo, ne qua iniuria Galilaeos afficiant, aut contumeliis vexent:* alio loco autem p), *Vos* Deorum cultores *aedibus Chriſtianorum, qui ignorantia magis, quam conſilio in errore verſantur, vim inferte, aut eas diripite. Quippe oratione perſuaderi, docerique ſatius eſt homines, quam verberibus etc.* Vide mihi monſtrum ſimulationis et diſſimulationis! Sed quorſum haec attulimus? Nempe eo, vt veluti per tranſennam oſtenderemus, Religionem chriſtianam nullum facile habuiſſe hoſtem, vti ſpecie leniorem et mitiorem, ita re ipſa grauiorem et atrociorem. Nam nulla ars

 eſt,

k) Vid. Socrates H. E. III, 2. 3.

l) Epiſt. X. Cf. Socrates l. c.

m) Τί μέγα, εἰ Γαλιλαίους μία χεὶρ ἑλληνικὴ κατειργάσατο; Gregor. Nazianzen. Στηλιτευτικ. 4. fere in medio.

n) Ἐγὼ νὴ τοὺς Θεοὺς ὅτε κτείνεσθαι τοὺς Γαλιλαίους, ἤτε τύπτεσθαι παρὰ τὸ δίκαιον, ἤτε ἄλλο τι πάσχειν τοὺς θεοσεβεῖς καὶ πένυ φαυλ δεῖν.

o) Epiſt. L. II. p. 428. Αὖθις καὶ πολλάκις παραινῶ - - μηδὲν ἀδικεῖν τῶν Γαλιλαίων πλήθη, μηδὲ ὑβρίζεσθαι εἰς αὐτούς.

p) In ead. Epiſt. p. 438.

eſt, quin Iuliani malitioſa calliditas, odiumque diu conceptum ad fundamenta Religionis chriſtianae collabefactanda, penitusque euertenda excogitarit, excogitatamque adhibendam ſibi putarit: de quibus artibus ſtrictim quidem, ſed perquam diligenter, vt ſolet, expoſuit immortalis memoriae vir, q) *Iac. Godofredus.* In his variis autem, atque iis perquam callidis, Religionique chriſtianae pernicioſiſſimis artibus haud ſcio, an vlla fuerit capitalior deteſtando illo r) Edicto, quo vetuit Doctores chriſtianos in ſcholis interpretari adoleſcentibus ſcripta Homeri, Heſiodi, Demoſthenis, Herodoti, Thucydidis, omniumque omnino ſcriptorum, e quibus elegantior doctrina hauriri poſſit: de quo Edicto conſulendi, qui data opera expoſuerunt, laudati s) *Iac. Godofredo* et t) *Alberto Fabricio.* De hac ipſa autem pernicioſiſſima rei chriſtianae arte nobis alio tempore diſputandi locus contra eos erit, qui nouae ſapientiae, ſi Diis placet! auctores, quod ipſi nunquam didicerunt, aut nunc demum ſe diſcere poſſe deſperant, id magnifice venerabili vultu induto contemnunt, et non ſolum in publicis ſcholis, ſed eruditorum conuentibus etiam, multis, iisque ad aurium faſtidium, auditorumque prudentiorum iuſtam indignationem vſque de chartula effuſis verbis, quae ſuam ſapientiam non prodant, hanc aliis perſuaſionem magno cum niſu, et pio adeo (ἀλλ' ὡ κατ' ἐπίγνωσιν) feruore afferre conantur, *literarum humanarum doctrinam vel ad* Atheiſmum, *vel ad* Paganiſmum *ducere.* Nihil ſane audiui acutius. *O delirationem incredibilem!* exclamat aliquo loco Cicero: *non enim omnis error ſtultitia eſt dicenda. O acutos homines!* inquit idem ille

q) Orat. I. *Iulianus* inſcripta, quae extat in eius Opuſc. p. 46. ſqq.
r) Epiſtol. XLII. p. 423.
s) Ad Leg. V. de Medicis et Profeſſ. T. V. p. 31.
t) In Luce Euangelii p. 303. ſqq.

ille alio loco, *quam paucis negotium confectum putant! Nescio* (sunt eiusdem verba) *quomodo nihil tam absurde dici possit, quod non dicatur ab aliquo philosophorum*, forte et ab aliis. Claudantur igitur omnes scholae bene constitutae, Ecclesiae et Reipublicae seminaria, aut conuertantur in loca, sacranda ingeniosis nugis, tricisque metaphysicis, contortulisque de re aliqua perquam graui philosophica quaestiunculis, nec vlla vnquam *barbaries* timeatur. Nam hoc hominum genus omnis barbariei firmissimus est obex. Commode in hos homines paucis mutatis illud Ciceronis transtuleris: *Difficultas, laborque discendi INVIDIAM discrtam* (saepe etiam loquacem) *facit, mauultque disputare, nihil esse in literarum humanarum doctrina, quam discere, quam late earum vtilitas in sacrarum literarum interpretatione pateat.* Omnes hae istorum auctorum nouellae huius sapientiae voces, non tam refutatione, quam commiseratione dignae, tacito risu et irriso transmittendae essent, nisi verendum esset, ne ingenia iuuenum, bonarum literarum studia aemulantium, viamque regiam sequentium, corrumperentur, et a doctrinae accuratioris studio auocata ad ieiunam, macilentam, compendiariamque disciplinam allicerentur. Sed vnde oratio digressa est, eo redeat. Scilicet eramus in eo, vt nonnisi paucis ostenderemus, quam callidus, quam capitalis Religionis christianae hostis fuerit Iulianus, cuius consilia fere omnia ad eam collabefactandam, sensimque penitus peruertendam spectarent. Et tamen in huius Apostatae animo sacrosanctae nostrae Religionis veritas tantam habuit vim, et tot, tantisque praestantiae suae, diuinitatisque radiis eius oculos praestrinxit, vt in iis ipsis VII libris, quos eo consilio scripsit, vt hanc Religionem vanitatis suspectam, ridiculamque adeo redderet, vel inuitus, et coactus varia pro ea argumenta nobis Christianis suppeditaret. Tanta est vis veritatis, semel agnitae, vt non tam ad assensum sui alliciat, quam inuitis etiam, et reluctantibus

bus extorqueat! Haec varia pro veritate et praestantia Religionis christianae argumenta cum ex ipsius Iuliani libellorum reliquiis, et Cyrilli X. libris, contra ipsum scriptis, hauriri posse non ignoraremus: non piguit, cum illas, tum hos studiose et diligenter totos perlegere, non eo consilio, vt, quod Iulianus pestiferum maledicentiae suae, acerbitatisque virus in religionem christianam, eius auctorem, Christum, illiusque legatos in libellis suis euomuit, latius spargeremus, eoque aliorum hominum animos infectos corrumperemus, vt haud ita pridem scriptorem quendam non ignobilem feciſſe, non vana forte suspicio est, qui *Defensionem Gentilismi per Iulianum susceptam* recoxit, et hominibus male curiosis legendam in manus quasi tradidit: sed vt argumenta pro veritate et praestantia sacrosanctae nostrae Religionis, quae ille Apostata vel inuitus praebere hinc inde coactus est, inuestigaremus, inuestigataque commoda aliqua occasione oblata in lucem, adspectumque proferremus, et diuinarum literarum studiosis hac opella nostra adiumenti aliquid afferremus. Nam quemadmodum apes a natura habent hoc, vt ex acerrimis floribus, spinisque acerrimis mel leniſſimum et optimum eliciant: ita harum literarum studiosi ex his pestiferis Iuliani libellorum reliquiis, diligenter et curiose, animoque praeconceptarum opinionum erroribus non capto, perlectis, multum commodi et adiumenti in rebus cum exegeticis, tum dogmaticis haurire possunt. Quare cum fauſtiſſima, et nobis, nostraeque disciplinae alumnis laetiſſima inſiet dies, qua memoria Illustris Moldani nostri, ante hos CCXX annos aperti et constituti, et cum maxime, quod Dei benignitati plane singulari acceptum referendum est, in dies laetius efflorescentis, grata piaque mente recolenda est: rem suscepturos nos esse existimauimus, neque a muneris nostri professione, neque ab huius diei solemnitate alienam, si argumenta quaedam pro veritate et praestantia Religionis christianae, e Iuliani reliquiis collecta,

lecta, hac Prolusione veluti per transennam spectanda proponeremus.

Iam primum, permagnum sane *veritatis historicae* argumentum pro Religione nostra nobis Iulianus suppeditat, cum non solum ingenue fateatur, inter Iudaeos vixisse viros, a diuino spiritu inspiratos: *Aequum est*, u) inquit, *interrogari Saullum, - - qua de causa Deus in Iudaeos quidem plurimum immiserit Spiritum propheticum, et Mosen, et unctionem, et prophetas, et Legem, et miracula:* sed etiam concedat, vnum aliquem fuisse *Christum.* Nam x) aliquo loco Antiochenos ita alloquitur: *Christum amatis, et veluti Numen tutelare colitis. - - An vero Emisseni Christum amabant?* Eundem Iesum ab ipsius cultoribus pro Deo et Verbo habitum, cultumque esse fatetur: in quam rem ita y): *Hunc*, inquit, *quem neque vos, neque patres vestri videre, IESVM DEVM esse VERBVM creditis oportere.* Eundem Iesum, scribit, discipulis suis diuinae legis obseruationem commendatam iniunxisse z): *Ipse quoque Christus seruandam legem dixit.* Quid? quod huic Christo magnam lenitatis laudem tribuit, cum eo loco, vbi Christianis crudelitatem erga Gentiles et Haereticos exprobrat, dicat a): *Nunquam Iesus illa vobis praecipiendo docuit, neque Paullus.* Iam alio loco non solum

u) Cyrill. c. Iul. Lib. III. p. 106. Δίκαιον ἔρεσθαι τὸν Παῦλον - - τῷ χάριν (ὁ Θεὸς) εἰς τὸς Ἰουδαίους μὲν πολὺ τὸ προφητικὸν ἔπεμψε πνεῦμα, καὶ τὸν Μωσέα, καὶ τὸ χρίσμα, καὶ τὸς προφήτας, καὶ τὸν νόμον, καὶ τὰ παράδοξα.

x) In Misopog. p. 357. Χριστὸν ἀγαπῶντες ἔχετε πολιοῦχον - - Ἐμισηνοὶ Χριστὸν ἐπόθεν;

y) Epist. L. I. ad Alexandrinos p 434. Ὃν ὅτε ὑμεῖς, ὅτε οἱ πατέρες ὑμῶν ἑωράκασιν Ἰησοῦν· οἶσθε χρῆναι Θεὸν Λόγον ὑπάρχειν.

z) Cyrill c. Iul. Lib. X. p. 351. Καὶ αὐτὸς ὁ Χριστὸς δεῖν ἔφη τὸν νόμον.

a) Cyrill. c. Iul. Lib. VI. p. 206. Οὐδαμοῦ ὅτε Ἰησοῦς αὐτὰ παρέδωκε κελεύων ὑμῖν, ἢτε Παῦλος.

ſolum de Chriſto nato, ſed de eius etiam diuinitate, e miraculis eluceſcente, egregium teſtimonium, quamuis maligno et cauillante animo praebet[b]: *Poſtquam natus eſt,* (Ieſus,) *quorum bonorum auctor cognatis ſuis extitit? Noluerunt ei obedire. - - Ieſus, qui ſpiritibus imperabat, et in mari ambulabat, et daemonia eiiciebat, quique coelum et terram fecit, vt vos vultis, (non enim haec vllus diſcipulorum de eo dicere auſus eſt, niſi SOLVS IOANNES, et id neque clare, neque explicate: ſed dixiſſe concedatur;) non potuit ad ſalutem ſuorum amicorum et propinquorum conſilia mutare.* Locus hic Iuliani inſignis et maxime notabilis eſt. Nam, etſi perſonam impudentiſſimi mendacis agit, cum neget, alios etiam Euangeliſtas de miraculis Chriſti expoſuiſſe, quam opinionis vanitatem Cyrillus l. c. dudum conuicit: tamen tacitus, quamuis inuitus largiri cogitur, ſi caeteri Euangeliſtae idem, quod Ioannes, et quidem clare et explicate de miraculis Chriſti tradidiſſent, (de qua re ne minima quidem dubitatio eſt,) ſe eorum teſtimonium de his miraculis Chriſti in dubitationem non eſſe adducturum. Iam, quid[c]) alio loco de hoc Ieſu ſcribat, operae pretium eſt cognoſcere. *Sed hoc quidem,* inquit, *de Ieſu Chriſto Ioannem dicere,* (nempe eum eſſe Deum et Verbum,) *ne IPSE quidem INFICIOR: quamquam placet nonnullis impiis, alium quidem eſſe Ieſum Chriſtum, aliud vero, quod a Ioanne praedicatur, Verbum. Verum non ita eſt. Nam quem ipſe ait Verbum, hunc eſſe dicit illum Chriſtum Ieſum, a Ioanne Baptiſta cognitum.* En tibi ingenuam confeſſionem, infenſiſſimo ſacroſanctae Religionis noſtrae hoſti veritatis viribus vel inuito et reluctanti expreſſam! Haec omnia, quae hucusque ipſis Iuliani

b) Cyrill. c. Iul. Lib. VI. p. 213. Ἰησοῦς γενόμενος τίνων ἀγαθῶν αἴτιος κατέστη τοῖς ἑαυτοῦ συγγενέσιν; κ. τ. λ.

c) Apud Cyrill. c. Iul. Lib. X. p. 333. Ἀλλ' ὅτι μὲν τοῦτο περὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ φησιν Ἰωάννης, αὐτὸς ἀντιλέγω. κ. τ. λ.

liani verbis attulimus, si probe considerantur, permagnum sane argumentum pro *veritate historica* Religionis christianae nobis suppeditant. Neque enim in his spectandum est, quo animo, sed quid dicat Iulianus. Scilicet iis locis, quae allegauimus, veritatis viribus coactus fatetur, *fuisse aliquem Iesum Christum, qui et natus, et mortuus sit, quique a Christianis* Deus et Verbum *haberetur et coleretur: eundem habuisse coetum discipulorum, quibus praestantissima praecepta tradiderit, legemque diuinam sancte seruandam iniunxerit: eundem miracula perpetrasse etc.* Cum igitur Iulianus, capitalis Christianorum, doctrinaeque christianae hostis, idemque philosophus ingenii non retusi, eo impudentiae progredi non potuerit, vt has res omnes negare, aut in dubitationem adducere sustineret, sed ingenue potius fateri cogeretur: necessario efficitur, earum *veritatem historicam* (loquamur sic breuitatis caussa, quamquam non satis latine,) tunc temporis tam certam, indubiamque fuisse, vt nemo sine summa impudentia eam negare, aut dicere contra, auderet. Quid? quod hic ipse Iulianus permagnum nobis argumentum *veritatis historicae* suppeditat, *scripta Matthaei, Marci, Lucae, Ioannis, Paulli et Petri* ipsius aetate pro genuinis, et ab iisdem, quorum nomina prae se ferrent, profectis fuisse habita. Nam d) eo loco, vbi impio et irrito conatu diuinitatem Christi impugnare studet, *Iesum illum*, inquit, *neque Paullus* Deum *appellare ausus est, neque Matthaeus, neque Lucas, neque Marcus, sed bonus ille Ioannes, quum - - audiret, opinor, scripta quoque Petri et Paulli clam quidem, sed tamen audiret, ea in magno pretio haberi, primus id prodere ausus est.* Quod dicit, a nullo horum diuinorum scriptorum, excepto Ioanne, Iesum dictum esse *Deum*, id dictum impudentissimum et falsissimum est, dudum

d) Apud Cyrill. c. Iul. Lib. X. p. 327. Τὸν Ἰησοῦν ὅτε Παυλος ἐτόλμησεν εἰπεῖν ΘΕΟΝ, ὅτε Ματθαῖος, ὅτε Λουκᾶς, κ. τ. λ.

dum confutatum a Cyrillo l. c. Illud ex his Iuliani verbis neceſſaria quadam conſecutione colligi volumus, neque eum ipſum, neque alium quemquam tunc temporis dubitaſſe, hoc libros genuinos, et ab iisdem eſſe ſcriptos, quorum nominibus inſigniti circumferrentur, neque adeo in fictitiorum, et ſuppoſititiorum cenſum referendos. Nam ſi pro ſuppoſititiis, et callidi cuiusdam impoſtoris fraude fictis, hominumque minus perſpicacium credulitati venditatis habuiſſet: omnem fere cum ratione ſenſum eiuraſſe cenſendus eſſet, ſi ex iis ſententiae ſuae teſtimonium petere, et probare aliquid voluiſſet. Perſuaſiſſimum igitur Iuliano fuerit neceſſe eſt, haec ſcripta non eſſe ſuppoſititia, et rationes, pro eorum ſinceritate et fide allatas, tam perſpicuas et graues tunc temporis habitas fuiſſe, vt nemo ſanioris mentis homo de ea re poſſet dubitare. Quodſi enim vel leuiſſima fraudis ſuſpicio de his libris fuiſſet: profecto longa alia ratione Iulianus Chriſtianos oppugnaturus, nec hos libros tanta cum modeſtia allegaturus, ſed potius ſcurriliter irriſurus erat, quibus quippe Chriſtiani religionis, doctrinaeque ſuae capita innixa conſiſtere contendebant. E quo conficitur, ſi hi libri medio Seculo IV. ab acutiſſimis, iisdemque infenſiſſimis Chriſtianorum, ipſiusque Religionis chriſtianae hoſtibus pro genuinis fuerint habiti: eos non longe ab inſania abeſſe, qui noſtra aetate et ſibi ipſis, et aliis perſuaſum cupiant, eos poſtea confictos et ſuppoſitos fuiſſe. Cf in hanc rem praeclare diſputantem *Dittonium* in libro vere aureo de *Veritate Relig. chriſt. e Reſurrectione Ieſu* p. m. 350. ſqq.

Neque minus graue argumentum pro veritate et praeſtantia Religionis chriſtianae Iulianus praebet eo, quod fateri cogitur, quo tempore Chriſtus doctrinae ſuae luce divina mentes hominum colluſtrarit, eo Gentilium Oracula, h. e. varias illas blaeſae mentis homines decipiendi et illudendi artes fraudulentas, coepiſſe conticeſcere: qua confeſſio-

feſſione tacitus ſubinnuere videtur, ſe diuinam Chriſti potentiam, doctrinaeque chriſtianae vim agnoſcere, coactum fuiſſe. Quod, etſi verborum ſpecioſorum veluti involucris obductum oſtendit: tamen re ipſa dicit, cum e) aliquo loco ita: *Diuinus ille afflatus, qui homines inuadit, raro ſane, et in paucis ſit, nec quiuis facile eius particeps eſſe poteſt, nec quouis tempore — — ſed videntur genuina ORACVLA cedere temporum conuerſionibus.* Hic etſi omnem iſtam malorum Daemonum tyrannidem, et veluti ſcenam quandam, puerilibus crepundiis ſcatentem, nomine perquam honorifico *afflatum diuinum* appellat: (*diabolicum* debebat dicere:) tamen fateri cogitur, iſta Gentilium oracula ex eo inde tempore, quo Chriſtus, tyrannide Diaboli ſublata, regnum ſuum in hac terra conſtituerit, ſenſim, paullatimque penitus euanuiſſe. Dignus eſt, qui ad h. l. conferatur Cyrillus. Iam ante Iulianum fateri coactus eſt Porphyrius, aeque infeſtus Religioni chriſtianae hoſtis, iſtam Daemonum vim, fraudemque Oraculorum aduentu Chriſti fractam et ſublatam fuiſſe; cuius verba in hanc rem apud f) *Euſebium* ſunt haec: *Ex quo Ieſus coli coeptus eſt, publicam Deorum opem nemo ſenſit.* Sed dudum ante vtrumque idem confeſſus eſt g) Plutarchus in libello notiſſimo, e quo vel haec afferre iuuat: *Nihil attinet de iſto oraculo percontari, et cauſſam quaerere,* (quare

e) Apud Cyrill. c. Iul. Lib. VI. p. 198. Τὸ ἐκ θεῶν εἰς ἀνθρώπους ἀφικνέμενον πνεῦμα σπανιάκις μὲν καὶ ἐν ὀλίγοις γίνεται, καὶ ἅτε πάντα ἄνδρα τύτυ μεταλαχεῖν ῥᾴδιον, ὅτε ἐν παντὶ καιρῷ —— Φαίνεται δὲ καὶ τὰ αὐτοφυῆ χρηστήρια ταῖς τῶν χρόνων εἴκοντα περιόδοις.

f) Praeparat. Euangel. Lib. V. c. 1. Ἰησῦ τιμωμένυ, ὠδεμιᾶς τις Θεῶν δημοσίας ὠφελείας ἥψετο.

g) De Oracul. Defectu p. 732. Edit. Stephan. Οὐδὲν δεῖ περὶ τῶν ἐκεῖ πυνθάνεσθαι καὶ διαπορεῖν τὴν ἐνταῦθα χρηστηρίων ἀμαύρωσιν, μᾶλλον δὲ πλὴν ἑνὸς ἢ δυοῖν ἁπάντων ἔκλειψιν ἐρῶντας.

(quare nempe conticuerit,) *cum videamus, oracula, quae in his locis ſunt, obſoleuiſſe, atque adeo, vno, aut duobus exceptis, OMNIA defeciſſe.* Quidquid igitur [h]) *Dalenius* contra illum Euſebii locum diſputet: vel hic Plutarchi locus docet luculentiſſime, poſt Chriſtum natum Gentilium Oracula vim ſuam, auctoritatemque ſenſim amiſiſſe. Quod quomodo intelligendum ſit, in tironum gratiam operae pretium fuerit verbis magni illius [i]) *Huetii* exponere. *Adiungendus eſt Oraculorum defectus, cuius cauſſam curioſe ſcrutati ſunt cum alii ſcriptores, tum potiſſimum Plutarchus: ex quo diſcas, paullatim ea contiſcere coepiſſe ad Chriſti vſque tempus, quo obmutuerunt, quaſi fracta penitus Daemonum vi, ſilentioque ipſis impoſito. Nam quae poſt Chriſtum edita referuntur, poſtremi fuerunt abolitae facultatis conatus, ac velut fumus extinctae facis, aut vanae lumbrici ſecti vertigines. Neque haec ita STRICTE ſumenda ſunt, quaſi poſt Chriſti obitum nullum omnino editum ſit oraculum. — — Velut cum dicimus, per Chriſti mortem abrogatam fuiſſe Iudaicam Legem, abolita ſacrificia, extinctos idolorum cultus, gentes ad Chriſti obſequium conuerſas, non ea volumus contigiſſe hoc ipſo puncto temporis, quo Chriſtus obiit: ſed iacta tum eſſe fundamenta, ſatas radices, vnde poſtea rerum illarum euentus ſit conſecutus.* Cf. *Abbadie* in praeſtantiſſimo, reique chriſtianae ſaluberrimo libro *de Veritate* Relig. chriſtianae P. II. p. 294. Edit. Lipſ. Sed ad aliud argumentum tranſeamus.

In palmariis argumentis pro veritate Religionis chriſtianae et eſt, et habetur hoc, quod a ſtupendis illis, omniumque animos ferientibus, miraculis Chriſti, eiusque legatorum duci ſolet. Haec miracula, quoniam ne minimam quidem fraudis ſuſpicionem praebere potuerunt, cum

h) De Oraculis Diſſert. 2. p. 425. ſqq.
i) Demonſtrat. Euangel. Propoſit. IX. p. 830.

cum facta ſint publice, et in tot millium hominum conſpectu, cum effectus manifeſtos et ſtupendos habuerint, cum literis conſignata ſint a teſtibus, nullius fraudis ſuſpectis, pluribus etiam oculatis, et, quae teſtati ſunt, vel morte ſua confirmantibus, cum dudum diuinitus praedicta fuerint per prophetas, cum denique omnia, exceptis duobus, benefica fuerint, haec, igitur, miracula in animis etiam hoſtium ſacroſanctae noſtrae Religionis infenſiſſimorum vim habuerunt tantam, vt, cum negare nec poſſent, nec auderent, alia ratione vana reddere, et penitus peruertere conarentur. Nam Iudaei, qui ſuis ipſorum oculis impuros ſpiritus electos, mortuos in vitam reuocatos, et multa alia huius generis viderant, cum ſine ſumma impudentia nec negare poſſent, nec, quod dicerent contra, haberent: eo ſtultitiae impiae progrediebantur, vt garrirent, ea principis malorum daemonum ope eſſe facta. Neque eorum poſteri haec miracula negare audent, ſed per SCHEM HAMPHORASCH, a Ieſu ſurreptum, patrata fuiſſe ridicule et impie k) contendunt. Quid? quod neque Celſus, neque Hierocles vnquam tam impudentes fuiſſe inuenti ſunt, vt ea miracula fidei ſuſpecta reddere conarentur, ſed ridicula ratione artibus magicis tribuerunt, omninoque negarunt, miracula in argumentis pro veritate Religionis chriſtianae eſſe ponenda: quod quidem Celſus inprimis effutire ſolitus eſt, cuius erroris vanitatem conuicit l) *Moshemius*. Quid Iulianus? Negatne miracula a Chriſto eſſe facta? immo veritatis viribus compulſus cogitur ea concedere, ſed concedit ita, vt iis non adeo multum tribuendum cenſeat. Iuuat ipſum audire: m) *Ieſus* —— —

k) Vid. Huetii Demonſtr. Euangelii p. 828. ſqq. Cf. quos in hanc rem laudat Albert. Fabricius in Delectu Argument. et Syllabo p. 696.

l) In Animaduerſ. ad Origen. c. Celſum p. 213. ſqq.

m) Cyrill. c. Iul. Lib. VI. p. 191. Ἰησοῦς —— ἐργασάμενος

toto vitae tempore nihil admodum memoratu dignum egit: nisi quis claudos et coecos sanare, et daemonio correptos curare in pagis Bethsaida et Bethania in magni alicuius facinoris numero habeat. Hic vero vide mihi malitiosam vafritiem huius Apostatae! Scilicet Iesus, de ipsius quidem sententia, nihil, nisi res parui momenti, fecit. Atqui omnes alii, aut coecitate mentis non capti, aut extremae malitiae pertinacia non indurati, haec, praesertim si vel vno verbo, vel non nisi apprehensa alterius manu, vt v. c. Christus febrim socrus Petri depulit, (Matth. 8, 14.) facta sunt, in miraculorum numero ponenda arbitrantur. Et quare tu, Iuliane, hic nihil magni vides, nihil diuini agnoscis, sed talpa es coecior? Scilicet, quia cum alios praestigiatorum Gentilium, tum istum *Apollonium Tyanensem* eadem fere non magno eum labore praestitisse credebas. Et quosnam huius rei testes habebas? Haud dubie garrulum istum, festiuumque nugiuendulum Philostratum n), qui effutire non erubuit, famam esse, puellam quandam ab *Apollonio* e morte fuisse resuscitatam. Sed vide mihi, quam dubius, narrationique suae ipse diffidens istam rem narret. *Illud quoque*, inquit, *Apollonii est mirandum* (θαῦμα). *Puella nubili aetate mori est VISA.* — — *Interueniens luctui Apollonius, Ponite, dixit, feretrum: ego enim vobis lacrymarum finem afferam.* — — *Ipse nihil faciens, quam vt attrectaret puellam, atque secreto aliquid admurmuraret, virginem ab ea, qua oppressa VIDEBATVR, morte excitauit, et statim vocem puella edidit, et in paternam domum reuersa est.* — — *Vtrum vero scintillam animae in ea inuenerit, quae medicos latuerat, (dicitur enim pluisse, ipsa vero vaporem exhalasse.) an*

μενος, παρ' ὃν ἔζησε χρόνον, ἔργον οὐδὲν ἀκοῆς ἄξιον, εἰ μή τις οἴεται τὴς κυλλὰς καὶ τυφλὰς ἰάσασθαι, καὶ δαιμονῶντας ἐφορκίζειν ἐν Βηθσαϊδᾷ καὶ ἐν Βηθανίᾳ ταῖς κώμαις, τῶν μεγίστων ἔργων εἶναι.

n) In Vit. Apollon. Tyanenſ. IV, 45.

an extinctam animam refotillauerit et reduxerit, DIFFICILE est iudicatu non mihi solum, sed iis etiam, qui praesentes tum fuerunt. Non piguit hac occasione hanc lepidam fabellam, vt exemplum huiusmodi fictorum miraculorum, (quamquam Philostratus ipse non nisi θαῦμα, vnde θαυματοποιοὶ dicuntur,) afferre, cum ex hoc vno omnia huius generis miracula, siue potius vana miraculorum simulacra, ad opinionem vulgi, anili superstitione obligati, ficta, a Gentilibus iactata cognosci, et diiudicari possint. Nam *primo*, ex hac Philostrati narratiuncula luculentissime apparet, has praestigias, mali daemonis instinctu, fictas esse ad exemplum verissimorum, et maxime stupendorum miraculorum Christi. (Marc. 5, 36 sqq. Luc. 7, 11 sqq.) *Deinde*, hanc rem a Philostrato narrari ita, vt ipse de ea dubitet, nec, quod pro certo affirmare possit, habeat. Et huius generis omnia sunt tantopere iactata et celebrata falso dicta Gentilium o) miracula. Scilicet tota ista res inuenta est fallaciis, aut ad quaestum, aut ad superstitionem, aut ad vulgi errorem. Sed redeamus ad Iulianum, quem cognouimus miraculis Christi, paullo ante commemoratis, parum, aut nihil tribuere, et tamen fateri coactum esse, ab ipso fuisse miracula facta. Sed vnde tu, Iuliane, notitiam horum miraculorum Christi, quae acuto iudicio tuo nihili esse videntur, hausisti? nempe e diuinarum literarum monimentis. Atqui ex eodem fonte hausisti, eundem Christum mortuis vel vno verbo vitam reddidisse: multa millia hominum paucis panibus penitus saturasse, et ita quidem, vt plus cibi supereesset, quam antea suppeteret: furibundum ventum, tempestatemque minacem vna voce compressam sedasse: super mare incessisse, et infinita huius generis alia fecisse. Quae quidem miracula cum in maximis sint ponenda, et innumeros testes

o) Cf. de his festiuis Gentilium nugiuendulis fictorum miraculorum HVETIVS in Quaest. Alnetan. 2, 18 vbi πάντα περὶ πάντων.

oculatos habuerint: neceſſe eſt, latius diuulgata ad quamplurimorum hominum notitiam peruenerint. Cur igitur hae callide retices, Iuliane? Non ita occulta, et ad perſcrutandum difficilis haec tua vafrities eſt, quin detecta, et veluti in omnium conſpectum tracta oſtendi poſſit. Scilicet, huius generis miracula maiora erant, quam pro captu Iuliani, et fraudulenta arte impoſtorum Gentilium, qui non inueniebant, quomodo, ea aliquatenus imitando, hominum incautorum oculos, animosque auferre poſſent. Nulla ars humana, quamuis ſollers et felix in imitando, praeſtare aliquid poterat, quod ad horum miraculorum Chriſti ſimilitudinem ita accederet, vt vel ſpeciem eorum referret. Quicunque eiusmodi quid conaturus eſſet, non niſi cum riſu et irriſu ſenſiſſet, iſtum conatum ſuum vanum et irritum fuiſſe. Conſultiſſimum igitur Iuliani vafritiei videbatur, huius rei penitus non meminiſſe, et omnia eiusmodi miracula, tam illuſtribus diuinae potentiae notis inſignita, alto ſilentio transmittere. Et ſane Iulianus, ſi verum dicere, nec cauſſae ſuae officere vellet, non meliorem rationem inuenire poterat, quam hanc, vt fateretur quidem, Ieſum quaedam miracula feciſſe, ea autem, quae maiorem admirationem excitant, omnesque, ad diuinae potentiae ſenſum non plane obtuſos, in ſtuporem rapiunt, tacito ſilentio premeret. Fatetur, Ieſum feciſſe miracula: quae cum nominanda ſunt, non niſi ea affert, quae ad multa alia videntur parua, idque facit conſilio hoc, vt inter Gentiles etiam, ad ſpeciem ſaltem, et opinionem vulgi, ſimilia reperire poſſit. Itaque haec ab ipſo commemorata miracula Chriſti, de ipſius quidem ſententia, dignitatem ſuam, diuinitatemque amittebant, nec quidquam ad *veritatem Religionis chriſtianae* ſtabiliendam faciebant, quibus quippe ſimilia, a Gentilibus etiam facta, opponi poſſe, et ſibi ipſi, et aliis perſuaſum cupiebat. Quidquid eius ſit, ex ipſius Iuliani verbis luculentiſſime intelligitur, eum, quamuis infeſtum Religioni chriſtianae,

ſtianae, veritatis viribus coactum egregium teſtimonium, et argumentum pro *fide hiſtoriae euangelicae, et veritate Religionis chriſtianae* attuliſſe. Cf. *Dittonius* lib. laud. p. 327.

Sed ad aliud Iuliani argumentum, non minus graue, pro Religionis chriſtianae veritate progrediamur.

Si qua vlla vnquam fuit praedictio futurae rei, atque illius quidem fortuitae, neque e neceſſariis cauſſis praegreſſis, neque e certis ſignis cuiusdam euentus praecurrentibus vllius hominis menti praeuidendae, quae illuſtriſſimum, nec vlla humani ingenii calliditate eludendum, argumentum pro diuinitate Chriſti, religionisque chriſtianae veritate praebet, eſt certe illa Optimi Saluatoris noſtri, quae ad templum Hieroſolymitanum ſolo aequandum, nec vlla vnquam opera et potentia humana e ruderibus reſuſcitandum p) ſpectat. Neque vero haec Chriſti praedictio opinabilis erat, aut incerta coniectura continebatur, ſed, diuinae et omniſcientiae, et omnipotentiae innixa, certiſſimum euentum habere debebat. Iulianus, cui nihil magis curae, cordique erat, quam hoc, vt, quantum in ipſo eſſet, omnia argumenta pro diuinitate Chriſti, et Religionis chriſtianae veritate eluderet, etiam hoc illuſtriſſimum impio, deteſtandoque conatu vanum et irritum reddere ſtudebat. Eo conſilio templum Hieroſolymitanum, a Tito Veſpaſiano expugnatum et dirutum, immenſis ſumptibus, de ſuo factis, inſtaurare conabatur, cura huius negotii Alypio, ipſius familiariſſimo, demandata. Sed ecce! hoc opere ardentiſſimo cum ſtudio vix ſuſcepto, timendi flammarum globuli ignei, repetitis vicibus e terra erumpentes, multis operarum, crebris ignis aſſultibus, conſumptis, locum illum fecere inacceſſum, atque adeo Iulianum, cui haud dubie prae indignatione et dolore ilia rumpebantur, ab iſto maleſano, et impio conſilio abſiſtere

p) Matth. 23 et 24. Coll. Marc. 13, 2 ſqq.

ſiſtere coegerunt. Haec res ſtupenda ſi tantum a Patribus Eccleſiaſticis, a *Gregorio Nazianzeno*, *Chryſoſtomo*, *Socrate*, *Theodoreto*, et aliis Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui aut ea ipſa aetate, qua haec acciderunt, aut non multo poſt vixerunt, ab iis igitur, ſi haec res tantum literarum monimentis conſignata fuiſſet: quot, et quam varias artes veritatis Religionis chriſtianae hoſtes excogitaturi, et adhibituri fuiſſent, ad haec Patrum teſtimonia in dubitationem vocanda vanitatisque ſuſpecta reddenda? Cum vero *Ammianus Marcellinus*, coecae ſuperſtitioni ipſe addictus, cuius adeo multum intererat, tale quid nunquam accidiſſe, qui vixit eo ipſo tempore, quo haec res ſtupenda, et illuſtriſſimis diuinae potentiae notis inſignita, obtigit, et, quod praecipuum eſt, magnus Iuliani admirator et cultor fuit ille, ergo, cum veritatis viribus coactus hoc ſtupendum miraculum, vt veriſſimum, narret: quis tam impudens, et frontis tam perfrictae ſit, vt negare, aut in dubitationem adeo adducere audeat? Sed iuuat ipſum locum *Ammiani*, non in omnium manibus verſantis, quando in hanc rem illuſtriſſimus, et maxime notabilis eſt, huc transferre. *Imperii ſui memoriam*, ita de Iuliano q) ſcribit, *magnitudine operum geſtiens propagare*, (ſed auctoribus Scriptoribus Eccleſiaſticis edocti ſcimus, eius conſilium in ea re inprimis fuiſſe hoc, vt et Chriſtianis aegre faceret, et vaticinium Chriſti eluderet,) *ambitioſum quondam apud Hieroſolyma templum, quod poſt multa, et interneciua certamina, obſidente Veſpaſiano, poſteaque Tito, aegre eſt expugnatum, inſtaurare ſumtibus cogitabat immodicis, negotiumque maturandum dederat Alypio Antiochenſi, qui olim Britanniam curauerat pro Praefectis. Cum igitur rei idem fortiter inſtaret Alypius, iuuaretque prouinciae rector: metuendi globi flammarum, prope fundamenta crebris aſſultibus erumpentes, fecere locum, exuſtis aliquoties operantibus, inacceſſum, hocque modo elementum deſtinatius*

q) Lib. XXIII. c. 1.

natius repellente, ceſſauit impetum. Sed prodeat Iulianus ipſe huius ſtupendi miraculi teſtis, et afferat vel coactus pro diuinitate Chriſti, et Religionis chriſtianae veritate argumentum. Is igitur de hac re r) ita: *Quid de templo ſuo dicent Iudaeorum Prophetae, quod cum TERTIO ſit euerſum, nondum ad hodiernum diem inſtauratur? Haec ego non, vt illis exprobrarem, in medium adduxi, vtpote qui templum illud tanto interuallo a ruinis excitare VOLVERIM — — ſed ideo commemoraui, vt oſtenderem, nihil humanis in rebus immortale eſſe poſſe: tum vero deliraſſe Prophetas, quibus cum ſtolidis aniculis negotium erat.* Dignus ſane hic locus, qui curioſe conſideretur. Nam *primo*, cum Iulianus dicit, templum Hieroſolymitanum TERTIO fuiſſe euerſum: diſerte teſtari cogitur, illam *tertiam euerſionem* nullam eſſe aliam, quam quae ipſius aetate acciderit. Neque enim alium ſenſum ipſius verba admittunt, cum antiquitatis memoria non niſi de *duplici* huius templi *euerſione*, ante Iuliani tempora facta, prodat. *Deinde*, probe perpendenda ſunt haec illius verba: *vtpote qui templum illud — — a ruinis excitare VOLVERIM.* Hae enim voces, ab Imperatore potentiſſimo, cuius nutui omnia parere cogebantur, prolatae, produnt confeſſionem, ab ipſa veritate expreſſam, hanc: *ſe quidem hoc eſſe conatum, ſed iſtum conatum ſuum irritum cecidiſſe.* Neque enim διανοεῖσθαι apud Graecos ſemper de nuda *cogitatione* aut *conſilio* alicuius rei ſuſcipiendae, ſed ſaepe etiam de *conatu* ipſo vſupatur: qua notione hanc vocem eſſe hic ſumendam, *Ammiani* locus, paullo ante

r) In Fragment. Epiſt. p. 295. Οἱ τῶν Ἰουδαίων προφῆται τί περὶ τοῦ νεὼ φήσουσι, τοῦ παρ' αὐτοῖς τρίτον ἀνατραπέντος, ἐγειρομένου δὲ ὑδὲ νῦν; Ἐγὼ δὲ εἶπον οὐκ ἀνειδίζων ἐκείνοις· ὅσῳ τοσούτοις ὕστερον χρόνοις ἀναστήσασθαι διενοήθην — — νυνὶ ἐχρησάμην αὐτῷ, δεῖξαι βουλόμενος, ὅτι τῶν ἀνθρωπίνων οὐδὲν ἄφθαρτον εἶναι δύνατα· καὶ οἱ ταῦτα γράφοντες ἐλήρουν προφῆται, γραϊδίοις ψυχροῖς ὁμιλοῦντες.

allegatus, docet. *Denique*, vide mihi, quam parum acute hic Iulianus viderit, qui ſibi ipſi acutiſſimus videbatur. Nam ex hoc ſtupendo miraculo, quod in templo Hieroſolymitano *tertio*, ſed fruſtra, inſtaurando, diuinitus editum eſt, concluſionem perquam abſurdam ducit hanc, *reuelationem, Iudaeis factam, falſam eſſe et fictam*, cum ex eo ſine vllo errandi periculo et potuiſſet, et debuiſſet colligere et efficere hoc: *Religionem chriſtianam neceſſario eſſe diuinam, atque adeo veram.* Sed quid non poſſunt praeconceptae opiniones in animis hominum, vel coecitate mentis laborantium, vel malitiae contumacia s) captorum! Difficile autem ad iudicandum eſt, Iudaeosne magis, παλιγγενεσίαν quandam rerum ſuarum penitus collapſarum tunc temporis certiſſime ſperantes, an Iulianum ipſum infelix iſtius conatus irriti euentus perturbarit. Hoc certe, t) auctoribus Scriptoribus Eccleſiaſticis, ſcimus, hoc diuinitus tunc editum miraculum, in animis multorum Iudaeorum, qui et Meſſiam, et alterum illum Eliam ſuum hucusque non minus anxie, quam certo expectarant, vim habuiſſe tantam, vt cum doctorum ſuorum fraudibus, fallaci ſpe lactatos ſe, et miſere deceptos cognouiſſent: inueteratis erroribus agnitis et exutis, Religionem chriſtianam amplecterentur. Fac autem, Iulianum, hoc miraculo cognito, non magnopere obſtupuiſſe: non eſt, quod id magnopere mirere. Nam infelici quodam fato ſuo habuit hoc, vt, quemadmodum, quoad occultas artes magicas, diuinationes, exta, et inſomnia, indolem cuiusque aniculae ſuperſtitioſae et male credulae referebat: ita, quoad miracula diuina, quoddam genus hominum, alta ſcilicet! et diuina quadam mente praeditorum, (*Eſprits forts* hodie vocant,) videri volebat imitari.

s) Cf. la Bletterie Vie de l'Empereur Julien p. 284 ſq. Edit. Lipſ.

t) Vid. Greg. Naz. τηλιτευτικ. β. non longe ab initio, et Theodoret. H. E. III, 20.

imitari. Neque dubium eſt, quin et ipſe, et ipſius tantopere adamati philoſophaſtri omnia, quae de Natura, eiusque viribus cognouiſſent, attulerint, hoc miraculum potentiae diuinae veluti erepturi, et cauſſis mere naturalibus adſcripturi. Quidquid huius ſit: nobis ſatis eſt, Iulianum vel inuitum ſuis ipſius verbis illuſtriſſimum argumentum pro veritate Religionis chriſtianae praebuiſſe. Caeterum, huius rei narratio tam certa eſt, vt, ſi quis de ea dubitandum dicat, omnes alias in dubitationem adducat, neceſſe ſit. Mirari igitur ſubiit, *Iac. Baſnagium* u) contra eam ita diſputare ſuſtinuiſſe, vt totam rem vanitatis ſuſpectam redderet. Quod in hoc viro eo magis mirandum eſt, quo leuiores ſunt ratiunculae, quibus fidem huius narrationis infringere conatur. *Primam* rationem ducit *Baſnagius* a diuerſa narrandi ratione Scriptorum Eccleſiaſticorum. Poteratne autem vir doctus ignorare, hoc millies in ſcriptoribus optimis, omnique fide digniſſimis obſeruari, vt, cum vnam, eandemque rem tradant, tamen in περιστάσεσι, quae vocantur, reique geſtae eſſentiam non attingunt, a ſe ipſis diſſentiant, in rei ſumma autem amiciſſime conſpirent? Quodſi hae de cauſſa haec narratio fidei ſuſpecta eſſe debeat, quot res, quas veriſſimas, certiſſimasque credimus, in dubitationem vocandae, et ex Pyrrhonismo quodam hiſtorico in fabulis fictis numerandae ſint? Et quid cauſſae fuit, quod *Baſnagius* illius teſtimonii AMMIANI, in quod ne minima quidem fraudis ſuſpicio cadere poteſt, ne verbulo quidem meminerit? Neque plus valet huius viri docti ratio *altera*, a ſilentio *Cyrilli Hieroſolymitani* ducta. Haec concludendi ratio ſi in rebus hiſtoricis quidquam valeret: poſſet quis etiam, qui auctoritate literarum ſacrarum in his rebus non vnice acquieſcendum ſibi putet, de fide hiſtorica *infanticidii Bethlehemitici* dubitare, cum nulla eius

u) Hiſtoire des Juifs Tom. quatrieme pag. 125. ſqq. à Rotterdam 1706.

eius mentio a Ioſepho, ſcriptore in rebus, Herodem M. attingentibus, diligentiſſimo, facta ſit: cuius rei cauſſas, quas habere potuerit, inueſtigare ſtudet x) *Innocens Anſaldus*. Neque minus quis dubitare poſſet de nobiliſſima illa *Deſcriptione orbis terrarum Auguſtea*, cum nec huius mentionem fecerit Ioſephus. Sed non eſt, quod diutius his *Baſnagnii* ratiunculis conuellendis immoremur, cum non vereamur, ne quemquam magnopere ſint moturae. Aeque leues ſunt contra hanc narrationem dubitationes *Nath. Lardneri* in *Collectione Vett. Iudaicorum et Gentilium teſtimoniorum pro Religione chriſtiana*, quarum et cenſura acta, et vanitas conuicta eſt in S. R. Erneſti Bibl. Theol. T. IX. p. 596. ſqq.

Reſtat, vt de argumentis, quae idem Iulianus pro Religionis chriſtianae praeſtantia nobis ſuppeditat, paucis diſputemus.

Iam primum, in huius generis argumentis ponendum putamus hoc, quod Iulianus, quamuis maligne et impie de Scripturae S. diuinitate et ſentiat, et loquatur: tamen eius praeſtantiam agnoſcere coactus eſt, cum varia, eaque praeſtantiſſima praecepta, quae magnam vim habent ad pietatis, omnisque omnino virtutis ſtudium et concitandum, et alendum, ex ea hauſta, ſupreſſo tamen eius nomine, laudet, iisque, veluti gemmis ſplendidiſſimis ſcripta ſua hinc inde diſtinguere ſoleat. Scilicet Iulianus, vt *Iac. Godofredus* l. c. veriſſime dicit, vbique Chriſtianorum ſimiam agere inſtituit, non transfuſis ſolum in Gentilismum ſuum plerisque Chriſtianorum ritibus, ſed decerptis etiam e ſacro Codice praeſtantiſſimis dictis. Operae pretium fuerit, vnum et alterum afferre. Eo loco y), vbi Gentiles ſuos ad benignitatem erga omnes omnino homines

x) In Vindiciis Herodiani Infanticidii, Brixiae 1744.

y) In Fragm. Orat. et Epiſt. p. 290. Κοινωνητέον τῶν χρημάτων ἅπασιν ἀνθρώποις, ἀλλὰ τοῖς μὲν ἐπιεικέσιν ἐλευθεριώτερον.

mines cohortatur, vtitur cohortatione, quam luculentiſſime apparet, e ſacrarum literarum veluti fonte eſſe hauſtam. *Benigne*, inquit, *mortalibus omnibus facere nos oportet: ſed in probos liberaliores.* Quis hic non agnoſcit praeſtantiſſimum illud praeceptum [z]) Paullinum? Et mox [a]): *Dicam amplius, etſi praeter communem opinionem id eſſe videatur, etiam inimicis ipſis veſtes et alimenta largiri, fas iuſtumque eſt.* Egregium ſane, et doctore chriſtiano dignum praeceptum! Sed quis non ipſe videt, Iulianum et hic colorem duxiſſe ex [b]) notiſſimo illo praecepto Paullino? Paucis interiectis idem [c]), *Cognati ſumus omnes ex vno et vna, atque ita e duobus hominibus multi et multae profluxerunt.* Cui, haec legenti, non ſtatim obuerſantur animo illa [d]) Paullina, *Deus ex vno homine omne genus humanum propagauit?* Huius generis plura, in Iuliani reliquiis hinc inde ſparſa, animaduertere curioſus lector poteſt: quae ſi omnia hic congerere vellemus, rem ſuſcepturi eſſemus ampliorem, quam pro anguſtis terminis, quibus hanc Proluſionem includendam, circumſcribendamque putabamus. Sed hic mihi videor audire vnum aliquem acutulum philoſophaſtrum, eundemque infeſtum Religionis chriſtianae aduerſarium, qui clamet, haec praecepta Iulianum non e ſacris literis hauſiſſe, ſed vel e ſcriptis Gentilium, luce diuinarum literarum non colluſtratorum, petiiſſe, vel *κατὰ συγκυρίαν* quandam idem, quod

z) Galat. 6, 10. Ἐργαζώμεθα τὸ ἀγαθὸν πρὸς πάντας, μάλιστα δὲ πρὸς τοὺς οἰκείους τῆς πίστεως.

a) In Fragm. Orat. p 290. Φαίην ἄν, εἰ καὶ παράδοξον εἰπεῖν, ὅτι καὶ τοῖς πολεμίοις ἐσθῆτος καὶ τροφῆς ὅσιον ἂν εἴη μεταδιδόναι.

b) Ἐὰν πεινᾷ ὁ ἐχθρός, ψώμιζε αὐτόν· ἐὰν διψᾷ πότιζε αὐτόν.

c) In Fragm. Orat. p. 292. Συγγενεῖς γενόμεθα πάντες, εἰ μὲν ἐξ ἑνὸς καὶ μιᾶς, ἐκ δυοῖν ἀνθρώπων ὄντες πολλοὶ καὶ πολλοί.

d) Actor. 17, 26. Ἐποίησεν (ὁ Θεὸς) ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν γένος ἀνθρώπων.

quod ſcriptores ſacri, protuliſſe. Sed *primo*, oſtendat mihi iſte acutulus, in quo Gentilium ſcriptore, Seneca v. c. aut M. Antonino Philoſopho, haec praecepta, et ita quidem, inueniantur, vt ipſis fere verbis ſcripturae ſacrae oraculis reſpondeant. *Secundo*, fac, tale quid in ſcriptis etiam Gentilium reperiri: tamen tibi probandum eſt, id ab ipſorum ingenio, animoque profectum, nec e ſacris literis mutuo eſſe ſumtum. Nam neque Senecae, neque Antonino ita ignota eſſe potuerunt in ſacris literis tradita praeſtantiſſima illa praecepta doctrinae, qua mores hominum ad omnem virtutem, humanitatemque finguntur, quin vel legendo, vel fando certe cognoſcere, atque adeo ex iis riuis prata ſua irrigare poſſent. *Tertio*, quis animum inducat, vt credat, Iulianum haec, huiusque generis alia, e Gentilium potius ſcriptis, quam e ſacris literis mutuo ſumſiſſe, cum non ſolum a tenera inde aetate in iis veluti innutritus, ſed ab earum lectione etiam adhuc recens eſſet? Sed; quo luculentius id appareat, et efficiatur, quod volumus: age, alia Iuliani loca afferamus, quae docent, haec ipſius praecepta egregia e ſacris literis eſſe hauſta. De praeſtantia Religionis chriſtianae, et ipſorum Chriſtianorum moribus, omni laude, et imitatione digniſſimis, vide mihi, quam praeclara, et honorifica teſtimonia, quamquam inuidus et obtrectans, ferat. Et primo quidem, quid de Chriſtianorum benignitate, et liberalitate praedicet, iuuat audire. Eo loco e), vbi de officiis, et virtutibus, ſacerdoti maxime neceſſariis, exponit, inter alia tradit haec: *Humanitatis argumentum eſt, ſi ſacerdos vel ex modico libenter pauperibus impertiat, et liberaliter communicet, ac quamplurimos ſua liberalitate complecti ſtudeat. Ad hanc enim partem maiori quadam attentione opus eſt, vnde remedii aliquid afferatur. Etenim, quoniam ita contigit, vt paupe-*

e) In Fragm. Orat. p. 305. Τῷ φιλανθρώπῳ, εἰ καὶ ἐξ ὀλίγων ἐυκόλως κοινωνεῖ τοῖς δεομένοις, καὶ μεταδίδωσι προθύμως. κ. τ. λ.

pauperes ſacerdotibus neglectui eſſent: hoc animaduerſo, nefandi GALILAEI in id humanitatis genus incubuerunt. - - Sic iſti ob ea, quam vocant, AGAPE, et conuiuio, et f) *ſtudio eleemoſynae colligendae, et in pauperes diſtribuendae (eſt enim, vti FACTVM ipſum, ita vocabulum FREQVENS,) incipientes* g), *fideles ad Deorum cultum, impietatemque perducunt.* Egregium ſane teſtimonium et argumentum pro Religione chriſtiana, Chriſtianorumque diſciplina, quae in benignitate, liberalitate, munificentiaque cernebatur, Iuliano vel inuito expreſſum! Neque minus idem facit Iulianus alio loco, vbi Chriſtianis Antiochenis exprobrat hoc h): *Vnusquisque veſtrum permittit vxori, vt omnia GALILAEIS largiatur: quae vbi pauperes facultatibus veſtris ALVERVNT, egregium impietatis* (immo vero *pietatis* debebas dicere ὦ θαυμάσιε,) *pauperibus, quorum plerique ſunt hominum, documentum praebent.* Haec omnia autem ei vel inuito extorſiſſe veritatis vim, quam ſupprimere, quamuis vellet, non potuit, luculentiſſime intelligitur ex illa lectu digniſſima i) Epiſtola ad Arſacium, Galatiae Ἀρχιερέα, in qua animi ſui ſenſa, nullis ſimulationis integumentis inuoluta, Arſacio ſuo ſimpliciſſime aperit. Nam in ea Epiſtola, vbi dixerat,

f) Male hic, vt ſaepe etiam in variis N. T. locis factum eſt, διακονίαι τραπεζῶν redditum eſt *miniſterium menſarum*, cum ſit *cura eleemoſynae colligendae, et in pauperes diſtribuendae.* Vid. quae de huius cognatarumque vocum vſu diximus in Obſeruat. Flauian. ad Actor. VI, 1.

g) Vox πιστὲς de mendo mihi ſuſpecta eſt. Legendum ſuſpicor πλείστους, *quamplurimos*, vt in Miſopog. p. 363. in eadem re: ἔστι δ' εἶμοι τοιοῦτον τὸ γένος (ſc. τῶν δεομένων.) ΠΑΕΙΣΤΟΝ ἀνθρώπων.

h) In Miſopog. p. 363.

i) Hanc Epiſtolam, ſeorſim Sedini 1729. 4. editam, et erudito Commentario a Petr. Zornio illuſtratam eſſe, ab Alb. Fabricio in Luc. Euangel. didici: cuius nanciſcendae facultatem mihi fieri non potuiſſe, doleo.

rat, quod Religio Gentilium nondum, prout velit, et optet, procedat, eius rei cauſſam haerere in iis, qui eam profiteantur, ita pergit [k]): *Quid cauſſae eſt, cur non conuertamus oculos ad ea, quibus impia GALILAEORVM religio creuerit, id eſt, ad BENIGNITATEM in peregrinos, ad CVRAM ab illis in mortuis ſepeliendis poſitam, et ad SANCTITATEM vitae, quam ſimulant,* (ſcilicet tu hoc noras, animorum quippe perſcrutator, Iuliane!) - - *Sacerdotem quemque hortare, ne accedat ad ſpectacula, neue in taberna bibat, neue artem aliquam, aut opificium turpe et infame exerceat.* - - *Turpe profecto eſt, cum nemo ex Iudaeis* (h. e. Chriſtianis) *mendicet, et impii GALILAEI non SVOS modo, ſed NOSTROS quoque ALANT, noſtros auxilio, quod a nobis ipſis ferri debeat, deſtitui. Quare doceto Gentiles, in eiusmodi caritatis officia praeſtanda PECVNIAM CONFERRE.* En teſtimonium perquam honorificum, Chriſtianorum diſciplinae ab ipſorum hoſte capitali datum! En argumentum plane egregium pro praeſtantia Religionis chriſtianae, e cuius diſciplina hoc virtutis ſtudium, et exercitium eſt profectum! Cf. in hanc rem longum iſtud Orat. ſeu Epiſtolae fragmentum a p. 288-305. eo conſilio ad Pontificem, neſcio quem, ſcriptae, vt doceret, quales ſe praeſtare deceat Pontifices cum domi, tum foris vita et moribus. In hoc fragmento multa ſunt, vt iam *Petauio* obſervatum, quae a Gentilibus, ad imitationem Chriſtianorum, etſi non diſerte vbique nominatorum, vult obſeruari. Multa alia, eaque perquam laudabilia, Chriſtianorum inſtituta Iulianum voluiſſe transferre ad Gentilismum ornandum, et amabiliorem, venerabilioremque reddendum, niſi infauſta illa nece fuiſſet praeuentus, [l]) Gregor. Nazianzenus et [m]) Sozo-

k) Epiſt. 49. p 429. ſq. Ἑλληνισμὸς ὅπω πράττει κατὰ λόγον ἡμῶν, ἕνεκα τῶν μετιόντων αὐτὸν. κ. τ. λ.

l) Στηλιτευτικ. ά. fere ſub fin.

m) H. E. V, 16.

Sozomenus teſtantur. Quid? quod n) alio loco inſcius praeſtantiae Religionis chriſtianae teſtimonium perquam honorificum praebet, cum dicit, *qui inter Chriſtianos praecipue emineant, eos adeo feruidos* h. e. religionis ſuae retinendae, et propugnandae tam tenaces *eſſe, vt mortem pro ea ſubire, omnemque inopiam et famem perferre ſuſtineant.* Ipſius veritatis vis hoc praeclarum teſtimonium ei expreſſit. Nam quis mentis tam emotae ſit, vt pro ea Religione, quae non ſolum nihil bonorum terrenorum oſtendit, ſed potius omnia, quae humanae naturae perquam acerba, moleſta et terribilia ſunt, denunciat, vt pro ea, igitur, Religione et libere profitenda, et fortiter defendenda non ſolum omnium rerum inopiam, famemque perferre ſuſtineat, ſed vitam ipſam profundere non dubitet, niſi eius veritatem, diuinitatem, atque adeo praeſtantiam tam certo cognouerit, eiusque vim diuinam in animo ſuo ita ſenſerit, vt omnia potius abiicienda, quam eam relinquendam ſibi, eiurandamque putet? Neque tam retuſi ingenii Iulianus erat, quin cognouiſſet, quanta eſſet ſacroſanctae Religionis noſtrae praeſtantia, et quantam vim in animis hominum, malitia inueterata non penitus induratorum, flectendis haberet. Eo conſilio omnes Chriſtianorum doctores, quorum inprimis opera et ſtudio Gentiles ad Religionem chriſtianam perduci cognouiſſet, quauis ratione perſecutus expetebat. Cuius quidem odii ſui atrocitatem erga hos doctores diſſimulare non potuit, cum in o) quadam Epiſtola ita ſcriberet: *Etſi nihil de aliis ſcribis: tamen de illo DEORVM HOSTE ATHANASIO ſcribere ſaltem debuiſti. -- Teſtor magnam Sarapin*, (quam venerandum, et tremendum Numen teſtaris, Iuliane!) *niſi ante Calendas Decembres inimicus Deorum hoſtis ex ea vrbe, vel potius ex vniuerſa Aegypto*

n) Τὰς δυσσεβείας χολῇ προσχόντας ὅτῳ διαπόρους, ὃς αἱρεῖσθαι μὲν ὑπὲρ αὐτῆς ἀποθνήσκειν, ἀνέχεσθαι δὲ πᾶσαν ἔνδειαν καὶ λιμὸν,

o) Epiſt. 6. ad Ecdicium, Praefectum Aegypti p. 376.

pto diſceſſerit: centum auri pondo - - multatum iri. Permoleſtum mihi eſt, eius opera Deos omnes contemni. Equidem ex tuis fabulis nullum libentius videro, quin audiero, quam ATHANASIVM ILLVM SCELESTVM ex omnibus Aegypti locis pulſum eſſe, qui auſus eſt in meo regno FOEMINAS GRAECORVM (ſ. Gentilium) *illuſtres ad BAPTISMVM impellere.* Idem Athanaſius, pluribus Iuliani edictis Epiſcopatus Alexandrini ſede eiectus, cum aliquo tempore poſt, multorum deſideriis, precibusque flagitatus, redux iterum Epiſcopatus ſedem occupaſſet: hic Imperator, ea re vehementer irritatus, in p) quodam ad Alexandrinos Edicto ita ſcribit: *Audiui Athanaſium, hominem audaciſſimum, ſolita audacia delatam Epiſcopatus ſedem - - iterum occupaſſe. Quare eum iubemus vrbe excedere eo ipſo die, quo humanitatis noſtrae literas acceperit. Quodſi in vrbe manſerit: longe maiores, grauioresque ei poenas denunciamus.* Et q) alio loco non obſcure ſignificat, *ſe Athanaſium*, ſcripturae ſacrae interpretem, *Alexandria, et tota Aegypto eo nomine eieciſſe, quod, tradenda doctrina chriſtiana, multos a Gentilium ſuperſtitione auocatos, ad Religionem chriſtianam amplectendam commouiſſet.* Et in eadem Epiſtola non diſſimulat, hunc Athanaſium perquam inuiſum ſibi eſſe, *quod* vel cum ipſo vitae periculo *ſuſtinuerit, chriſtianam Religionem libere profiteri, aliosque docere.* Ea ipſa de cauſſa, quia ſibi, Gentilismoque ſuo ab hoc Athanaſio, qui magno tum in honore et gloria erat, magnopere timebat, ne eius opera Religio chriſtiana indies laetiora caperet incrementa, nullis precibus populi Alexandrini, qui et ardorem ſuum, doctrinae chriſtianae capita, ſacrarumque literarum interpretationem cognoſcendi, et vehementiſſimum deſiderium, Athanaſium ſuum, quam primum Epiſcopatui ſuo redditum, videndi, Iuliano ſignificarat, perpelli potuit, vt huic ſollerti, ſtrenuoque doctrinae chriſtianae et doctori, et defenſori facultatem, Alexandri-

p) Epiſt. 26. p. 398. q) Epiſt. 51. p. 435.

andriam redeundi, concederet, vt ex eadem Epistola intelligi potest. Cf. de huius Athanasii electione, et post necem Iuliani insecuto reditu, ab Imperatore Iouiano concesso, magnaque exinde inter Alexandrinos exorta laetitia r) *Pagius.* Vnde autem istud capitale Iuliani odium in Athanasium? nempe inde, quia intelligebat, Religionem christianam, si tam sollertis, tamque indefessi sacrarum literarum interpretis, Religionisque christianae defensoris fortissimi opera Gentilibus cognita fuisset reddita, indies maiora et laetiora incrementa, ob diuinam suam vim, praestantiamque, capturam esse, et Gentilismi reliquias sensim, sensimque extinctum iri. Neque vero alia de caussa eos christianorum doctorum libros sublatos, penitusque extinctos volebat, in quibus Religionis christianae veritatem et praestantiam tradi, et contra Gentilium impudentissimas calumnias defendi vel sciebat, vel suspicabatur. Hunc animi sui sensum simpliciſſime aperit s) aliquo loco, cum ita scribit: *Hoc mihi priuatim beneficium dabis*, vt *Georgii* (de quo vid. Sozomenus H. E. V, 7. et Socrates H. E. III, 2. sq.) *scripta omnia reperienda cures.* — — *Multa erant apud illum de impiorum Galilaeorum doctrina, quae velim penitus EXTINCTA.* Cf. de eiusdem Georgii bibliotheca, cuius nanciscendae desiderio magno Iulianus tenebatur, Epist. 36. p. 411.

Haec fere sunt argumenta pro veritate et praestantia Religionis christianae, quae in Iuliani reliquiis obseruauimus. Dubium non est, quin, si integri eius VII libri, contra sacrosanctam Religionem nostram scripti, superstites ad nos peruenissent, aut fragmenta saltem eorum omnium in Confutatione Cyrilli extarent, plura in hanc rem afferre potuissemus. Sed ex ipsa Confutatione haud obscure colligi potest, Cyrillum non longe vltra primum Iuliani librum confutandum esse progressum. Nam Libro iam VIII.

 p. 261.

r) Critic. Baron. T. I. p. 498. sqq.
s) Epist. 9, ad Ecdicium p. 378.

p. 261. ita Iulianum loquentem introducit, vt lectorem ad librum ſuum ſecundum remittat, et quae Cyrillus refutauit, pleraque non niſi V. T. loca attingunt. Huius rei ſuſpicio mihi iniecta eſt, legenti ipſius Iuliani verba apud Cyrillum l. c. Poſtea vidi, eandem huius rei ſuſpicionem ſubortam eſſe t) *Io. Alb. Fabricio*, emunctae naris viro. Caeterum, ſi quis hucusque e Iuliani reliquiis allata animo curioſo, praeconceptarumque opinionum veluti vinculis non impedito, perpenderit, is, non dubito, quin, his locis omnibus probe conſideratis, rationibusque ſubductis, ſummam cogitationum ſuarum facturus ſit hanc, vt ſibi perſuadeat, cum ipſe Iulianus, acerrimus Chriſtianorum hoſtis, et coecae, maleque ſanae ſuperſtitionis erroribus captus, idemque philoſophus ingenii non retuſi, pro ſacroſancta Religione noſtra, quam vel ingenii acumine, vel doctrinae ſubtilitate, vel animi malitia, vel dicacitatis acerbitate, vel denique calumniandi rabie oppugnatam concutere et euertere ſtuduit, inuitus et coactus tam varia, atque ea praeſtantiſſima argumenta ſuppeditet: hanc Religionem ab ipſo Deo auctore eſſe profectam, atque vnam eſſe veram.

P. P. in Illuſtri Moldano ipſis Calend. Septembr. A. R. S. cIↃIↃCCLXX.

t) In Delectu Argument. et Syllabo p. 102.

XV.

PROLVSIO DE FELICI THEOLOGIAE ET LITERATVRAE CONNVBIO.

CLEMENS ALEXANDR. Lib. I. Stromatt. pag. 277. Edit. POTTERI p. 326.

Οὐκ οἶμαι ἄτως εὐτυχῆ γεαφήν τινα ἡγεῖσθαι, ἢ μηδεὶς ἀντεῤεῖ.

Ante hunc annum cum *de argumentis pro veritate et praeſtantia Religionis chriſtianae, collectis e Iuliani reliquiis,* exponeremus, et deteſtandi iſtius Edicti Iulianei mentionem faceremus, quo Doctores chriſtianos a publico in Scholis docendi munere remotos, penitusque excluſos voluit, eosque ingenii, doctrinaeque monimenta Homeri, Heſiodi, Demoſthenis, Herodoti, Thucydidis, omniumque omnino ſcriptorum veterum, e quibus humanior, elegantiorque doctrina peti poſſit, interpretationis luce colluſtrare vetuit: meminimus promittere, nos alio tempore de hac Iuliani arte, callidiſſima illa, reique chriſtianae perniciosiſſima, eſſe contra nouellae iſtius ſapientiae, ſi diis placet! auctores diſputaturos, qui, omnis fere humanioris, ſiue, vt ipſi ſignificantius exprimunt, *profanae* doctrinae rudes, atque adeo magnifici contemptores, maleuolique obtrectatores, cum in ſcriptis, infauſto partu effuſis, tum in circulis iuuenum effutire ſuſtinent, *literarum profanarum doctrinam*

Christianam vel ad Atheismum, vel ad Paganismum ducere. Quod nomen tum contractum dispungere iam, et breuibus ostendere constituimus, quam noxium istud, reique christianae pestiferum et capitale fuerit Edictum, et quam male, quam inique hodie literarum humaniorum hostes agant, qui earum studium omni occasione, siue oblata, siue captata dissuadere, et quodammodo infamare studeant. Quod priusquam facimus, in gratiam tironum, et quibus opus est, paucis dicendum est, quo istud Edictum Iulianeum spectarit, cum multi viri docti eius vim non satis perspexisse, minus dilucide saltem docuisse videantur. Nam communis fere opinio eorum est, vt dicant, istius Edicti sententiam fuisse hanc, vt non solum Iulianus vetaret, Doctores christianos cum aliqua stipendiorum, priuilegiorumque vsura humanas literas docere, nisi fidem christianam eiurassent, sed etiam hanc, vt iuuentutem christianam ab iis discendis arceret. Iam, quod ad primum illud attinet; in dubitationem adduci nec potest, nec debet, cum non solum Scriptores Ecclesiastici, sed ipse AMMIANVS MARCELLINVS (Lib. XXII, p. 222. Edit. Vales.) id tradat, cum ita: *Illud autem erat inclemens, obruendum perenni silentio, quod arcebat docere magistros Rhetoricos et Grammaticos, ritus christiani cultores.* Neque vero istud Edictum Rhetores et Grammaticos solum, sed Medicinae Professores etiam a publico docendi munere excluserit, vt docet Gothofredus loco mox citando e CHRYSOSTOMI Homil. XL. in *Iuuentinum* et *Maximinum.* Alterum autem illud quod attinet, Iulianum nempe vetuisse, iuuentutem christianam Scholas Gentilium frequentare, literasque humaniores discere; etsi SOCRATES (Lib. III, 12.), SOZOMENVS (Lib. V, 18.), THEODORETVS (Lib. III, 8.), aliique ex isto Edicto coniectura ducti colligi volunt: tantum tamen abest, vt cum aliqua veri specie ex eo probari possit, vt potius Iuliani consilio magnopere adversetur,

verſetur, cuius potius intereſſet, iuuentutem chriſtianam Scholis doctorum gentilium operam dare, cum ſpera-ret, futurum eſſe, vt iſtorum doctorum ſtudio permoti, orationisque veneficiis decepti ad Gentilium ſacra per-ducerentur. Ipſam Iuliani Legem de Medicis et Profeſſoribus (Tom. V. Cod. Theodoſ. Edit. Gothofredi), quamuis callidis et ſubdolis verbis ſcriptam, non obſcure intelligitur, hoc conſilio datam eſſe, vt Chriſtianos penitus a publico docendi munere excluderet, cum *Magiſtros ſtudiorum, doctoresque excellere moribus primum* dicat, quos mores haud dubie in ſuis Gentilibus, non in Chriſtianis eſſe, ſibi perſuadebat. Conf. ad hanc legem Gothofredus, qui de hac re *πάντα περὶ πάντων*. Hoc immane Iuliani Edictum poſtea ſuſtulit Valentinianus L. VI. de Medicis et Profeſſoribus, qua Chriſtianis iuſtis veluti vindiciis ius in Scholis publice docendi reſtituit, nulla mentione Edicti illius Iulianei facta. Iſtud autem Edictum Iulianeum quamuis lene videretur, et quamuis ſpecioſam huius conſilii ſui cauſam iſte perfidus Apo-ſtata praetenderet: tamen, ſi non verba, ſed rem ipſam conſideres, facile intelliges, quidquid illius Edicti fuerit, id non niſi eo ſpectaſſe, vt craſſae ignorantiae, barba-rieique tenebris Chriſtianiſmo offuſis, Religionis chri-ſtianae fundamenta ſenſim, ſenſimque labefactarentur, labefactataque funditus euerterentur. Scilicet hic mali-tioſe callidus Imperator ingenii non tam obtuſi erat, quin perſpiceret, ſi literarum graecarum, omnisque omnino doctrinae humanioris ſtudium inter Chriſtianos refrixiſ-ſet, ipſique auctores veteres, qui omnis elegantioris do-ctrinae fontes et ſunt, et habentur, e manibus eorum excuſſi iacerent neglecti: breui futurum eſſe, vt, accu-rata literarum ſacrarum intelligentia, et interpretatione amiſſa, Chriſtiani ingenium, ſtudiumque ſuum ad res vanas tractandas, nugulas metaphyſicas, ſubtilitates dia-lecticas, contortas ratiunculas, et alia ingenii, otio luxu-

bitationibus contra eius diuinitatem, armis, vel a ratione, vel a literatura humana petitis, contra doctrinam christianam pugnarent: quid magis conueniens, quid magis necessarium erat, quam hoc, vt, quibus armis sacrosancta Religio nostra esset petita, iisdem contra hos quidem hostes defenderetur, et contra omnes omnium aduersariorum impetus, insultusque integra, et inconcussa conseruaretur? In quo quidem dubium non est, quin antiqui illi rei christianae Antistites multo plus vidisse censendi sint, quam vnus et idem alter Doctorum theologiae purorum putorum germanicorum hac nostra aetate, qui, ipsi linguarum doctarum, doctrinaeque liberalioris rudes, id studiose agunt, vt ne theologiae studiosi vnum aliquem librum, latine scriptum, legant aut intelligant. Nam, vti est, ita veteres rei christianae Antistites existimabant, neminem neque in sacris literis interpretandis, neque in confutandis aduersariorum cauillationibus feliciter versari posse, nisi ad eam rem attulisset ingenium, omnium fere literarum humaniorum flumine inundatum, diuturnoque interpretandi vsu subactum. Conf. in hanc rem MABILLONIVS de *studiis Monasticis* P. I. p. 179. sq. Et haec causa fuit, quare in humanioris doctrinae auctoribus legendis multum temporis, studiique antea ponerent, cum ita existimarent, se ea re non magnam solum doctrinae variae copiam, sed interpretandi etiam facultatem esse consecuturos. Nam non temere sibi persuadebant, veterum auctorum diligentem et lectionem, et interpretationem esse quoddam praeexercitamentum, et quandam veluti meditationem ad sacras literas eo melius et intelligendas, et interpretandas. Et CYRILLVS quidem (L. I. c. Iulian. p. 10. Edit. Lipsi.) tradit, Mosen, adhuc iuuenem, omni doctrina, et sapientia Aegyptiorum imbutum esse, subiungens, *οἷόν τι προγύμνασμα τῶν θειοτέρων ἐποιεῖτο τὰ ἀνθρώπινα*, h. e. *vt vteretur humanis literis veluti praeexercitamento*

tamento aliquo ad ſacras eo felicius tractandas. PHILO de *Vita Moſis* Lib. I. p. 83. Edit. Mangaei, vbi de inſtitutione Moſis exponit: Διδάσκαλοι εὐθὺς ἀλλαχόθεν ἄλλοι παρῆσαν· οἱ μὲν ἀπὸ τῶν πλησιοχώρων, καὶ τῶν κατ' Αἴγυπτον νόμων αὐτοκέλευστοι. Recte, et literis ſacris conuenienter Actor. 7, 22. Cf. omnino ad hunc Actorum locum de Sapientia Moſis Clement. Alexandr. Stromatt. L. I. P. I. p. 413. Edit. POTTERI. Quod autem ibidem PHILO addit, οἱ δ' ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος ἐπὶ μεγάλαις δωρεαῖς μεταπεμφθέντες, id, licet etiam CLEMENS ALEXANDR. illum ducem ſecutus, tradat: tamen eſt falſiſſimum. Impingit enim manifeſte in temporum rationem, vt iam doctiſſimo MANGAEO ad h. l. obſeruatum, cum illa aetate literarum ſtudia apud Graecos nondum florere coepiſſent. Ipſi Cyrillo quantum profuerit diligens graecorum Poëtarum, Hiſtoricorum, Philoſophorum et Oratorum lectio ad repellenda, et contundenda tela, a Iuliano in Religionem chriſtianam iacta, nemo ignorare poteſt, niſi qui in ſcriptis eius legendis hoſpes et peregrinus eſt. Noſtra quoque aetas infelici quodam fato magnum hominum prouentum tulit, Iuliani ſimilium, qui ſacroſanctae Religionis noſtrae fundamenta quauis ratione, quibusuis machinis concutere, et ſubruere conantur, non diſſimiles illis, quos depingit CLEMENS ALEXANDR. Lib. I. Stromatt. p. 279. Πολὺς ὁποῖος δὲ ὄχλος· οἱ μὲν αὐτῶν ἡδοναῖς δεδωλωμένοι, ΑΠΙΣΤΕΙΝ ἐθέλοντες, γελῶσι τὴν ἀπάσης σεμνότητος ἀξίαν ΑΛΗΘΕΙΑΝ, τὸ βάρβαρον ἐν παιδείᾳ (leg. παιδιᾷ) τιθέμενοι· οἱ δέ τινες, σφᾶς αὐτὺς ἐπαίροντες, διαβολὰς τοῖς λόγοις ἐξευρίσκειν βιάζονται, ζητήσεις ἐριστικὰς ἐκπορίζοντες, λεξειδίων θηράτορες, ΖΗΛΩΤΑΙ τεχνυδρίων, ἐριδαντέες καὶ ἰμαντελικτέες. *Magna eſt turba huiusmodi hominum,* veritatem impugnantium: *ac eorum aliqui voluptatibus mancipati, veritatem, omni veneratione dignam,*

irri-

*irrident, barbariem habentes ludibrio: alii semet ipsos efferentes, calumnias verbis inuenire contendunt, contentiosas nectentes quaestiones, dictiunc*ularum *venatores, minutularum quarundam artium aemulatores, litigatores, iurgiorumque consarcinatores.* Contra hos doctrinae christianae hostes quis non intelligit arma adhibenda esse, e vario doctrinae apparatu deprompta? Sapientissimo sane, eoque saluberrimo consilio maiores nostri instituerunt hoc, vt in scholis bene constitutis iuuenum ingenia, secundum initia doctrinae christianae rite, et accurate tradenda, inprimis lectione et interpretatione graecorum, latinorumque auctorum continerentur, alerentur et acuerentur. Neque vero in ea re spectarunt hoc, vt vulgo, sed ridicule, putant, vt pueri et iuuenes *bonum stilum scribere,* aut *miserabile aliquod Exercitium graecum elaborare* discerent, sed hoc, idque inprimis secuti sunt, vt, praeter Historiae, Geographiae, Antiquitatum, rituum, et linguarum doctarum cognitionem, maxime necessaria intelligendi Veteres adiumenta, sensim, sensimque adsuescerent facultati rite interpretandi, matureque discerent, sonos verborum a rebus ipsis distinguere. Neque minus prudenter iudicasse censendi sunt in hoc, quod huius rei initium et periculum fieri voluerunt non in libris sacris, sed profanis. Nam in his minus periculosum est peccare, quam in sacris: et si quis, in profanorum scriptorum interpretatione diu exercitatus, longo vsu aliquam rite interpretandi facultatem assecutus fuerit, tum vero licet praecepta, et obseruationes, diuturno vsu, diligentique animaduersione factas, transferre et adhibere ad literarum sacrarum interpretationem. Quodsi quis secus egerit, et nullo vsu, veteres auctores interpretandi, exercitatus, tamen ad sacras literas interpretandas accedere sustinuerit: non prudentius sane aget, eo, qui tironem militem statim in aciem ducere, et acerrimae pugnae obiicere, ac tum demum

medita-

meditatione campestri, et ludicra, imaginariaque pugna exercere velit. Historia Ecclesiastica, grauissima huius rei testis, docet, a literarum humanarum cultura, sanoque interpretandi studio puritatem, sinceritatemque sacrarum literarum pendere. A sexto inde seculo, quo ignorantia, barbaries, et, quae eius assidua, et infausta comes est, coeca superstitio ingenia, animosque hominum occupasset: bone Deus! quam misera fuit literarum diuinarum conditio! quam deploranda sors! quam ieiunae, quam pueriles, ridiculaeque Scripturae Sacrae interpretationes ab ignorantia prolatae sunt! Bene Lutherus in Epistola, nunquam satis laudanda, etsi semper laudetur, scripta ad Magistratus Ciuitatium Germaniae *de erigendis et constituendis Scholis* T. XIX. p. 339. Edit. Lipsi. *Experientia testata est, et etiamnum testatur;* (quantum sc. linguarum, doctrinaeque humanioris cognitio ad doctrinam Euangelicam sincere retinendam faciat:) *nam simulac a temporibus inde Apostolorum linguarum studium refrixerat: magis, magisque Euangelium, Fides, omnisque Christianismus decreuit, vsque dum sub dominatione Papae penitus interiit, et ab eo inde tempore, quo linguae interierunt, male cum Christianismo actum est, multique errores grauissimi, et coeca superstitio e linguarum ignorantia orta est. Contra ea, quia linguae quasi reuiuiscunt: tam splendidum lumen diffundunt, tantumque efficiunt, vt omnis terrarum orbis miretur, et fateri cogatur, nos prope aeque pure, ac sincere habere Euangelium, ac Apostoli habuerint.* Conf. huc GREGORII locum, laudatum *Mabillonio de studiis Monasticis* P. I. c. 2. Cum vero felicissimo illo Seculo XV. ignorantiae, barbarieique caligine dispulsa, serenior lux bonis literis affulsit, et sua veluti vita reddita est: tum vero sana Scripturae Sacrae interpretandi ratio rediit, adeo, vt non temere iudicetur, humaniorum literarum instaurationem viam puriori doctrinae christianae, a tot inde seculis proscriptae,

ptae, iuſtis quaſi vindiciis reducendae muniiſſe atque aperuiſſe. Itaque a repurgatae inde doctrinae chriſtianae temporibus Viri docti ita contenderunt, et etiamnum contendunt, literas humanas cum diuinis arctiſſimo vinculo, et felici veluti connubio eſſe iungendas, adeo, vt, quo quis eſt et harum literarum intelligentior, et de literis ſacris bene merendi ſtudioſior, purioriſque doctrinae retinendae et tuendae curioſior, eo maiori ardore doctrinae humanae culturam cum literarum diuinarum ſtudio copulandam, aliisque commendandam ſibi arbitretur. Et magnus quidem Lutherus noſter quam diligenter linguarum doctarum, omnisque humanioris doctrinae ſtudium et ipſe coluerit, et quam grauiter aliis *) commendarit, luculentiſſime docet cum praeſtantiſſima illa Epiſtola ad Magiſtratus Ciuitatt. Germ. tum ille auro carior Commentarius in Geneſin. Operae fuerit pretium, vnum et item alterum locum, ad rem praeſentem apprime facientem, huc transferre. Ita ille in laudata Epiſtola T. XIX. p. 337. *Sed et hic video, quid poſſis obiicere: vt maxime, inquis, habendae ſint Scholae, quid nobis proderunt linguae Ebraea, Graeca et Latina? Annon poſſumus Biblia in vernaculam noſtram transfuſa legere? Reſpondeo: Iam pridem noueram, nos Germanos non niſi beſtias manſuros. — Si linguarum peritiae non alius eſſet fructus, hoc ſolum ſocordiam noſtram excitare debebat,*

*) MELANCHTHON Tom. IV. Opuſcul. p. 422. *Quam ſaepe, quam grauiter nos Reuerendus D. Martinus ad ſtudium linguarum hortatus eſt, et ipſe quamuis iam SENEX graecam linguam didicit: ac in Ebraea ita elaborauit, vt etiam ſummi apud Iudaeos Rabbini palmam illi concederent. Vidit enim Vir tanto ingenio, doctrina ac iudicio praeditus, quam neceſſaria eſſet Eccleſiae linguarum cognitio, et ad quam vaſtitatem, ac priores tenebras doctrina ſacra reditura eſſet, ſi linguae negligerentur.* Legantur ibi in hanc rem plura.

bat, quod Omnipotentis tam nobile donum ſit, quo Germaniam noſtram hac aetate, cumulata libertate, prae ceteris paene omnibus gentibus donauit. Videmus nimirum, Diabolum per Academias et Monaſteria ſtudiis ſemper fuiſſe reluctatum. An neſcis, quo furore Monachi contra emergentes linguas, ceu haereſin manifeſtam, furant? Siquidem perſpiciebat ille veterator malum, quod regno ſuo linguarum cognitio eſſet illatura, vbi in lucem emerſiſſent, cui multis ſeculis mederi non poſſet. Proinde cum linguis reuiuiſcentibus obſtare non poſſet: cogitat, eas ad PAVCISSIMOS quoque relegandas eſſe, vt tandem per ſe, ſterili PAVCITATE cogente, denuo areſcant, et concidant. — Cum primum emergerent linguae, omnes ignorabant, quo conſilio diuina ſapientia linguas in lucem prodire fineret, donec re comperta videmus, hoc EVANGELII inſtaurandi cauſſa factum eſſe, quod tum adhuc reuelandum erat, vt per hoc Papiſticae dominationis regnum euerteret. — Haec eo dicta ſint, vt intelligamus, nos EVANGELIVM nunquam retenturos eſſe, niſi fiat LINGVARVM auxilio. — Quodſi, nobis ſupine ſtertentibus, quod Deus auertat! per incuriam intereant linguae: timendum eſt, ne Euangelium amittamus, et eo miſeriarum denuo veniamus, vt nec linguam latinam, aut ſermonem patrium recte pronunciare, aut ſcribere poſſimus. Iuuat, in tironum gratiam, et quibus opus eſt, vnum adhuc locum ex eiusdem magni Viri Commentario in Pſalm. XLV. (Tom. III. Opp. Latin. Viteberg. pag. 469.) ſubiungere: *Saepe vos admonui, vt linguam Ebraeam diſceretis. Etſi enim huius linguae nullus alius vſus eſſet: tamen pro gratiarum actione diſcenda erat, quod pars quaedam religionis et cultus Dei ſit, eam linguam docere, vel diſcere, quae ſola, quidquid vnquam diuini eſt, docet. — Quare ſerio vos hortor, ne eam negligatis. Periculum enim eſt, ne Deus hac ingratitudine offenſus priuet nos non ſolum cognitione huius ſanctae linguae, ſed et graecae*

et

et latinae, et totius RELIGIONIS. Quam facile enim ei eſt, excitare BARBARVM aliquem populum, vt hae linguae intereant? Sed praeterquam, quod cultus diuini eſt hoc ſtudium, continet etiam maximam vtilitatem. Si qui aliqui futuri ſunt Theologi, ſicut neceſſe eſt: oportet eos eſſe munitos contra Papam, et aliud odioſum hominum vulgus, qui, cum Ebraeam vocem ſonare didicerunt, ſtatim putant, ſe magiſtros huius ſanctae linguae eſſe. Ibi, niſi nos eam teneremus, nobis tanquam aſinis illudent, et inſultabunt: ſi autem nos quoque muniti fuerimus cognitione huius linguae: poterimus eis os impudens obſtruere. — Scio, quantum mihi profuerit lingua Ebraea contra hoſtes. Quare hac quantulacunque cognitione infinitis aureorum millibus carere nolim. Et vos quoque dabitis operam, qui aliquando docebitis religionem, vt hanc quoque linguam diſcatis, ſi non PECORA CAMPI, et indoctum vulgus haberi vultis, quod editis GERMANICIS LIBELLIS vtcunque Dominicalia, et Catechiſmum docet, etc. Aliorum virorum doctorum cohortationes grauiſſimas ad doctarum linguarum ſtudium collectas inuenies apud Sixtinum Amamam in Anti-barbaro Biblico p. 227. ſqq. Iam, Melanchthoni quantum linguarum doctarum, omnisque liberalioris doctrinae cognitio profuerit vel ad ſacras literas cum recte intelligendas, tum interpretationis luce colluſtrandas, vel ad prauas Scripturae Sacrae interpretationes vanitatis conuincendas, vel ad hoſtilia aduerſariorum purioris doctrinae tela contundenda, quando tot ipſius, tamque diuina ingenii, doctrinaeque monimenta ipſa loquuntur, non eſt, quod multis docendum arbitremur. Quam diligenter idem, et ſtudioſe, quam grauiter linguarum doctarum ſtudium iniunxerit theologiae ſtudioſis h. e. iis, qui Scripturam Sacram et ipſi recte intelligere, et interpretari aliis ſuo tempore velint: cum ex innumeris aliis locis, tum ex hoc (*de breui ratione Theologiae*

logiae discendae T. II. Opp. p. 37.) luculentissime intelligi potest: *Est etiam et ad perfecte intelligendas scripturas, et refutandos haereticos cognitione linguarum opus. Multae enim controuersiae diiudicari possunt, recte cognita natura sermonis et figurarum. Neque tamen de natura sermonis et figuris iudicare poterit quisquam, nisi legerit eloquentium hominum scripta, Ciceronis, Liuii, Vergilii, Terentii, Ouidii, Quinctiliani. Addendi sunt et Graeci, Homerus, Herodotus, Demosthenes, Lucianus. Ad haec accedat stylus, seu exercitium scribendi,* (non *horride, barbare*, et in bonum illum Priscianum *iniurioſe*, sed *latine, pure, eleganter* et *venuste*,) *quae res vel inprimis acuit ingenium.* Igitur tu, bone Melanchthon, etiam *exercitium latine scribendi, vt rem in primis acuentem ingenium*, a literarum sacrarum vel studiosis, vel doctoribus exigis? Hodie plerique hoc ingrato labore se supersedere posse credunt. Nam, vti theologiam germanicis verbis suis popularibus in calamos dictant: ita eiusdem capita praecipua lingua vernacula scriptis tradunt. Et si forte recepti moris vis acerbam, molestamque necessitatem iis impoſuerit, aliquid latine scriptum, in lucem, adspectumque eruditorum emittendi: id dicendi genere tam horridum, barbarum et obscurum est, vt saepe vix hariolando assequi possis, quid auctor dicere sibi voluisse videatur. Venit nuper, Theologi cuiusdam nostrorum, Venerabili adeo Abbatis titulo, et dignitate ornati, liber theologicus, non stodiose quaesitus, sed fato nescio quo oblatus, in manus meas, cuius titulo, mirifico sane, et quodammodo Seraphico, *Theologia ex Idea vitae deducta*, inspecto, animum incessit libido, eum oculis fugitiuis perlustrandi. Bone Deus! quantopere obstupui illius viri et mysticam cogitandi rationem, et miserabilem scribendi stribligínem. Vix lectis aliquot pagellis, ego sic mecum: Hic

Infelix lolium, et steriles dominantur auenae.

Iuuat,

Iuuat, vnum et item alterum locum ex innumeris hic legendum exhibere, vt alii etiam mecum his dapibus fruantur. Eo loco, vbi de proceſſione Spiritus S. exponit, ita ſcribit: *Proceſſio non eſt* exitus *localis*, *ſed aeterno actu hypoſtatico* illuminatiuus, 2 Cor. 4, 6. *vbi ſe creaturis communicat*, diſtinctiuus ſui *pro puritate recipientis. Quatenus fit a Patre, et ab vnigenito diſtinguendus eſt ab* exitu circulari potentiarum ſupramechanicarum, *quae in ſcripturis appellantur os, oculi, nares, manus, digiti Dei. Earum vero exitus eſt* circularis, *vel* rotatio, *et appellatur a Iacobo* rota, *vel* rotatio naturae Iac. 3. *quatenus* per circulares illas potentias ſpiritus naturam actuat, *mouet et ſuſtentat. Hinc differentia proceſſus perſonalis ab exitu potentiarum libere in circulum directarum.* Feciſti probe: indoctior ſum multum, quam dudum. Scilicet, haec ſunt folia Sibyllae, *et his foliis inſcribitur* αἰ αἰ. Sub finem huius praeclari operis theologici Venerabilis ille Abbas inter alias quaeſtiones ſibi ipſi proposuit et hanc, *an hae notiones ſuae Theologicae cum Theologia Breithauptiana conſentiant?* Et cum praeuideat, ſe non quemquam facile habiturum, qui hanc grauem quaeſtionem ſoluat: ſibi ipſe ita reſpondet: *Habent Breithauptianae notiones* odorem fermentalem, aſſimulatorium ſui, inviſibilem. *Is vero in Compendiis aliis parce admodum ſpirat. Referunt ſe Breithauptianae ad aliquod ἄῤῥητον, per prudentiam viri debitam magis* ſpirabile, *quam* viſibile. *Eandem ſagacitatem adhibuit* (παῤ ἐμοίγε κρίτῃ ſatis infeliciter) *D. Bengelius, diſcipulus de temporibus. In meis notionibus* viſibile *eſt aliquatenus, quod in illis eſt* ſpirabile, *ſed illud* ſpirabile *multum deſidero in meis. Si quis tamen* vitam habet in ſe, *illi meae notiones non erunt peregrinae, fragrantius olentes in frigido, quam in calido.* Haec ille ὁ πάνυ. His lectis, quid alii cogitaturi ſint, neſcio: equidem videbar mihi audire Iacobum Boehmium, malum illum ſutorem Goerlicienſem, aut

Numae carmina Saliaria legere, et, depoſito de manibus libro, ſic mecum: λῆροι, λῆροι, δότε μοι Λ. parumque aberat, quin exclamarem: *haec cogitandi, et ſcribendi ratio homines prorſus ex ſtultis inſanos facit.* Turpe ſane eſt, doctorem capitum doctrinae chriſtianae, h. e. rerum, omni veneratione digniſſimarum, ne ſcire quidem, praecipuam dotem, ſummamque virtutem in genere inprimis dogmatico eſſe *perſpicuitatem* h. e. facilitatem intelligendi. Omnibus his DVNSIIS σκοτεινοῖς auctor, ſuaſorque ſim, vt, ſi iuſtam latinae linguae cognitionem ſibi comparauerint, diligenter legant illud omnibus numeris abſolutum atque perfectum Opus Ciceronianum *de Officiis*, exemplar quippe generis dogmatici, ad quod, qui in hac re praeſtare aliquid volunt, ſuam ſcribendi rationem dirigere atque componere debent. Sed vnde digreſſa eſt oratio, eo redeat. Scilicet eramus in eo, vt ſummorum Theologorum noſtrorum auctoritatibus doceremus, quam vtile, quam neceſſarium adeo vinculum Theologiae, et Literaturae, et quam arcte vtriuſque rei ſtudium coniungendum putarint. Neque vero haec opinio recentioribus demum temporibus ingenio quorundam hominum ficta, ſed ipſis fere rei chriſtianae initiis a ratione ipſa profecta, ab omnibus Patribus Eccleſiaſticis propugnata eſt, qui quidem vel in interpretandis ſacris literis, vel in ſacroſanctae Religionis noſtrae hoſtium calumniis repellendis aliquid praeſtiterunt. Honorificum ſane teſtimonium EVSEBII eſt, quod (H. E. 6, 13.) hoc etiam nomine Libris Στρωματέων CLEMENTIS ALEXANDR. tribuit: Ἐν τοῖς Στρωματεῦσι δ' μόνον τῆς θείας κατάςρωσιν πεποίηται γραφῆς, ἀλλὰ καὶ τῶν παρ' Ἕλλησιν, εἴ τι ἄρα ὠφέλιμον ἐδόκει αὐτοῖς εἰρῆσθαι, μνημονεύει, τῶν τε παρὰ τοῖς πολλοῖς δογμάτων, τὰ Ἑλλήνων ὁμῶ καὶ τὰ βαρβάρων ἀναπτύσσων, καὶ ἔτι τὰς τῶν αἱρεσιαρχῶν ψευδοδοξίας εὐθύνων. ἱςορίαν τε πολλὴν ἐξα-

πλοῖ,

πλοῖ, ὑπόθεσιν ἡμῖν πολυμαθῆς παρέχων παιδείας. *In libris Στρωματέων non modo ſententias e Scriptura Sacra collectas paſſim inſperſit, ſed etiam ex Gentilium ſcriptorum libris, ſi quid ab illis commode dictum videretur, ſumſit, cum Graecorum ſimul et Barbarorum opiniones, quae apud multos iactatae ſunt, aperiendo, tum falſos, et commentitios errores eorum, qui haereticorum principes ſunt, vanitatis conuincendo: denique explanationem multiplicis doctrinae, et omnis generis literarum ante oculos Lectorum proponit, vnde copioſa materia nobis ſuppetit prudentiae.* LACTANTIVS Lib. V. Inſtitut. c. 1. *Scientia literarum non modo nihil nocet Religioni, et inſtitiae, ſed etiam PRODEST quam plurimum, ſi is, qui eas didicerit, eſt virtutibus inſtructior, et in veritate ſapientior.* AVGVSTINVS Lib. III. de Doctr. Chriſt. c. 1. *Homo timens Deum, voluntatem eius in Scripturis Sanctis diligenter inquirit. Et — praemunitus ſcientia LINGVARVM, ne in verbis, locutionibusque ignotus haereat: praemunitus etiam cognitione rerum neceſſariarum, ne vim, naturamue earum, quae propter ſimilitudinem adhibentur, ignoret, adiuuante etiam CODICVM veritate, quam ſollers emendationis diligentia procurauit: veniat ita inſtructus ad ambigua ſcripturarum diſcutienda atque ſoluenda.* Operae pretium fuerit, vnum adhuc locum eiusdem Doctoris ex eodem Libro, digniſſimo ſane, qui ab omnibus theologiae ſtudioſis diligenter legatur, in hanc rem afferre. Ita ille: (Lib. II. c. 40.) *Doctrinae omnes Gentilium non ſolum ſimulata et ſuperſtitioſa figmenta habent, quae vnusquisque noſtrum, duce Chriſto, de ſocietate Gentilium exiens, debet abominari et deteſtari, ſed etiam LIBERALIORES DISCIPLINAS vſui veritatis aptiores, et quaedam morum praecepta vtiliſſima continent — quae — debet ab eis auferre Chriſtianus ad vſum iuſtum praedicandi Euangelium. — Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles*

noſtri? Nonne adſpicimus, quanto auro et argento et veſte ſuffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus, doctor ſuaviſſimus, et martyr beatiſſimus? quanto Lactantius: quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, vt de viuis taceam: quanto innumerabiles Graeci? Quod prior ipſe fideliſſimus Dei famulus Moyſes fecerat. Conferant literarum ſacrarum ſtudioſi Lib. II. a cap. 28. vſque ad 40, vbi docetur, quantum adiumenti Hiſtoria, Dialectica, Eloquentia etc. ad ſacrarum literarum interpretationem conferat. Non lubet plura in hanc rem afferre, cum hodierni noſtri Theologi germanici, a doctarum linguarum, omnisque doctrinae liberalioris ſcientia nudi, tam acuti, tam docti, ſi non aliis, ſibi ipſis certe, videantur, vt multo acutius videre, et multo plus Luthero, Melanchthone, aliisque magnis Viris ſapere ſe arbitrentur. Adeo ſibi cum ſpinoſis ſuis ſubtilitatibus metaphyſicis, et foliis Sibyllae placent!

Ipſa ratio ſana docet, ad ſacras literas et recte intelligendas, et rite interpretandas linguas doctas, omnemque doctrinam liberaliorem tantae vtilitatis, tantae neceſſitatis eſſe, vt, qui his ſubſidiis non adiutus, tamen ad Scripturae Sacrae interpretationem accedere ſuſtinuerit, is ſaepiſſime nonniſi mera ſomnia ſua pro dictis Spiritus S. ſit prolaturus, aut proprium verborum diuinorum ſenſum in puerilem Allegoriam ſit conuerſurus: innumera exempla cum veterum, tum recentiorum interpretum, doctarum linguarum, diſciplinaeque liberalioris rudium, luculenter oſtendunt. Vide, quid Lutherus in Commentario in Geneſin (T. I. p. 409. et 544.) de vanitate Allegoriarum, exceptis iis, quas nobis ipſe Spiritus S. oſtendit, in interpretandis ſacris literis iudicet. Conf. eundem p. 637. ſqq. et p. 741. Omnino, nihil facilius eſt ea interpretatione, quae, contemptis linguarum, doctrinaeque ſubſidiis, aliquem ſenſum, non incommodum, nec Analogiae fidei repugnantem, non ex linguarum

guarum recta indole, veriſſimisque obſeruationibus Grammaticis, ſed e quadam coniectandi facultate eruere ſtudet. Haec enim res eſt neque adeo magni iudicii, neque magnae doctrinae, cum vnius fere ingenii felicitati, et cuidam ἐυστοχίᾳ debeatur. Sed quam falſae ſaepe, quam longe a linguae indole abhorrentes interpretationes inde procudantur, cum et res ipſa loquatur, et tot multorum interpretum teſtimonia adſint, non attinet multis demonſtrare. Contra ea, Scripturae Sacrae ſenſum in locis paullo difficilioribus, ope linguarum doctarum, liberaliorisque doctrinae, felicique interpretandi facultate, diuturno vſu comparata, ita eruere, et docere poſſe, vt aduerſariis vel inuitis aſſenſum extorqueas: ea vero res eſt, vti acuti, ſubactique iudicii, et magnae diligentiae, ita doctrinae non mediocris, et lectionis fere infinitae.

Notum illud magni Melanchthonis: *Scriptura non poteſt intelligi Theologice, niſi prius intelligatur Grammatice* h. e. linguarum doctarum ope verus, isque grammaticus ſenſus fuerit inuentus. Lutherus in ſaepius laudata Epiſtola T. XIX. p. 340. cum de vtilitate, et neceſſitate linguarum diſcendarum diſputaſſet, de hac re ita: *Et haec quidem cauſa eſt, quod a temporibus inde Apoſtolorum tam obſcura manſerit Scriptura Sacra, et incerta eius interpretatio, et illuſtratio fuerit. Nam, et S. Patres, vti dictum eſt, ſaepe errarunt, et qui IGNARI linguarum fuerunt, rariſſime conſentiunt.* Et paullo poſt: *Peccatum, et dedecus eſt, nos linguas non diſcere, praeſertim cum nobis Deus ſuppeditet viros, et libros, et omnia, quae ad hanc rem faciunt, et nos quodammodo alliciunt. Quam ſeuere Deus hanc noſtram ignauiam, et ingratum animum vlciſcetur!* Recte Vitringa, vnus e primariis literarum ſacrarum interpretibus, (in Praefat. ad Commentar. in Eſaiam p. 6) iudicat, cum ita diſputat: *In ſenſu grammatico eruendo ob rei difficultatem, et inter-*

pretum dissensiones, maximam proponi difficultatem: eo vero reperto, omnibus etiam imperitis linguarum copiam et facultatem dari, libere, et strenue de singulis caeteris quaestionibus iudicandi, et disputandi. Neque alius sententiae est magnus Lutherus, qui cum alibi, tum in Commentario in Genesin saepe contendit, *non nisi unum sensum verborum Scripturae Sacrae, nempe historicum,* (h. e. vti alibi interpretatur *grammaticum* et *literalem,*) *sectandum esse.* Verissime profecto vterque. Nam cum interpretis cum aliorum, tum diuinorum inprimis librorum cura et diligentia versari debeat in eo, vt, relictis omnibus, in vero sensu, eoque Grammatico, qui vnus est, et proprie dicitur, inueniendo, et tradendo laboret: perquam facile ad intelligendum est, sine accurata doctarum linguarum scientia neque verum sensum, in linguis quidem mortuis, inueniri, neque eius certitudinem demonstrari, neque falsas aduersariorum interpretationes vanitatis conuinci posse. Sine accurata linguarum cognitione omnis interpretatio fluctuetur, et dubia, incertaque vagetur, necesse est. Sapientissime Lutherus in supra laudata Epistola Tom. XIX. p. 339. in hanc sententiam disputat: *Interpretationes omnium Patrum, qui sine linguarum cognitione scripturam tractarunt, quamquam nihil absurdi docent, tamen sunt eiusmodi, vt sermone dubio, et incerto fluctuentur, et tanquam coeci in tenebris titubent, et saepe a Textu aberrent, seque ipsos pio animo suo decipiant.* (Sie machen ihnen oft eine Nase nach ihrer Andacht) Bene quoque Augustinus, qui, etsi graece perparum, ebraice autem nihil didicerat, tamen ingenue fatetur: (de Doctr. Christ. II, 16.) *Doctori christiano, qui quidem scripturam interpretari velit, necessariam esse cognitionem non latinae solum, sed graecae etiam, et ebraeae linguae.* Absque linguarum doctarum iusta facultate si est, de interpretationibus aliorum sine errandi periculo iudicare nunquam poterimus. Bene Lutherus

therus loco paullo ante laudato: *Si iudicandum eſt de aliorum interpretationibus Scripturae Sacrae: facultate linguarum inſtructus ſis neceſſe eſt: quod ſi non eſt, omnis labor eſt irritus.* Quemadmodum autem accurata linguarum doctarum ſcientia de aliorum interpretationibus recte iudicare poteſt, effraenemque licentiam, et libidinem Scripturam Sacram ad praeconceptas, vel male ſanas adeo opiniones ſuas detorquendi coercet: ita earum ignorantia ſaepiſſime non ineptas ſolum, ridiculasque Scripturae S. interpretationes peperit, ſed noua etiam doctrinae capita nobis procudit, vt illud de gemina praedeſtinatione. Recte IO. SCOTVS contendit, *errorem geminae praedeſtinationis e liberalium diſciplinarum ignorantia, et graecarum literarum inſcitia ortum eſſe.* Vid. S. R. Semleri Selecta Capita H. E. T. II. p. 35. Iam, quid dicam de neceſſitate facultatis Criticae, quam tantam in Luthero noſtro fuiſſe, vel ex aureo illo Commentario in Geneſin apparet, vt ſuo iure inter Criticos adnumerari debeat? quid de cognitione hiſtoriae antiquae, cuius ope multis V. et N. T. locis perquam obſcuris lux affundi poteſt? quid de notitia antiquorum rituum, morum, conſuetudinum, Geographiae veteris, Chronologiae, multarumque aliarum rerum, ad intelligendos, interpretationisque luce colluſtrandos libros ſacros maxime neceſſariarum, non, niſi doctarum linguarum ope cognoſcendarum et diſcendarum? Sed iam non lubet, nec vacat, pluribus in hanc ſententiam diſputare, praeſertim cum de hac re iam dudum copioſe ſit, diligenterque a Viris doctis expoſitum. Haec non niſi eo nomine attingere conſultum duximus, vt iuuenum literarum ſacrarum ſtudioſorum, et inprimis noſtrae diſciplinae alumnorum, animos, peruerſarum opinionum veluti veneno nondum infectos, cautione aliqua, et quodam quaſi amuleto, praemuniremus, ne aliorum, qui in magna linguarum doctarum, omnisque doctrinae elegan-

tioris ignorantia, tamen ſibi eſſe aliquid, et multo plus caeteris videre videntur, auctoritate, ratiuncularumque quaſi veneficiis corrumpi ſe, auferrique patiantur. Quod quidem non temere verendum videtur, cum iſti magnifici linguarum, doctrinaeque humanioris contemptores, malignique obtrectatores ad incautos iuuenum animos decipiendos ſatis ſpecioſe ita dictitent: *Spiritum Sanctum ipſum interpretari Scripturam Sacram, eamque non opus habere doctrinae humanae* ſeu (vt ipſi inuidioſius loqui ſe poſſe putant,) *profanae adiumentis: RES eſſe ſectandas, non VERBA.* Hic vero audire mihi videor Papam, Gregorium IX. qui, veritus, ne quis, linguarum doctarum, liberaliorisque doctrinae ope adiutus, impios Eccleſiae ſuae errores, deteſtandasque Scripturae Sacrae interpretationes, ſeu deprauationes potius, vanitatis, impietatisque conuictas deridendas, explodendasque aliis proponeret, omnes, hoc immane flagitium committere conaturos, hac dictatoria voce ab iſto conſilio impio deterrere ſtuduit: *Sine fermento mundanae ſcientiae docendam, et diſcendam eſſe theologiam.* Conf. huc *Mabillonius* in perquam docto *de ſtudiis Monaſticis* Opere P. I. c. 13. Vae igitur tibi *), Paulle, qui in tradendis doctrinae chriſtianae capitibus ARATI, MENANDRI, et EPIMENIDIS, hominum profanorum, auctoritatibus vſus es! Vae vobis, Patres Eccleſiaſtiai, illius

*) CLEMENS ALEXANDR. Stromatt. I. pag. 299 Edit. POTTERI p 350. vbi dixit, Paullum laudaſſe quoddam Epimenidis teſtimonium, haec ſubiungit: Ὁρᾷς, ὅπως ὁ Παῦλος τοῖς Ἑλλήνων προφήταις δίδωσί τι τῆς ἀληθείας, καὶ οὐκ ἐπαισχύνεται πρός τε οἰκοδομὴν, καὶ πρὸς ΕΝΤΡΟΠΗΝ διαλεγόμενός τινων Ἑλληνικοῖς συνχρῆσθαι ποιήμασιν. *Vides, Paullum etiam Poëtis Graecis aliquid veritatis tribuere, neque erubeſcere, Graecorum carminibus etiam cum ad inſtructionem, tum ad PVDOREM QVIBVSDAM INCVTIENDVM vti.*

lius in hac re ſequacibus! Sed prodeat iam contra illum Seruum Seruorum Sanctiſſimum, et contra illos nouellae ſapientiae auctores Lutherus noſter, et, quid ſibi de hac re videatur, dicat. Ita autem ille in Epiſtola ad Magiſtr. Germ. T. XIX. p. 339. *Longe alia ratio eſt puri puti* CONCIONATORIS *ſacri, et Interpretis Scripturae. Concedo, purum putum concionatorem ſacrum habere tot luculenta dicta, vt Chriſtum intelligere, docere, ſancte viuere, et aliis concionem habere poſſit. Scripturam autem tractare, et interpretari, atque pugnare contra corruptores, deprauatoresque ſcripturae, parum doctrinae ille concionator habet. Hoc ſine* LINGVIS *praeſtari non poteſt. Atqui in Eccleſia ſemper eſſe oportet Prophetas, qui Scripturam tractent et interpretentur, et ad pugnandum idonei ſint. Nec ſatis eſt, ſancte viuere, et rite concionari.* Quantum hic diſtat ab illis! Neque vero exiſtimandum eſt, hanc bonarum literarum contemptionem et inſectationem heri, aut nudius tertius demum exortam eſſe: immo vero ipſis fere doctrinae chriſtianae initiis ab Ignorantia et Inuidentia profecta eſt, quod vel ex iſta defenſione CLEMENTIS ALEXANDRINI (Lib. I. Stromatt. p. 278. l. p. 326. Edit. POTTERI) intelligitur, quam ei quorundam imperitorum ignorantia et maleuola obtrectatio expreſſit: Οὐ λέληθέν με καὶ τὰ θρυλλούμενα πρός τινων, ἀμαθῶς ψοφοδεῶν, χρῆναι λεγόντων περὶ τὰ ἀναγκαιότατα καὶ συνέχοντα τὴν πίστιν καταγίνεσθαι· τὰ δὲ ἔξωθεν καὶ περιττὰ ὑπερβαίνειν, μάτην ἡμᾶς τρίβοντα καὶ κατέχοντα περὶ τοῖς ἔδεν συμβαλλομένοις πρὸς τὸ τέλος. *Non me latent ea etiam, quae ab aliquibus, imperite omnia metuentibus, iactantur, qui dicunt, oportere nos in iis verſari, quae ſint maxime neceſſaria, et quae fidem contineant: externa autem, et quae ſint ſuperuacanea, tranſilienda eſſe, quae nos fruſtra conterant in iis, quae ad finem nihil conferant.* Legant harum rerum ſtudioſi ſe-

quentia. Neque vero ego is ſum, qui ignoret, fuiſſe quondam tempus, quo Religio chriſtiana iſtis doctrinae humanae adiumentis opus non haberet. Scilicet hoc tempus fuit illud, quo Spiritus Sanctus, Prophetarum et Apoſtolorum illapſus mentibus, religionis lumen ſpargeret, homines puriſſimis diuinarum rerum radiis colluſtraret, et verum mentis diuinae ſenſum doceret. Cum autem omnis ratio Dei et recte aguoſcendi, et rite colendi, ſalutisque vnius meriti Chriſti beneficio obtinendae ſacris literis conſignata, perfectaque religionis vnice verae forma conſtituta eſſet: conſequens erat, vt omnis rite, et ſine errandi periculo cognoſcendae, et contra aduerſarios feliciter defendendae religionis verae ratio idonea ſacrarum literarum interpretatione contineretur.

Quod cum ſine literarum Ebraicarum, Graecarum, Latinarumque, omnisque omnino doctrinae liberalioris ſcientia iuſta fieri non poſſet, antiquiſſimis iam chriſtianae rei temporibus Doctores Eccleſiae et ſibi ipſis harum rerum adiumenta comparare ſtuduerunt, et ſtudioſis theologiae omni ſtudio comparanda ſuaſerunt, rati nempe, humaniorum literarum, liberaliorisque doctrinae ſtudia eſſe προπαιδεύματα, in quibus antea diligenter exerceri oporteat, quam ad ipſam ſacrarum literarum interpretationem accedas. Conf. in hanc rem CLEMENS ALEXANDR. L. I. Stromatt. p. 292. Iuuat vel vnum AVGVSTINI locum (de Doctrin. Chriſt. IV, 16.) addere, vbi quae de Rhetorices praeceptis, futuro Oratori ſacro neceſſariis, dicit, facile ad alia doctrinae genera transferri poſſunt: *Quisquis dicit, non eſſe hominibus praecipiendum, QVID vel QVEMADMODVM doceant, ſi doctores efficit Spiritus Sanctus: poteſt dicere, nec orandum nobis eſſe, quia Dominus ait:* Scit pater veſter prius, quid vobis neceſſarium ſit, quam petatis ab eo. In vniuerſum iſta abſurda vox, quae, quid-

quidquid vtilitatis ad rite intelligendas, interpretandasque literas sacras e doctrina liberaliori adhiberi possit, improbandum, reiiciendum, damnandumque clamat, est mere hypocritica, pietatisque specie fallax, et non nisi eorum, qui, quod ipsi iuuenes nunquam didicerunt, et nunc senes se discere posse desperant, omnem doctrinam profanam plane inutilem, quin sacris literis noxiam esse inuidiose vbique crepant. Et hi viri, alta quadam, et diuina mente praediti, splendido illo ingenio suo *verba* indigna putant: *res* et *realia* curant et crepant. Sed hi boni *Realistae* magnificique *realium* promissores saepe pro istis *realibus* suis non nisi *verba* dant, et incautioribus bona fide fumum venditant. Habent autem istae *Fanaticurientium* (liceat hoc nouello verbo, istis nouellae sapientiae auctoribus satis conuenienti, vti!) voces, vti alias, ita duas inprimis illecebras, potentesque conciliatriculas dicam? an lenas, *Superbiam*, et *Ignauiam*. Nam et ipsum *Realistae* nomen habet nescio quid magnificum et venerabile apud semidoctam plebeculam, viamque aperit obtorpescenti desidiae, et iuuentutem vocat ad imperitiam ignauiae, ad quam nostra aetas ipsa nimis procliuis est. Res profecto est multo diuturnioris temporis, laborisque maioris et difficilioris, e fontibus ipsis haurire, eosque per linguarum facultatem, et Critices, Grammaticesque disciplinam aliis aperire, cum libri omnis doctrinae plurimi diligenter legendi, excutiendique sint, et singularis attentio, animique aduersio ad minutissima quaeque dimittenda, hoc, igitur, maioris difficultatis est, quam initia et tirocinia theologiae in Compendioli angustias coacta et concluſa intelligere, et fideli pectore imbibere, omnibusque fere interpretandi adiumentis destitutum tamen ad interpretandas sacras literas accedere. Quodsi isti linguarum doctarum, doctrinaeque liberalioris contemptores essent ii, qui nullius fere famae in obscuro abditi ita laterent,

vt

vt ab eorum inepto iudicio nihil incommodi esset timendum: omnes istae maleuolae voces tacito risu, et miseratione essent transmittendae. Cum autem iste doctrinae humanioris contemptus, omnibus omnino, tum sacris inprimis, literis pernicioſus, a viris, in illustri aliquo veluti theatro positis, nominisque claritate conspicuis, publice non solum voce et ore, scriptisque immaturo et infausto partu effusis, ostendatur, et contortis ratiunculis pallietur, sed iuuenibus etiam, sacrarum literarum studiosis, idem sensus erga liberaliorem doctrinam, idem contemptus omni ratione quauis occasione arrepta instilletur: profecto non sedendum, dormiendumque est, sed contra istos humanioris doctrinae osores, auctoresque istius sententiae, ex ignorantia natae, malignitate et inuidentia autem nutritae et confirmatae, velis remisque, vt aiunt, ab omnibus, quibus quidem bonae literae, et sacrae inprimis curae, cordique sunt, pugnandum. Nam, quo maior horum virorum est auctoritas, quo maior fama, et dignitas, et quo doctiores siue sunt, siue habentur, eo altius eiusmodi voces periculosae in aliorum imperitorum, et ad ignauiam procliuium animos descendere solent, qui magis auctoritatis imperio, quam rationis prudentia duci se, regique patiuntur, et compendiariam discendi rationem, quam viam regiam, sequi malunt. Equidem saepe audiui multos, qui, ad acrius linguarum doctarum studium excitati, suam ignauiam ita excusarent, vt dicerent: *Noui vnum, et item alterum doctorem in Academia, quem linguarum doctarum ignorantia adeo non pudet, vt earum contemptum publice prae se ferat: et tamen vir magni nominis, magnaeque famae factus est.* Adeo ignauos multos vnius et alterius viri magna fama, et auctoritas facit! Vt autem magnifici illi linguarum doctarum, liberaliorisque doctrinae contemptores istius contemtus sui aliquam honestatis speciem praetendant: omnia, quamuis inepta, studiose conge-

congerunt, vt, quidquid dixerint, non temere, et maligne, sed vere, et pie adeo dixisse videantur. Nam mox *abusum historiae, et literaturae* crepant, cum ita clamant: *inter mala, quae rem christianam perturbent, ipsum historiae et literaturae abusum numerari oportere:* mox, *abusum historiae et literaturae* esse, vociferantur, quando existimetur, *exploratam doctrinae veritatem, fideique firmitatem omnem per illam humanae eruditionis copiam acquiri oportere.* Sed, vestram fidem! quid tandem est σκιαμαχεῖν, et cum larvis, seu potius suis ipsius somniis pugnare, si non hoc est? Nam quis vnquam mentis tam emotae fuit, vt putaret, aut diceret adeo, *exploratam doctrinae christianae veritatem, fideique firmitatem omnem HVMANAE eruditionis copia acquiri oportere?* Nescio, cuius animi esse dicam, aliis invidiose affingere, quod non, nisi tuo ipsius ingenio, sit fictum. Et quae tandem ista iniquitas est, ob alicuius rei abusum rem ipsam, quamuis praestantem, et necessariam, sublatam velle? Quanto aequius, et sapientius AVGVSTINVS, qui (de Doctr. Christ. III, 12.) *in omnibus talibus*, inquit, *NON VSVS REVM, sed LIBIDO vtentis in culpa est.* Abusus philosophiae quantas turbas saepe in Ecclesia christiana cum antiquis, tum recentioribus temporibus dederit, nemo paullo humanior ignorare potest: et tamen etiamnum studiosi theologiae ad eam, lingua germanica, foliis Sibyllae obscuriori, tradendam ab ipsis bonarum literarum contemptoribus inuitantur et alliciuntur. Vide mihi, quo inuidentia et malignitas saepe homines auferat! Mox iidem boni viri linguas doctas, doctrinamque liberalem *minutias* et *subtilitates* vocant, *quas satis est, a quibusdam, iisque NON ADEO MVLTIS* excoli. Enimuero non timendum est, o boni, ne nimis MVLTI ad has *minutias* animum appellant, cum vel ipsa horum liberalioris doctrinae contemptorum natio suo exemplo

exemplo luculentiſſime doceat, multo difficilioris, moleſtiorisque laboris eſſe, iſtas *minutias* et *ſubtilitates* diſcere, quam ieiunum quoddam, et macilentum theologiae, aut philoſophiae Compendiolum mente comprehendere. Vae autem, de horum quidem ſapientum virorum iudicio, miſeris illis linguarum doctarum, humaniorisque doctrinae magiſtellis, qui in omnibus diſciplinae ſuae Alumnis harum rerum ſtudium excitare debent, excitatumque quauis ratione, de legum praeſcriptarum auctoritate, confirmare et alere tenentur! Sed quare tandem *ſatis eſt*, iſtas *minutias* et *ſubtilitates a quibusdam*, *iisque NON ADEO MVLTIS excoli?* Non viſum eſt, his viris grauibus, alias non niſi meras demonſtrationes crepantibus, vel leuiſſimam eius rei rationem addere. Satis erat, haec effutire. Videamus, an Lutherus noſter huius quoque ſententiae fuerit, vt putaret, *ſatis eſſe*, *linguas doctas*, *aliasque eiusmodi minutias a NON ADEO MVLTIS excoli.* Is autem de hac re loco, ſupra iam laudato, ita: *Cum Diabolus linguis prodeuntibus obſtare non poſſet: cogitat, eas ad PAVCISSIMOS relegandas eſſe, vt per ſe tandem, ſterili PAVCITATE cogente, denuo areſcant, et concidant* *). Quare autem hi viri, alta quadam et diuina mente praediti de his *minutiis* tam abiecte ſentiunt?

*) Non pigebit, his Lutheri verbis adiungere locum e *Mabillonii* Opere *de ſtudiis Monaſticis*, paucorum forte lectione trito: *Diuus* GREGORIVS, *ſeu Author Commentariorum in Libros Regum, quae pro Monachis ſpeciatim elucubrata videntur, egregie oſtendit,* DAEMONEM *praeuidentem fructum, qui etiam ex humaniorum literarum ſtudiis poteſt in ſpiritualibus obtineri, omnem operam adhibere, vt nos ab iisdem retrahat, quatenus impedimento nobis ſit perueniendi facilius ad rerum ſpiritualium intelligentiam: vt* et ſeculari neſciant, et ad ſublimitatem ſpiritualium non pertingant. *Non quia, vt ſanctus*

tiunt? Audi rationem: est enim plane mirifica. Scilicet, qui in his *minutiis*, et *subtilitatibus* tractandis versantur, *verba* tractant, non *res*, *quae vniuersales propositiones tractant, non res indiuiduales.* Sententias loquuntur: mihi quidem hic Oedipo opus est. Nam, boni viri,

Credite, vos nobis folium recitare Sibyllae.

Mox contemptus linguarum doctarum conuertitur in ipsos earum peritos et doctores, cum ita calumniantur: (*dicunt* volebam dicere:) *Vniuerse literatores πολυμαθεῖς, et multarum linguarum periti plerumque potius a memoria, et assiduitate commendabiles sunt, quam ab ἀκριβεία in cogitando, et differendo.* Quod non mirum, ὦ βέλτιστοι: nam isti homunculi non *res*, sed *verba* tantum tractant. Sed nondum satis calumniarum est: addunt benigne, liberaliterque et hoc: *Non omnes, nec plurimi, qui literis graeco-latinis claruerunt, et clarent, boni Christiani facti sunt, aut fiunt.* Nouum, et inauditum crimen, Caesar! sed pace vestra, ὦ θαυμάσιοι, *forte atque non omnes, nec plurimi, qui venerabili vultu induti theologiam profitentur, et infatii Ecclesiae christianae, a Ioanne in Apocalypsi praedictis, exponendis multum temporis et operae consumserunt dicam? an perdiderunt, boni Christiani facti sunt, aut fiunt.* Lutherus quidem indoctam Anabaptistarum cateruam magnopere delectari dicit obscuris libris v. c. Apocalypsi Ioannea, ratione addita hac: *quia ibi somniare quiuis possit, quidquid velit.* Sed totus locus nimis elegans est, quam qui non omnibus huius Prolusionis Lectoribus impertiendus esse videatur. Ita autem ille: (Commentar. in Genesin

T. I.

sanctus Doctor subdit, humaniores literae penes se tantum inspectae, multum conferant ad spirituale aedificium, sed quod in ordine ad sacram paginam (cuius studium animabus iis maxime congruit, quae ad Deum se attollere cupiunt,) potissime iuuant. De stud. Monast. P. I. c. 2. sub. fin.

T. I. Opp. p. 544.) *Noſtris temporibus indocta Anabaptiſtarum caterua nimium quantum delectatur Allegoriis, nec non Monachi: propterea mirifice amant obſcuros libros, vt S. Ioannis Apocalypſin, et vaniloquentiam, et inanem fictionem duorum librorum Maccabaeorum*, addens hoc: *Nam hic quisque FINGAT, quidquid LIBVERIT.* (Denn da mag ein jeder ausdichten, was er will.) Sed cum in elogiis, quae a pio illo hominum genere *ventoſis literaturae iactatoribus*, vti modeſte et vrbane vocantur, tribui ſolent, afferendis verſemur: iuuat vel hoc vnum, ex innumeris aliis, addere: *Non pauci*, inquit illa, pietatis ſpecie fallax, turba, *laudandis gentilibus ſcriptoribus ſe ipſos prodiderunt, quam ILLAVDABILEM* (per λιτότητα dictum, vt iſte *illaudatus Buſiris,*) *mentem habeant.* Num et tu forte, bone Luthere, (vt de aliis nihil dicam,) *illaudabilem mentem* habuiſti, cum vel in vno illo aureo in Geneſin Commentario ſingulis fere paginis PLATONEM, ARISTOTELEM, TERENTIVM, CICERONEM, GELLIVM, LIVIVM, multosque alios ſcriptores gentiles laudabas? Caveatis igitur, Viri docti, qui vltra ſemidoctorum vulgus ſapitis, caueatis etiam, atque etiam, ne ſcriptores gentiles vel ore, vel ſcriptis laudetis. Nam quibusdam viris piis non ducitur religioni, vos vel hoc nomine INDIFFERENTISMI, PROFANITATIS et DEISMI e zelo male ſano incuſare. Aliter ſentit Lutherus, qui in ſupra laudata Epiſtola, vbi de Bibliothecis publice exſtruendis monet, inter alia haec: *Suadeo, eos libros coëmendos, qui faciunt ad LINGVAS diſcendas, vt Poëtas, Oratores, nullo reſpectu habito, PROFANI, an CHRISTIANI ſint, Graeci, an Latini. Nam ex his libris Grammatica* h. e. linguarum doctarum cognitio *petenda eſt.* Conf. AVGVSTINVS de Doctrin. Chriſt. 2, 18. et CASSIODORVS Diuin. Lect. c 17.

Et his quidem honeſtis artibus hi boni viri, a quibusdam, forte non piis hominibus, haud ſcio, quo iure *Fanaticurientium* nomine inſigniti, ſuam linguarum doctarum,

rum, omnisque doctrinae liberalioris ignorantiam aliqua honestatis specie praetendere, et excusare se posse putant. Sed iis *credat Iudaeus Apella, Non ego.* Certissimum sane est, nec vnquam fallax indicium malae causae, quae cauillando, rem peruertendo, homines criminando, et atrocium criminum arguendo defendi solet. Veritas, suis ipsius viribus sustentata, suaeque causae iustae confisa, ista illiberalia et inhonesta auxilia, homine quocunque, nedum Christiano, Theologo inprimis, indigna, non desiderat, immo maximopere auersatur et detestatur. Ipsa Veritas tantam in animis horum omnis literaturae contemptorum habet vim, vt inter ipsas criminationes impudentissimas eam laudare cogantur. Nam Veritatis vis iis testimonium, literaturae perquam honorificum, exprimit hoc, vt vel inviti publice profiteantur haec: *Defectus historiae, notitiaeque et rectae intelligentiae librorum omnis generis, maxime VETERVM, sed et omnium aetatum vehementissime NOCVIT, et etiamnum NOCET doctrinae christianae.* Bene, ac sapienter! scilicet

Πολλάκι καὶ κηπευρὸς ἀνὴρ μάλα καίρια βάζει.

Sed, o boni! debebatis et illud scire, atque addere, neminem in historia neque Ecclesiastica, neque profana cognoscenda facile, feliciterque versari posse, nisi graecis, latinisque scriptoribus diligenter legendis linguae cum graecae, tum latinae magnam facultatem sibi comparauerit. Si quis v. c. historiam Ecclesiasticam, et Antiquitates Ecclesiasticas non e Compilatoris alicuius, male fidi, turbidis riuulis, sed ex ipsis fontibus discere et haurire vult, is prius linguae graecae et latinae magnam facultatem, et linguam scripturae sacrae e graeca, et latina versione cognitam, familiaremque habeat, necesse est, ad quam quippe S. S. linguam loquendi ratio Patrum Ecclesiasticorum imitando conformata est, vti literarum humaniorum studiosi linguae graecae et latinae cognitionem e Gentilium

ſcriptis graecis, et latinis haurire ſolent. Eſt ſane hiſtoriae cum ſacrae, tum profanae tanta vtilitas, tanta neceſſitas, vt, qui eius cognitione non probe tinctus fuerit, non facile docti viri nomen obtinere, tuerique poſſit. Nam, vt de hoc vno commodo, eoque permagno ſane dicam, ab ea nobis firmiſſima ſuppeditantur arma, ad infeſta tela hoſtium Religionis, et ſcripturae ſacrae contundenda et repellenda. Neque hoc ſolum hiſtoria ſacra, ſed profana etiam vetus praeſtat. His armis, ab hiſtoria veteri petitis, inſtructus pugnauit v. c. BENTLEIVS in praeſtantiſſimo illo libro, *la Fripponerie laïque des prétendus Eſprits-forts d' Angleterre*, contra peſtiferum illum COLLINI librum *de libertate cogitandi* ſucceſſu tam felici, vt et ipſum auctorem ad ſilentium redigeret, et eius amicis, admiratoribusque pudorem incuteret. Hiſtoria vetus autem, vti et Eccleſiaſtica quomodo ſine accurata linguarum doctarum cognitione, et Critices etiam facultate rite diſci poteſt?

Sed ipſi bonarum literarum contemptores concedunt, ſiue potius veritatis viribus victi concedere coguntur, graeco-latinis literis inſignem deberi laudem ob vtilitatem, quam Eccleſiae praeſtent. *Pro ea*, inquiunt, *qua nunc eſt Eccleſia, conditione laus INSIGNIS debetur literis graeco-latinis, ſed animaduertendum eſt, quomodo debeatur. Reſtitutis enim his literis VETERES LEGI potuerunt, et INTELLECTVM eſt, quam nullo fundamento corruptelae in Eccleſiam inuectae, ſuperſtitiones, ambitioſa hierarchia, res monaſtica, peruerſitas docendi de omnibus religionis partibus, temeritas inuolandi in Principum iura, furor perſequendi haereticos, et quae ſunt eius generis alia, nitantur etc.* Quam magnifica literarum graeco-latinarum laus! Quam inſigne iis pretium poſitum! *Adeo ipſa veritas, cogente natura, etiam ab inuitis pectoribus erumpit!* Sed quaſi poeniteat, haec dixiſſe, ſeu potius imprudenter effudiſſe: illico retractant illam orationem

tionem ſuam, et παλινῳδίαν canunt iſti literarum graeco-latinarum inimici, cum ſtatim ſubiiciant haec: *Prudentibus autem propterea non in mentem veniet, AC SI* (ita inveni in Textu originali,) *reformatio Eccleſiae, cui via per has literas praeſtructa eſt, per EASDEM contingere potuiſſet.* Sed veſtram fidem! vos apello, literarum graeco-latinarum hoſtes, omnisque barbariei, forte ſuo tempore irrupturae, potentiſſimi, et praeſentiſſimi ἀλεξίκακοι, vos appello, quis vnquam a temporibus inde renatarum litterarum, doctrinaeque chriſtianae, puritati ſuae reſtitutae, tam imprudens et impudens fuit, vt vel cogitare, nedum dicere auderet: *Reformationem Eccleſiae per graeco-latinas literas contingere potuiſſe?* Quodſi habetis, quos nominetis, nominate: et ipſe eos impudentiae, quin impietatis incuſabo.

Sed non habetis; profecto non: πολλᾷγε δεῖ. Quod ego quidem ſciam, omnium, qui in hanc rem diſputarunt, mens fuit haec, vt dicerent, literas humaniores eo etiam nomine commendandas. nobilitandasque eſſe, quod earum inſtauratio, a nonnullis in Italia ſeculo XV. ſuſcepta, viam Religioni puriori reducendae munierit, et prima omnium impotentem Romani Pontificis dominationem labefactarit, atque adeo diligens literarum humaniorum cultura Religioni puriori reducendae, quoad quidem eius inſtauratio a rebus humanis repetenda ſit, quodammodo praeſtruxerit viam. Et hic mihi quisquam tam impudens, aut in concedendo tam pertinax ſit, vt negare, aut dicere contra audeat, hoc eſſe veriſſimum, niſi in hiſtoria cum Eccleſiaſtica, tum Literaria hoſpitem, et plane infantem dici ſe, haberique velit. Bene Lutherus noſter in laudata illa Epiſtola T. XIX. p. 338. *Nemo perſpexit, quare Deus linguis ſuam vitam quaſi reddi voluerit,* (nempe ſeculo XV.) *cum nunc luculentiſſime appareat, id factum eſſe EVANGELII cauſſa, quod breui poſt e ſuis*

quasi cineribus resuscitare voluit, eaque re Anti-Christi regnum, in omnium conspectu positum, euertere. Ea de caussa Graeciam Turcarum dominationi subiecit, vt Graeci expulsi, et hinc inde dispersi, graecam linguam hinc inde secum transferrent, occasionemque praeberent, alias etiam linguas discendi. Haec Lutherus. Audin' tu illum, bone vir, quatenus instauratio bonarum literarum Religioni pūriori instaurandae profuerit?

Lectu dignus etiam in hanc rem est ENGELMANNVS in *vero christiano Religionis zelo* p. 321 sqq. vbi, postequam eorum ignorantiam, temeritatemque iure castigauit, qui, si dictum aliquod scripturae sacrae aliter ab aliquo expositum viderint, ac in *Systematibus*, et *Postillis* suis factum vident; illico *Haereticos*, et *Nouaturientes* (Naſenweiſe) eructant: contra insulsam imperitorum, et superstitiosorum Zelotarum opinionem docet, emendationem linguarum, et doctrinarum ad Religionem, illiusque puritatem tuendam permultum conferre, ita, vt vel conseruetur, vel, si interierit, instauretur: ad Religionem facilius, celeriusque propagandam, et firmius fundandam, et stabiliendam, quoad quidem humana ope praestari possit.

Innumeras alias Virorum doctorum Ecclesiae nostrae auctoritates in hanc rem adducere possemus: sed satias nos cepit istarum *Fanaticurientium* nugularum afferendarum, et explodendarum. Neque attinet, in his rebus, ineptisque opinionibus vanitatis conuincendis otio, et ingenio abuti, praesertim, cum mihi persuasum sit, quidquid odii haec infelix semidoctorum natio, cuius aetas nostra misero fato magnum prouentum tulit, in doctas linguas, omnemque doctrinam liberaliorem effundere, quidquid conuiciorum coniicere soleat, id non de animi persuasione, non ex abiecta de bonis literis opinione, sed longe aliis de caussis, vnicuique viro honesto, christiano autem

autem maxime indignis, fieri. Nam ego quidem quouis pignore contendere auſim, quidquid ab hoc hominum genere, infelici ſane Fanaticorum propagine, in *Literaturam* dicatur, quidquid conuiciorum coniiciatur, id non eo fieri nomine, quo linguarum doctarum vtilitatem, neceſſitatemque non agnoſant, earumque ſcientiam omnibus votis expetendam ſibi non putent, ſed hoc, quia, quod iuuenes non didicerunt, et nunc, ſiue propter aetatis flexum, ſiue propter grauium illorum *Realium* tractationem diſcere ſe poſſe deſperant, id non ipſi ſolum perquam graui, et venerabilis neſcio quid minanti, vultu induti magnifice contemnunt, ſed ſuae diſciplinae ſequacibus etiam contemnendum, ridiculum, et vix vnius aſſis aeſtimandum reddere ſtudioſe conantur. Eſt genus quoddam hominum, qui Graecis eleganter vocantur βαυκοπανῦργοι h. e. *qui ſimulant faſtidire, et contemnere, quod maximopere habere cupiant*, ſimiles quodammodo paraſitis, qui ciborum, quibus ſoli veſci cupiant, nauſeam caeteris iniicere conantur. Saepe enim doctis linguis, et omnibus omnino literis humanioribus accidit, quod bonis vxorculis accidere ſolet, in quas cum diu inuecti ſunt paullo moroſiores, et feruentiores mariti: vltro ſupplicatum ad eas veniunt, illarumque blandis commoditatibus vti gaudent. Nam ſaepe animaduerti, iſtos linguarum doctarum, omnisque liberalioris doctrinae hoſtes capitales, malignosque obtrectatores, quidquid, Lexicorum opem miſere implorando, Indicumque opes impudenter compilando, corradere potuerint, id ſtudioſe arripere, ſuos pannos his adſutis clauis diſtinguere, ſuisque macilentis ſcriptis, veris Epicuri Diis monogrammis, decoris aliquid, ſpeciemque elegantioris doctrinae ſtudere conciliare. Quid igitur cauſſae eſt, inquis, quod hi boni, et pii viri cum publice, tum priuatim in bonas literas tam infeſte inuehantur, earumque magiſtros, et Profeſſores in ſuſpicionem hominum *Profanorum*, et *Deiſtarum* adducere conentur? Quid aliud, quam

deteſtanda illa *Inuidentia*, e qua, tanquam e capite Lernaeae, prorumpunt deformes ſane, et κατάπτυστοι foetus, *Malignitas*, *Inuidia*, *Obtrectatio*, *Calumnia*, et ingens aliorum malorum cohors. Nam, cum nonniſi cum acerbiſſimo doloris ſenſu animaduertant, quosdam, omnem Theologiae ambitum, feliciſſimi ingenii capacitate, ſtudiique aſſiduitate, complexos, et linguarum doctarum, omnisque hiſtoriae cum ſacrae, tum profanae, doctrinaeque reconditioris adiumentis ornatos, maiori cum laude accuratae doctrinae, feliciorique ſcripturae ſacrae interpretandae facultate alios et ore, et ſcriptis docere, eoque nomine non domi ſolum, ſed foris etiam in omnium doctorum ore ferri, et a viris ſummae etiam dignitatis, auctoritatisque in magno honore haberi: tum vero hi ieiuni, et macilenti Compendiolorum Tractatores inuidentia tacti ita ringuntur, vt ilia fere rumpantur, veriti ſcilicet, nec temere profecto veriti, ne, ſi iſtud linguarum doctarum, omnisque doctrinae liberalioris ſtudium latius diffuſum dimanaſſet, et iuuenum, bonarum literarum ſtudia aemulantium, animos cepiſſet, breui de fama ſua, cui ſe ſuperſtites futuros eſſe ipſi timidi dubitant, deque iſto regno ſuo, et pane adeo lucrando actum foret. Hinc iſtae lacrumae: hinc iſte male pius zelus, inuidentia, obtrectatio, cauillatio: hinc iſta conuiciorum plauſtra: hinc iſta male ſana, Deo, hominibusque inuiſa *Profanitatis*, et *Atheiſmi* incuſatio. Quanto aequius, et boni viri, multoque magis hominis chriſtiani, perſona dignius erat, Theologiae ſtudioſos, de auctoritate Lutheri, et Melanchthonis, crebro, grauiterque adhortari, vt mature doctarum linguarum, omnisque doctrinae humanioris facultatem comparare ſibi omni contentione ſtudeant, quam ipſe iuuenis ſiue ob ingenii imbecillitatem, ſiue ob magiſtrorum inertiam, ſiue ob *Realium* tractationem aſſequi non potueris. Non pudeat hoc hominum genus in hac re ſequi Antonium illum apud CICERONEM, (de Orat. 2, 7.) qui, iuuenes ad philo-

ſophiae

ſophiae ſtudium cohortaturus, ſic infit: *Audite, audite: docebo vos, diſcipuli, id, quod ipſe non didici.* Quid? videor mihi hic audire indignabundum clamare vnum aliquem *Fanaticurientium*: Tu vero me ſequi vis exemplum Antonii, hominis profani? Nolo tibi, bone vir, ſtomachum, aut bilem mouere. Sequere igitur exemplum AVGVSTINI, viri de nomine ſaltem tibi cogniti, qui, etſi aliquo loco (de Ciuit. Dei 15, 17.) non obſcure ſignificat, ſe nihil *hebraice* ſcire, et alio (Lib. 2. contra *Petillianum* c. 38.) diſerte dicit: *Ego graecae linguae perparum aſſecutus ſum, et propemodum nihil:* tamen in libris de Doctr. Chriſt. vtriusque linguae ſtudium diligentiſſime commendat, iuuenibusque, graecarum literarum ſtudioſis, grauiſſime iniungit, docens, Textum Originalem ſemper verſionibus eſſe praeferendum. Non autem nouae ſunt, heri, aut nudius tertius demum inuentae, honeſtae illae artes, bonas literas, earumque Profeſſores contemnendi, et cauillandi: ſed perquam antiquae, et non multo poſt initia rei chriſtianae a malo quodam Genio excogitatae, et nimis ſaepe ab *Ignorantia* et *Inuidia*, nobili ſororum pari, adhibitae, ita, vt *inuidia theologica* aeque, ac *odium Vatinianum*, iam dudum abierit in prouerbium.

Omnino ignobile, ſordidum, humile, et plane indignum eſt viro erudito, eoque Chriſtiano, Inuidentiae, Odiique erga alios veluti aeſtu ita concitari, vt dicas, et ſcribas, quod et tuam Profeſſionem dedeceat, aliorumque virorum famam, honeſtis artibus partam, laedat, et iuuenibus, literarum ſacrarum ſtudioſis, ingens ſcandalum praebere poſſit. In iis, qui in ſordido aliquo opificio, et illiberali arte verſantur, vix fertur iſta *panis inuidentia* erga ſui ſimiles: in iis vero, qui in doctrinis longe praeſtantiſſimis, et ore, et ſcriptis tradendis verſantur, quomodo aequo animo ferri poſſit? Non omnibus omnia didiciſſe, et noſſe conceſſum eſt. Admirari ſane diuinam

ſapientiam et hic fas eſt, quod hominibus in tam diuerſis ingenii, animique dotibus diſtribuendis diuerſas etiam facultates et propenſiones indidit conſilio hoc, vt, cum non omnes in omnibus excellere, et eximii quid praeſtare poſſimus, pro ſua quisque et facultate, et propenſione animi, ingeniique vires, et operam in communem vtilitatem conferamus. Conferamus igitur pro ſua quisque facultate quod poſſumus, et in medium conſulamus. Quod ſi factum fuerit ſine alterius inuidentia, et obtrectatione: tum vero in re et ſacra, et literaria totum aliquod efficietur, quod a perfectione, quoad quidem in homines cadit, non multum abeſſe iudicetur. Vtamur, et fruamur grati aliorum dotibus, ingeniique et doctrinae monimentis: et nos etiam aliquid noſtris de copiolis impertiamus aliis, nobisque adeo inuicem ſocias, auxiliatricesque manus amice praebeamus. Quodſi quis in aliquo doctrinae genere prae caeteris excellit: non contemnat, multo minus exagitet alium, in eodem parum, aut nihil videntem, ſed perpendat, alterum in alio quodam doctrinae genere eximii quid praeſtare, in quo ipſe valde hoſpes, et fortaſſe infans ſit, et habeatur. Profecto non bene cum re et ſacra, et literaria ageretur, ſi ſapientia diuina ita conſtituiſſet, vt vnum omnes doctrinae genus, contemptis omnibus aliis, tanquam amaſiam aliquam, expeteremus, et quodammodo exoſcularemur, in eoque vno colendo laborandum nobis omnibus arbitraremur. Nam vno, eodemque doctrinae cuiuscunque genere ſectando et colendo caeterarum artium liberalium ſtudium breui refrigeſceret, ſeu potius plane neglectum iaceret. Omnibus omnino doctrinis ſuus honos tribuendus, ſuum pretium ponendum eſt, et qui in earum aliqua mirifice excellunt, iis ſua laus, ſua dignitas debetur. Eſt aliquis ſiue de ſuo ipſius, ſiue de aliorum iudicio Metaphyſicus acuminis maxime arguti, ſunt eius demonſtrationes mente tam alta et *profunda* confectae, vt omni *fundamento* deſtitutae videantur:

tur: sit per me honestus, et in omnium admiratorum ore feratur. Est aliquis, veluti diuinitus excitatus, sagax, perspicax, et felix in definiendis, et constituendis fatorum euentibus, quae in Apocalypsi Ioannaea Ecclesiae christianae praedicta sunt: per me fruatur ingenio, et otio suo, multosque et admiratores, et sectatores habeat nouarum, earumque abstrusarum, et pro captu aliorum hominum, non aeque forte perspicacium, nimis obscurarum opinionum. Non ego sane is sum, qui ei huius gloriolae speciem, breui forte ipsa vanitate sua euanescentem, inuideat: modo non alios literatos, de alio quodam doctrinae genere immortaliter meritos, contemnat, aut stipites prae se, fungosque habeat, aut Grammaticos et Criticos, vt homines, de *Profanitatis*, aut *Atheismi* crimine suspectos, quauis occasione exagitet atque explodat.

Omnium liberalium artium, et doctrinarum quaedam colligatio, et veluti necessitudo est, nec vlla alterius ope adiutrici carere potest. Mutuo igitur, et veluti sororio amore sese hae artes amplectantur, omnemque inuidentiam, inuidiam, malignamque obtrectationem detestentur, easque sibi, tanquam germanis sororibus, perquam indignas, et indecoras esse arbitrentur. Non inuidiose, et infeste inter se contendat, rixeturque *Theologia*, et *Literatura*; sed sorores se quodammodo habeant, et amicas sibi, adiutricesque porrigant manus. Sed video, me nec opinum in disputatiunculam delapsum, quae vereor, ne vni, et item alteri quorundam hominum stomachum sit, bilemque motura. Ne autem hoc hominis genus, quod

ἐντί γε πικρὸν,
Καὶ οἱ ἀεὶ δειμεῖα χολὰ ποτὶ ξινὶ κάθηται,

irritem, inque me, hominem paullo timidioris animi, concitem: bona fide confirmo, quidquid huc vsque disputarim, id me non eo consilio dixisse, vt cuiusquam fa-

mam laederem, aut vlli iniuriam facerem; (ieiuni enim id esset, illiberalisque ingenii, et a moribus meis valde abhorrens:) sed vt alumnos, doctrinae, disciplinae, fideique meae commissos, hac etiam Prolusione docerem, quam necessarium sit omnium liberalium artium, et doctrinarum vinculum, quam vtile, quam necessarium adeo linguarum doctarum, omnisque omnino liberalioris doctrinae studium, cuius amor non satis mature concitari, alique in animis iuuenum potest, qui ad accuratioris doctrinae laudem adspirent, quam fructuosa denique diligens veterum Graecorum, Latinorumque auctorum lectio iuuenibus, theologiae studio sese consecraturis. Neque vero haec mea vnius sententia est, sed summorum Ecclesiae nostrae Doctorum, Lutheri, Melanchthonis, Glassii, et aliorum multorum, qui supra alios theologos sapuerunt. Quid? quod inter ipsos Ecclesiae christianae doctores, qui venerabili *Patrum Ecclesiasticorum* nomine nobilitantur, multi inueniuntur, qui et ipsi frequentes, diligentesque in graecis, latinisque Poëtis, Historicis, Philosophis, et Oratoribus legendis fuerint, et eorum diligentem lectionem iuuenibus, sacrarum literarum studiosis, magnopere, grauiterque commendandam, et iniungendam putarint. In quibus nunc non nisi vno BASILIO M. a Graecis olim *φωστῆρ τῆς οἰκουμένης* dicto, vtemur, qui in peculiari aliqua Schola, quam discipulis suis habuit, luculenter docet, quam vtilis et fructuosa, quam necessaria adeo sit veterum Graecorum lectio, caute et prudenter instituta, et quantum inde adiumenti theologiae studiosus vel ad sacras literas intelligendas, vel ad aduersariorum calumnias retundendas, vel ad diuinitatem, praestantiamque Religionis christianae eo melius agnoscendam, maiorisque aestimandam auferre possit. Et hanc ipsam rem huius Prolusionis nostrae argumentum, de *Basilii* disciplina, facere, et aliqua interpretationis luce collustrare constitueramus: sed cum animaduerteremus, eam nobis nec

opinis

opinis huius Prolusionis iam magnitudinem esse factam, vt, si illius rei tractationem paullo copiosiorem subiungere vellemus, verendum esset, ne amplior fieret, quam quae huiusmodi Commentatiuncularum finibus includi, coerciue posset: magis consultum nobis videbatur, in eam scholam *Basilii* praestantissimam Commentationis aliquid alio tempore, si Deus dederit, in lucem, adspectumque eruditorum proferre.

Nunc dicendum est, quo consilio ad hanc Prolusionem scribendam accesserimus. Scilicet, cum faustissima illa, et nobis, disciplinaeque nostrae alumnis laetissima instet dies, qua Illustris Moldani nostri, ante hos CCXXI annos aperti, et constituti, et cum maxime singulari quadam Dei O.M. cura prouida indies laetius efflorescentis, memoria grata, piaque mente recolenda est, quaeque nobis de more, a maioribus quasi per manus tradito, necessitatem imponit, Prolusionis aliquid Orationibus quibusdam, publice habendis, praemittendi: rem nos, putabamus, suscepturos esse, neque ab huius diei solemnitate abhorrentem, neque rationibus alumnorum disciplinae nostrae, eorum inprimis, qui theologiae studio sese consecraturi sint, inutilem, neque a muneris nostri professione alienam, si de diligenti linguarum doctarum, humaniorisque doctrinae cultura, cum literarum sacrarum studio coniungenda, quantum quidem angusti Prolusionis fines concederent, disputaremus. Nam, cum de grauissima legum nostrarum scholasticarum auctoritate cautum, sapienterque constitutum, et nobis grauiter iniunctum sit hoc, vt, relictis omnibus animi iuuenum, disciplinae, doctrinaeque nostrae communium, accurata Religionis, doctrinaeque christianae cognitione imbuantur, imbuti ad omnem pietatis, virtutis, honestatisque sensum, amoremque et concipiendum, et alendum, confirmandumque formentur, ingenia autem cum initiis doctrinarum altiorum tradendis

acuan-

acuantur, tum rite et accurate interpretandis veteribus graecis, et latinis auctoribus (in quibus praecipue ISOCRATIS, DEMOSTHENISque Orationes, HOMERVS et HESIODVS nominatim ponuntur,) perpoliantur, hoc, igitur, cum constitutum, nobisque earum rerum magistris grauissime iniunctum sit: quid magis persona mea dignum, quid magis mihi, praeter christianae quidem doctrinae rite tradendae studium, curae, cordique sit, quam omni occasione, omnique ratione disciplinae meae alumnos et voce, et interdum scriptis ad amorem doctarum linguarum, omnisque omnino doctrinae liberalioris concitare, earumque rerum studium concitatum indies magis, magisque alere, atque confirmare? Iuuenes enim nisi mature in scholis, idoneorum magistrorum auctoritate, et opera, veterum auctorum legendorum studio incensi, eorumque dulcedine ita capti sint, vt, hac veluti gustatione inuitati, hos libros per omnem vitam versandos sibi, legendosque putent: profecto, vbi tempus praeteriit, quod angustis curriculi scholastici terminis conclusum coercetur, extemplo omnes istos libros, vt profanos, adeoque inutiles, quin sacris literis pernicioſos, de manibus abiiciendos putabunt. In officiis igitur magistrorum scholae et hoc, idque non vltimum est, vt, quemadmodum disciplinae suae alumnos ad doctarum linguarum studium concitent, earumque vtilitatem, et necessitatem in sacris etiam literis et intelligendis, et interpretandis luculenter doceant: ita contra earum hostes iuratos et capitales, strenuosque horridae barbariei auctores et defensores praestantiam, vtilitatem, necessitatemque doctrinae humanioris defendant, atque propugnent, non quo sperare possint, se rationibus, quamuis grauibus, istos homines a suae opinionis vanitate, et pertinacia dimoturos esse; *) (id enim efficere velle, inanis labor, et quae-

*) Commode huc illa LACTANTII, etsi in alia re, transtuleris: *Siquis erit ille, qui inciderit in haec, si leget, perlegat: si*

quaedam ſtultitia ſit, cum mentes eorum ſuccum ſtultitiae iam imbiberint;) ſed vt iuuentutem, *quae*, auctore LACTANTIO (Inſtitutt. I, 20.) *ſimplex et improuida prius irretiri, et in laqueos cadere poteſt, quam cauere*, integram adhuc, iſtiusque erroris, ipſis literis ſacris pernicioſi, veluti contagione nondum tactam, cautione aliqua, prudentique conſilio praemuniant, et contra omnes iſtas ignaviae illecebras, blandas illas quidem, ſed perquam noxias, tutos praeſtent.

P. P. in illuſtri Moldano a. d. XXIV. Auguſti A. R. S. CIↃIↃCCLXXI.

ſi audiet, ſententiam differat in extremum. Sed noui hominum PERTINACIAM: nunquam impetrabimus. Timent enim, ne reuicti manus dare aliquando, clamante ipſa veritate, cogantur. Obſtrepunt igitur et intercedunt, ne audiant. Lib. V. Inſtitutt. c. 1.

XVI.

PROLVSIO

QVA LECTIO AVCTORVM VETERVM E BASILII M. DISCIPLINA COMMENDATVR.

Superiore anno cum *de felici theologiae et literaturae connubio* exponeremus, ſub finem illius Proluſionis promiſimus, nos alio tempore peculiari aliqua Commentatione eſſe, e BASILII M. diſciplina, diſputaturos, quam vtilis et fructuoſa cum omnium, tum ſacrarum literarum ſtudioſis diligens veterum Graecorum lectio, caute, prudenterque inſtituta, ſit, et quantum inde adiumenti vel ad virtutis ſenſum, amoremque concipiendum et alendum, vel ad diuinitatem, praeſtantiamque religionis chriſtianae eo melius agnoſcendam, maiorisque aeſtimandam auferri poſſit. Quod quidem nomen tum contractum hoc tempore diſpungere conſtituimus, quo fauſtiſſima illa, nobis, diſciplinaeque noſtrae alumnis laetiſſima, dies inſtat, qua Illuſtris Moldani noſtri, ante hos CCXXII annos aperti, conſtitutique et cum maxime ſingulari quadam Dei optimi maximi cura prouida indies laetius efflorescentis, memoria grata, piaque mente recolenda eſt, nobisque, de more, a maioribus veluti per manus tradito, neceſſitas imponitur, proluſionis aliquid orationibus, publice habendis, praemittendi. Rem igitur ſuſcepturos nos eſſe putamus, neque ab huius diei ſolemnitate abhorrentem, neque rationibus alumnorum diſciplinae noſtrae inutilem, neque a muneris noſtri profeſſione alienam, ſi de praeſtantiſſima illa

illa BASILII M. ſchola, de *auctoribus* a) *Graecis cum fructu legendis* hac commentatione exponeremus, et hinc inde illuſtrationis aliquid adſpergeremus. In quo quidem rationem tenebimus hanc, vt non omnia, quae in hanc rem dici poſſint, vana quadam doctrinae putidae oſtentatione ducti corradamus, et cum puluiſculo quaſi euerramus: ſed vt non niſi ſummam rei tangamus, et veluti per tranſennam proponamus ſpectandam, conſilio hoc, vt iuuenes, ſacrarum inprimis literarum ſtudioſi, hac veluti praeguſtatione inuitati et allecti, totum illum libellum, quem leges etiam noſtrae ſcholaſticae inter alios auctores Graecos ſuperioris ordinis alumnis interpretationis luce colluſtrari iubent, cognoſcendum ſibi, diligenterque perlegendum arbitrentur. Caeterum, quod BASILIVS M. de auctoribus Graecis legendis hic diſputat, id latius patet, et ad veteres etiam auctores Latinos transferri et poteſt, et debet.

BASILIVS igitur hanc diſputationem ſuam ita orditur, vt iuuenibus, qui aliquo neceſſitudinis vinculo cum eo coniuncti erant, perſuaſionem afferat hanc, vt credant, ſibi ab hoc doctore, literarum et ſacrarum, et profanarum non imperito, et vſu rerum exercitatiſſimo, diſcipulorumque ſuorum amantiſſimo, nihil dici, tradique poſſe, niſi quod ex ipſorum re ſit, vtilitateque futurum. Quae quidem oratio quo maiorem in animis eorum habeat vim: et ſui in eos amoris beneuolentiaeque paternae commonefacit, et ab iis non minus ſe, ac parentes ipſos amari colique

a) Sic reddidimus vocem Ἑλληνικῶν· quamquam iis refragari nolumus, qui malunt, *de legendis libris* GENTILIVM, quos hodie *profanos* dicunt, praeſertim cum BASILIVS in hoc libello praecepta ſuppeditet, quae ad lectionem auctorum non Graecorum ſolum, ſed Latinorum etiam rite inſtituendam ſpectant: et ſub finem huius ſcholae c. 17. τὰ ἔξωθεν παιδεύματα nihil aliud ſunt, quam praecepta, *a ſcriptoribus gentilibus tradita.*

lique praedicat, non ignarus, quantum huius mutui amoris mentio apud honeſtae, erectaeque indolis adoleſcentes valeat, et quam acres ſtimulos admoueat ad praecepta tam fidelis, prudentisque doctoris prompte, et cum voluptate aliqua ſequenda. Eſt ſane arctiſſimum doctorum, diſcipulorumque vinculum amor mutuus, cuius vis, vti in illis alacritatem, voluptatemque docendi, ita in his diſcendi ardorem, vix dici poteſt, quantopere incendat atque inflammet. Hoc enim doctoris in diſcipulos ſuos amore, adiuncta inprimis comitate, blanda illa animorum conciliatricula, adoleſcentum animi ita capiuntur, vt, niſi ad omnem amoris, humanitatisque ſenſum obduruerint, talem ſibi doctorem ſinceriſſimo amore complectendum putent, eiusque doctrinas et praecepta ſtudioſiſſime in vtilitatem ſuam, veluti certamine facto, conuertere contendant. Hic diſcipulorum iſ doctorem ſuum amor, hic ardor diſcendi incenſus eo magis, veluti nutrimento quodam, alitur, ſi in eo, vti in hoc BASILIO, eſt auctoritas, h. e. inſignis quaedam opinio, quam alii de ipſius virtute, honeſtate, doctrina, aliisque dotibus et virtutibus amabilibus habent. Nam qui his artibus (*media* vulgo, ſed barbare, vocant,) magnam aliquam auctoritatem ſibi, famamque comparare ſtudent, ſi vel in circulis hominum, vel in ſcriptis ſuam tantum doctrinae ſubtilitatem venditant, ſuaque magna, neſcio quae, merita crepant, alios doctos autem, ingenio, multisque in Eccleſiam, remque publicam literariam meritis vere venerabiles, vt viros beatae memoriae, expectantes iudicium, maligne et inuidioſe tangunt, eorumque ruinis famae ſuae veluti immortalitem ſuperſtruere ſtudent, ii popularium ſuorum aſſenſus vanitate mirifice quidem delectari poſſunt, doctioribus vero et prudentioribus deridendos ſe, explodendosque propinant. Huius ieiuni, malignique animi BASILIVS non fuit, nec his artibus turpibus, homineque liberalis ingenii, nedum chriſtiano, perquam indignis, vtendum ſibi putauit. Lon-

ge

ge enim abeſt, vt enarratores poetarum Graecorum, aliorumque ſcriptorum gentilium interpretes dictis mordacibus petat, profanasque literas, vt vanas, literisque ſacris perniciosas adeo contemnat, quod ſuo iam tempore multos, piae ſimplicitatis inſcitia deceptos, feciſſe, inter alios GREGOR. NAZIANZENVS auctor eſt, qui in Orat. XXX. (T. II. p. 496. ex edit. et interpretatione LEVNCLAVII,) laudibus BASILII M. defuncti celebrandis habita, ita: *Eruditio inter humana* bona principem locum tenet. *Non de hac noſtra ſolum, et nobiliore eruditione loquor, ſed etiam de externa* (profana), *quam vulgus Chriſtianorum PRAVO QVODAM IVDICIO vt inſidioſam, et periculoſam, et a Deo procul auertentem adſpernatur*; quos quidem magnificos literarum humanarum contemptores poſtea ſecuta eſt iſta monachorum turba, ignauo, illiteratoque otio dedita, et vana pietatis ſpecie fallax, quae et ad craſſam ſuam omnis humanioris doctrinae ignorantiam defendendam, et ad odium, inuidiamque bonis literis faciendam crebro, ſed perquam inepte, et ridicule illud PAVLLI, *litera occidit: ſpiritus autem viuificat*, ſolebat crepare. Longe abeſt BASILIVS, vt doctrinae ſuae alumnos eo nomine reprehendat, quod quotidie praeſtantiſſimis Graecorum auctorum interpretibus operam dent, vt potius hoc diſcendi genus magnopere laudet, eorumque rationibus maxime fructuoſum eſſe contendat. Hoc autem ſtudium, quod interpretibus Graecorum auctorum diligenter audiendis impendebatur, vti vehementer probat et commendat: ita adoleſcentes ſuos non ſolum docet, quomodo in audienda interpretatione, et lectione inſtituenda horum auctorum cum fructu verſari, ſed etiam quomodo huius rei ſtudium ad faciliorem literarum ſacrarum intellectum adhibere et poſſint et debeant. Nam totum hoc ſtudium, in profanis auctoribus legendis poſitum, vult eſſe veluti praeexercitamentum quoddam ad ſacrarum literarum tractationem. Et hoc BASILIVS innuit, cum ſine

vlla arrogantiae vanitate dicit, se suo ipsius studio aliquid inuenisse, quod ipsorum rationibus multo conuenientius et fructuosius sit: quod quale sit, in sequentibus docebit. Sed iuuat ipsum audire in ipso huius scholae limine: Μὴ θαυμάζετε, εἰ καὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν εἰς διδασκάλους φοιτῶσι, καὶ τοῖς ἐλλογίμοις τῶν παλαιῶν ἀνδρῶν, δι' ὧν καταλελοίπασι λόγων, συγγινομένοις ὑμῖν, αὐτός τι παρ' ἐμαυτῷ λυσιτελέστερον ἐξευρηκέναι φημί. *Nolite admirari, si dico, me vobis, scholas interpretum auctorum Graecorum quotidie frequentantibus, et cum viris doctissimis ope scriptorum, quae reliquerunt, consuescentibus, meo ipsius ingenio, studioque aliquid inuenisse, quod vtilius sit, et fructuosius.* Per ἐλλογίμους BASILIVS non alios intelligit, quam poetas, oratores, philosophos et historicos veteres, magnam ingenii, doctrinaeque famam consecutos, quorum et interpretationem, et lectionem, prudenter institutam, iuuentuti, sacrarum etiam literarum studiosae, adiumenti multum, vtilitatisque afferre posse, liberaliter fatetur. Quod autem dicit, se vtilius quid, praestantiusque inuenisse, quod discipulis suis tradere velit: id ita accipi vult, se viam et rationem iis ostendere velle, qua cognoscant, quid in illa cum interpretatione, tum lectione veterum Graecorum sequi, quid fugere debeant, ita vt, quae minus honeste, bonisque adeo moribus noxie dicta sint, ea detestanda, et fugienda, contra ea quae recte, honestatique conuenienter tradita sint, et quae aliquam vim habere possint ad sensum virtutis instillandum alendumque, ea studiose sectanda et imitanda sibi putent. In quo quidem non facile erit, quin fateatur, hunc doctorem sapienter, salubriterque iuuenibus consuluisse. Nam, vt vere LACTANTIVS, (Lib. V. Institutt. c. 1.) *In hoc philosophi, et oratores, et poetae pernicioſi* (sc. sine adhibita cautione lecti) *sunt, quod incautos animos facile irretire possunt suauitate sermonis, et carminum dulci modulatione currentium.* Alterum BASILII in hac schola consilium fuit hoc,

vt

vt iuuenes doceret, qua ratione humanioris doctrinae adiumenta, e lectione illorum auctorum comparanda, ad faciliorem sacrarum literarum intelligentiam, religionisque Christianae praestantiam agnoscendam, eoque maioris aestimandam adhiberent. Hoc duplex consilium BASILIVM secutum esse, e tota hac disputatione illius luculentissime apparet. In quo aequitatem et *popularitatem*, vt CICERO (ad Attic. 12, 6.) Atticum eo sensu φιλόδημον s. *popularem* vocat, quod nihil non discendum sibi, magnique faciendum putaret, etiamsi in rebus tenuibus et minutis cerni videretur, eam, igitur, huius doctoris *popularitatem* admirari et praedicare fas est, qui cum et ipse literarum sacrarum esset studiosissimus, peritissimusque, et alios ad earum studium grauissime adhortaretur, tamen iuuenes, sacrarum literarum studiosos, a Graecorum auctorum lectione, veluti omnis profanitatis fonte, adeo non auocabat, vt potius eorum scripta legenda iis commendaret, ita tamen, vt viam, rationemque traderet, qua in iis legendis cum fructu versari et possent, et deberent. Graecorum auctorum diligentem lectionem et exinde redundantem vtilitatem valde commendat, salubri tantum admonitione adiuncta hac: b) *ne iuuenes his auctoribus animi sui, tanquam cuiusdam nauigii, gubernacula tradant, nec, quo ducant, sequantur, sed sectentur, quod vtile sit, et discant, quid reiiciendum sit.*

His praemissis, et declarata immensa illa praestantia aeternae illius vitae prae hac caduca: (C. 1 et 2. Edit. Lipsi.) grauiter discipulis suis c) iniungit hoc, vt, quaecunque ad

b) Μὴ δεῖν εἰς ἅπαξ τοῖς ἀνδράσι τούτοις, ὥσπερ πλοίῳ, τὰ πηδάλια τῆς διανοίας ὑμῶν παραδόντας, ᾗπερ ἂν ἄγωσι τούτῳ ἕπεσθαι, ἀλλ' ὅσον ἐστὶ χρήσιμον αὐτῶν δεχομένους, εἰδέναι τί χρὴ καὶ περιδεῖν.

c) Ἃ μὲν οὖν ἂν συντελῇ πρὸς τοῦτο ὑμῖν, ἀγαπᾶν τε καὶ διώκειν παντὶ σθένει χρῆναι φαμέν· τὰ δὲ μὴ ἐξικνούμενα πρὸς ἐκεῖνον ὡς μηδενὸς ἄξια παροράν.

accuratam ſacrarum literarum intelligentiam, ad colendae virtutis ſtudium excitandum et confirmandum, ad perfectiorem illam vitam aeternam conſequendam conferre aliquid poſſint, ea omni contentione ſectanda ſibi, et comparanda arbitrentur, contemptis omnibus rebus humanis, vt vanis, fluxis, caducis, non niſi vana ſpecie imperitorum, ſtolidorumque hominum oculos praeſtringentibus, nihil ſolidi, nec quod vera admiratione, aeſtimationeque dignum ſit, habentibus, v. c. generis claritate, nobilitatis excellentia, diuitiarum magnificentia, ampliſſimorum honorum ſplendore, aliisque eiusmodi rebus vanis, quae ſaepe etiam ſtultiſſimis et indigniſſimis obtingant. Egregia ſane doctrina, iis inprimis, qui munus iuuentutis erudiendae et formandae in ſe ſuſceperunt, magnopere commendanda, grauiterque iniungenda. In officiis, vnicuique eorum, quorum curae, fidei, inſtitutionique puerorum, adoleſcentumque ingenia polienda, et animi fingendi, formandique et priuatim, et publice commiſſi ſunt, nullum fere grauius, nullum magis neceſſarium eſt, quam hoc, vt aetas adhuc tenera, qua animi nondum imbuti ſunt iis opinionibus et cupiditatibus, quae aduerſantur ſenſibus piis et honeſtis, et impediunt, quo minus tales ſenſus recipiantur, amentur, et magis, magisque confirmentur, vt haec aetas, igitur, rectis, nobilibusque ſenſibus imbuta, mature diſcat, de rerum humanarum pretio recte iudicare, quae vim aliquam ad hominum vel tranquillitatem animi et felicitatem, vel miſeriam et perniciem habere poſſint. Qua quidem re vera ſapientia, vera prudentia doctoris metienda et cenſenda eſt. Magiſtri igitur eſt, crebris ſermonibus et praeceptis ſuorum diſcipulorum animos his ſenſibus imbuere, vt ſibi perſuaſum, mentique penitus infixum habeant hoc, veram hominis Chriſtiani et dignitatem, et felicitatem non a rebus caducis et fluxis, oculosque et animos imperitae plebeculae capientibus, comparandis, fruendisque proficiſci, ſed religione, vera in Deum pietate,

virtu-

virtutis ſtudio, recte factorum conſcientia, integritate vitae, magnificentia animi, officiis, Deo et hominibus publice, et priuatim ſincero animo praeſtandis, et eiusmodi aliis virtutibus niti, et vnam eſſe, eamque veriſſimam nobilitatem non generis, ſed animi, quae non naturae neceſſitati, fortuitaeque naſcendi ſorti, ſed virtutis praeſtantiae debeatur. His egregiis et honeſtis ſenſibus ſi iuuenum animi mature imbuti, et crebris ſermonibus, doctrinisque indies magis, magisque confirmati fuerint: neque alios felices praedicabunt, et admirabundi, venerabundique eo nomine adſpicient, quod commendatione ſumoſarum imaginum maiorum ſuperbi incedunt, aut aedificiorum, ſuppellectilisque magnificentia exſplendeſcunt, aut magnarum opum ſplendore, ambitioſaque comitum turba ſtipati popelli oculos, animosque capiunt, aut magnificis honorum titulis condecorati aetatem in excelſo agunt, neque contra ea eos miſeros aut contemnendos habebunt, qui naſcendi ſorte in humilem conditionem demiſſi, paupertatisque onere preſſi viuunt, vno verbo, nihil admiratione, nihil vera veneratione, nihil nomine verae felicitatis dignum exiſtimabunt, niſi quod religionis, veraeque erga Deum pietatis ſtudio, celſitudine animi, libidinum, pravarumque cupiditatum imperio, aliarumque virtutum amabilium gratia ſeſe commendat: nihil in miſeriarum numero ponent, niſi contemptionem ſacroſanctae religionis, ignorantiam rerum diuinarum, pernicioſos errores, vitiorum foeditatem, tyrannidemque effrenaram cupiditatum, quibus qui nexi, mancipatique viuunt, quamuis multis imperare videantur, tamen veri ſerui et ſunt, et de omnium ſapientum iudicio habentur. Haec ſi magiſter omni occaſione, qua inciderit ſermo de rebus humanis, v. c. de generoſa et nobili ſtirpe, de opibus, honoribus, aliisque rebus, ſplendore, ſpecieque fallaci oculos et animos decipientibus, docuerit, et de iis vel contemptim, vel cum aliqua ἀδιαφορίᾳ ſ. indifferentia, e ſono vocis, et vultu

adeo apparente, locutus fuerit, contra ea vbi de religione, rebus diuinis, virtute, magnificentia animi etc. dicendi locus fuerit, ita loquatur, vt reuerentia, admiratio, amorque harum rerum in iuuenum animis gignatur, haec, igitur, si magister mature crebroque proposuerit, et iniunxerit: eiusmodi sensus nobiles et honesti teneris animis sensim insti labuntur, qui crebra, et diligenti harum rerum cogitatione, veluti alimentis suppeditatis, in dies magis, magisque confirmati corroborabuntur. Neminem poenitebit legisse, quae IO. AVG. ERNESTI, ὁ Θαυμάσιος, pluribus in hanc rem egregrie, vt omnia, disputat in praestantissima illa *de disciplina christiana* Disputatione p. 14. sqq.

His praemissis, BASILIVS (c. 3.) contendit, [d]) perfectioris illius vitae rationem, viamque consequendae vnice nos docere scripturam sacram, sed per sensum [e]) paullo obscuriorem, et intellectu difficiliorem, qui quo facilius percipiatur, consultum putat, monere, prius humanas doctrinas esse discendas, ratus, eas esse quaedam veluti praeexercitamenta et adiumenta ad literas sacras maiori cum fructu legendas, intelligendas, faciliusque interpretandas. Ea de caussa auctor, suasorque suis est, vt cum poetis, oratoribus, aliisque scriptoribus Graecis familiariter consuescant, vnde praecepta salubria ad cultum conformationemque animi haurire possint. Eos in hac re imitandos esse, praecipit, qui et manuum motu, et saltu in ludo exercitati postea in certaminibus ex ista meditatione magnam vtilitatem reportent. Nam, etsi rectissime contendit, ad felicissimam illam vitam futuram nos non, nisi magistra, et duce scriptura sacra duci: tamen ingenue fate-

d) De *βίῳ τελείῳ* vid. CASAVBONI Exercitt. Anti-Baron. II, 41.

e) Εἰς δὴ τοῦτον (*βίον τέλειον*) ἄγουσι μὲν ἱεροὶ λόγοι, δι' ἀποῤῥήτων ἡμᾶς ἐκπαιδεύοντες· ἕως γε μὴν ὑπὸ τῆς ἡλικίας ἐπακούειν τοῦ βάθους τῆς διανοίας αὐτῶν οὐχ οἷόν τε, ἐν ἑτέροις - - προγυμναζώμεθα.

fatetur, multa in ea esse intellectu difficilia, et obscura, quae non facile, nisi luce humanioris doctrinae affusa, expediri, intelligique possint. Cum autem nobis Christianis, promissum illud aeternae vitae βραβεῖον aliquando consecuturis, propositum sit certamen, idque omnium certaminum maximum, cuius caussa omnia pro virium facultate cum labore et suscipienda, et peragenda sint: monet, ad huius rei grauissimae praeparationem et meditationem familiariter consuescendum esse cum poetis, aliisque scriptoribus gentilibus, e quibus aliquid commodi et ad ingenium excolendum, et ad animum, honestatis sensu conformandum peti possit. Et quemadmodum qui tingere velint, prius id, quod colore aliquo inducendum sit, omni modo praeparent, et postea colorem purpureum, vel alium quemcunque superinducant: sic et sacrarum literarum studiosos, dicit, vbi f) prius humanis doctrinis exculti, et veluti initiati fuerint, tum demum ad sacra illa profundioris sensus dogmata scrutanda accedere debere, veluti qui antea solem in aqua conspicere soliti sint, mox ipsam illius lucem oculis intuituros.

Hac disputationis parte confecta, instituit (C. 4.) docere, profanam doctrinam adeo non obesse sacrae, vt haec potius ab illa saepe magnopere adiuuetur, resque paullo obscuriores illius luce collustrentur. Quod quo facilius iuvenibus persuadeat, vtitur in hanc rem auctoritate Mosis et Danielis, quorum alter Aegyptiorum, alter vero Chaldaeorum doctrinis fuerit imbutus. Et Mosen quidem, ait, non prius ad Dei, rerumque diuinarum contemplationem accessisse, quam ingenium doctrinae Aegyptiacae cultu perpolitum exacuisset. Sed quomodo mentem suam BASILIVS explicet, paullo luculentius ostendamus. Et pri-

f) Τοῖς ἔξω δὴ τούτοις ΠΡΟΤΕΛΕΣΘΕΝΤΕΣ, τηνικαῦτα τῶν ἱερῶν καὶ ἀποῤῥήτων ἐπακουσόμεθα παιδευμάτων. καὶ οἷον ἐν ὕδατι τὸν ἥλιον ὁρᾷν ἐθισθέντες, οὕτως αὐτῷ προσβαλοῦμεν τῷ φωτὶ τὰς ὄψεις.

mo quidem docet, si qua sit inter gentilium scriptorum dicta, et scripturae sacrae praecepta conuenientia: eius rei cognitionem perquam vtilem esse atque fructuosam; sin nulla sit, eam tamen contentionem, et comparationem, inter scripturae S. dogmata, et illorum dicta institutam, hactenus nobis prodesse, vt exinde eo magis discamus agnoscere, rite aestimare, pieque venerari literarum sacrarum praestantiam prae omni, vel exquisitissima, sapientia humana, diuinamque et admirandam sapientiam Dei, in iis expressam. Et sane, si veteres illos Graecos, quibus eximia quaedam sapientia, ingenium elegans, iudicium acutum, multarumque artium humanarum non inuentio solum, sed perfectio etiam tribuitur, eos, igitur, non nisi rationem magistram secutos, si videmus in veri Dei cognitione, eius operibus, cultu ei praestando, in constituendis boni, et mali finibus, in virtutum praeceptis tradendis, multisque aliis tam misere saepissime coecutiisse, tamque grauiter lapsos esse: quis non venerabundo animo benignitatem Dei praedicet, seque eo nomine felicissimum ducat, quod, luce sacrarum literarum collustratus, haec omnia accurate cognoscere possit, et scripturam sacram habeat magistram, ducemque fidelissimam, quae ei viam, rationemque monstret certissimam, qua ad salutarem Dei cognitionem, et adverani cum huius, tum aeternae illius vitae felicitatem peruenire possit. Alit sane, et mirifice confirmat crebra, atque ea diligens huius rei cogitatio animum, sensu et amore rerum diuinarum imbutum, mentemque sensim adducit ad sacrosanctae religionis nostrae dignitatem, praestantiamque eo melius agnoscendam et venerandam. Et hoc illud est, quod BASILIVS innuit, cum contendit, discrepantiam, dissensumque in dictis et praeceptis scriptorum gentilium a scriptoribus sacris prodesse εἰς βεβαίωσιν τῆ βελτίονος h. e ad confirmandam opinionem, persuasionemque de religionis Christianae praestantia prae ista coeca gentilium religionis superstitione. Quid? quod ibidem

conten-

contendit, *veritati* h. e. verae ſapientiae, non niſi e ſcriptura ſacra, puriſſimo quippe, et vno coeleſtis doctrinae fonte hauriendae, doctrinam humanam, e ſcriptis gentilium petendam, (quam venuſte τὴν θύραθεν σοφίαν vocat,) adeo non dedecori eſſe, vt ei potius decoris multum, et ornamenti addat. In quo ſimilitudine non incommoda vtitur hac: g) *Quemadmodum arboris propria virtus eſt, fructum maturum proferre, afferunt tamen aliquem ornatum etiam folia, quae circa ramos agitantur: ita etiam praecipuus animi fructus eſt veritas, neque tamen inamoenum eſt, eam iſta ſapientia extranea, veluti foliis quibusdam, circumdari, quae et tegumentum, et ſpeciem perquam amabilem fructui ipſi praebent.*

Hac diſputationis parte de vtilitate, e diligenti ſcriptorum gentilium lectione percipienda, veluti praeludio quodam, praemiſſa: inſtituit (C. 5.) per partes de quibusdam ſcriptoribus id docere, initio ducto a poetis, viaque et ratione tradenda, qua eorum lectio inſtituenda, vtilitasque exinde ſit capienda. Neque vero temere poetis in ſcriptorum gentilium lectione primas quaſi partes delegandas putat. Scilicet non exiſtimandum eſt, antiquiſſimos poetas Graecos aurium ſolum, animorumque delectationem, quam Graeci ψυχαγωγίαν vocant, in carminibus ſuis ſpectaſſe, vt hodierni noſtri vernaculi poetaſtri capitales, Anacreontearum cantilenarum Sireniarum ſimii, in huius rei imitatione nimium felices, facere ſolent, qui ſaepe iſtis verſiculorum veneficiis animos, imperitos adhuc et integros, infectos corrumpunt, et voluptatis, nequitiaeque illecebras excitant: ſed praeter humanam, et liberalem

g) Καθάπερ φυτῶ οἰκεία μὲν ἀρετὴ τὸ καρπῷ βρύειν ὡραίῳ, φέρει δέ τινα κόσμον καὶ φύλλα τοῖς κλάδοις περισειόμενα· οὕτω δὴ καὶ ψυχῇ, προηγυμένως μὲν καρπὸς ἡ Ἀλήθεια, ἐκ ἀχαρί γε μὴν ἐδὲ τὴν θύραθεν σοφίαν περιβεβλῆσθαι, οἷόν τινα φύλλα σκέπην τε τῷ καρπῷ καὶ ὄψιν ἐκ ἄωρον παρεχόμενα.

animi voluptatem in carminibus ſuis praecipue ſecuti ſunt hoc, vt ſaluberrima virtutum, vitaeque honeſtae praecepta darent, eorumque ope animos lectorum ad ſapientiam, prudentiam, honeſtatemque vitae h) conformarent. Et ſane, antiquiſſimos poetas graecos olim optimos virtutis magiſtros habitos, inque philoſophorum cenſum relatos fuiſſe, et res ipſa docet, et multi veterum teſtantur. Et ſcholiaſtes quidem *Homeri* minor, qui vulgo *Didymus*, ſed falſo, editur, ad Ὀδυσσ. γ'. v. 266. ſcribit: τὸ ἀρχαῖον οἱ ἀοιδοὶ φιλοσόφων τάξιν ἐπεῖχον: quicum amice conſpirat STRABO, (Lib. 1. p. 10. edit. Pariſ.) qui, vanitatis conuicta ſententia inepta *Eratoſthenis*, contendentis, poetas omnia ſua ad delectandum, nihil ad docendum referre, docet, poeſin antiquis fuiſſe primam quandam philoſophiam, et vitae a prima inde aetate formatricem, quae morum, commotionum animi, actionumque rationem non ſine quadam ſuauitate doceat. Sed legendus totus ille locus, et ad eum CASAVBONVS. Cf. ATHENAEVS Lib. 1. p. 14. et ibi idem vir doctiſſimus. Vnde poetae antiquiſſimi dicti ſunt σοφοὶ et σοφισταί, auctore enarratore graeco PINDARI ad Od. V. Iſthmic. vbi non audio ERASM. SCHMIDIVM, qui per σοφιστὰς nullos alios, quam Oratores, intelligendos ſcribit. Notum illud Horatianum de HOMERO:

Qui

h) Cf. CLERICI Parrhaſiana, ou Penſées diverſes, vbi p. 2. ita: Il eſt certain, que les poëtes anciens peuvent ſervir à deux choſes. La premiere c'eſt qu'ils rempliſſent l'eſprit de très-bonnes leçons de Morale, et de Politique, dont ils embelliſſent leurs Ouvrages, et que leurs maximes étant exprimées en beaux termes et en vers, on en eſt plus touché, et on les retient plus facilement etc. Sed inprimis harum literarum ſtudioſi in hanc rem legant ROLLINVM *de la Maniere d'enſeigner et d'étudier les belles lettres* T. I. p. 371. ſqq.

Qui, quid ſit pulchrum, quid turpe, quid vtile, quid non, Planius ac melius Chryſippo et Crantore dicit.

Et haec haud dubie cauſſa fuit, quare BASILIVS in cenſum eorum ſcriptorum gentilium, quorum lectionem commendat, poetas primo loco referendos arbitraretur. Et primo quidem, eorum legendorum ſtudioſos monet, prudentique et perquam ſalubri cautione praemunire ſtudet hac; vt ne omnia, ab iis dicta, inconſiderate arripiant, et ſectentur, eorumque veluti lenociniis, ſeu veneficiis potius capi ſe patiantur, vt potius, ſi v. c. improborum hominum ſermones referant, ſi deorum iurgia, contentiones, bella, furtiuos amores, et eiusmodi alia vitia deteſtanda narrent, ibi ad eiusmodi dicta aures aeque obſtruant, ac ad Sirenum cantum veneficum Vlyſſen feciſſe dicant. Non alienum, opinor, ab hoc loco erit, verba PLVTARCHI (de ratione Poet. legend. c. 3.) huc transferre: Ἐν οἷς μάλιϛα δεῖ τὸν νέον ἐθίζεσθαι διδασκόμενον, ὅτι τὴν πρᾶξιν ἂκ ἐπαινῶμεν, ἧς γέγονεν ἡ μίμησις, ἀλλὰ τὴν τέχνην, εἰ μεμίμηται προσηκόντως τὸ ὑποκείμενον. Ἐπεὶ τοίνυν καὶ ποιητικὴ πολλάκις ἔργα φαῦλα καὶ πάθη μοχθηρὰ καὶ ἤθη μιμητικῶς ἀπαγγέλλει, δεῖ τὸ θαυμαζόμενον ἐν τούτοις καὶ κατορθούμενον μήτε ἀποδέχεσθαι τὸν νέον, ὡς ἀληθὲς, μήτε δοκιμάζειν, ὡς καλὸν, ἀλλ' ἐπαινεῖν μόνον, ὡς ἐναρμόττον τῷ ὑποκειμένῳ προσώπῳ καὶ οἰκεῖον. *In his* (ſc. improbe dictis et factis, a poeta expreſſis,) *adoleſcens maxime adſuefaciendus eſt, vt diſcat, non rem, imitatione expreſſam, laudare, ſed artem, quae, quod deſcribendo proponendum erat, id exprimat, et imitando referat. Quodſi igitur poetica ars ſaepenumero etiam turpes mores, prauasque actiones imitando proponit: adoleſcentis eſt, id, quod in his praeclare expreſſum admirationem meretur, neque probare, vt verum, neque amplecti, vt pulchrum, ſed eatenus laudare, quatenus argumento*

gumento et perſonae conuenit. Scilicet, vt hoc in tironum gratiam dicamus, etſi multa et dicta, et facta in poetarum carminibus expreſſa, impia maximeque deteſtanda reperiuntur: ea tamen non ipſi poetae ſunt, ſed illi homini imputanda, cuius mores et ingenium poeta imitando exprimere debet. Nam cum poeſis nihil ſit aliud, quam *μίμησις τῶν ἠθῶν καὶ βίων* ſ. *imitatio morum et vitarum:* poetae eſt, deſcribere homines, non quales eſſe debeant, ſed quales eſſe cognouerit. Imitantem autem decet, impiis hominibus impia dicta et facta tribuere; morum autem integritati, honeſtatique ab ipſis poetis conſulendum eſt, quod ſaepiſſime faciunt, cum mox doceant, quem exitum iſte homo, impietatis, ſcelerumque nota inſignis, habuerit. Sic, vt hoc vno iam vtamur, EVRIPIDES in Fragment. fabul. deperdit. p. 461. edit. Barneſ. (Cf. ATHENAEVS Lib. IV. p. 159. edit. Caſaub. et STOBAEVS ſerm. 89.) cum Bellerophontem in theatro de diuitiis tam magnifice ſentientem et loquentem introduxiſſet, vt non dubitaret, ſtulte effutire: Ὦ *χρυσὲ δεξίωμα κάλλιστον· O diuitiae, ſummum hominum bonum!* etc. et Athenienſes huius dicti impietate grauiſſime offenſos, indignatosque animaduertiſſet: eos rogauit, vt expectarent finem, quem iſte magnificus diuitiarum praeco et laudator mox eſſet habiturus. Non pigebit, in hanc rem ſubiungere SENECAE locum, (Epiſt. 115.) vbi cum hanc *ἔῆσιν* Euripideam, latine expreſſam, attuliſſet, addit: *Cum hi nouiſſimi verſus in tragoedia Euripidis pronunciati eſſent: totus populus ad eiiciendum et actorem, et carmen conſurrexit vno impetu, donec Euripides in medium ipſe proſiluit, petens, vt expectarent, viderentque, quem admirator auri exitum faceret. Dabat in illa fabula Bellerophontes poenas, quas in ſua quisque dat. Nulla enim auaritia ſine poena eſt, quamuis ſatis ſit ipſa poenarum.* Vbi igitur poetis, vt virtutis magiſtris,

ſtris, aures et animos accommodandos BASILIVS ſuadet? Nempe ibi, vbi honeſtorum virorum magnifica dicta et facta commemorant atque commendant, ibi iuuenes, vult, tota mente commoueri et inflammari, omnique contentione conniti, vt eorum virtutes vita, moribusque exprimant, referantque imitando. Et profecto, egregie et honeſte dicta aut facta illuſtria, non niſi ab excelſo et magnifico animo profecta, in animis iuuenum erectae indolis magnam vim habere, permultumque incitamenti ad virtutis ſtudium cum concipiendum, tum confirmandum afferre poſſunt. Et quamquam ego non ſum is, qui ignoret, (nec BASILIVS ignorauit,) aut neget, perfectiſſima omnium virtutum exempla non e gentilium libris, ſed e ſacris literis peti et poſſe, et debere: tamen idem non temere contendere mihi poſſe videor, praeclara illa virtutum et praecepta, et exempla gentilium hactenus multum prodeſſe poſſe, vt iuuenum animos ad amorem, et ſenſum virtutis, honeſtatisque alendum, corroborandumque incendant atque inflamment. Nam vbi legunt gentiles, neque ſacrarum literarum luce colluſtratos, neque adiutrici Spiritus S. ope ſuſtentatos, tamen in virtutum exercitio ita profeciſſe, vt v. c. iram, non temere conceptam, illico continerent, animum concitatum in rationis gyrum redigerent, iniurias vel grauiſſimas, cum facilis pateret vltio, vel reipublicae remitterent, vel ipſi humanitati condonarent, rerum humanarum contemptionem non verbis vanis, ſed ipſis rerum documentis haud fallacibus prae ſe ferrent, in rebus proſperis, et ad votum fluentibus non inſolenter efferrentur, nec in aduerſis ſuccumberent, deque mentis ſtatu deiicerentur, in munificentia, diuina ſane virtute, exercenda tam liberales eſſent, vt ea ſibi ipſi quodammodo ſubtraherent, quibus negatis dolet natura, vt libidinum aeſtum, acerrimis irritamentis oblatis, inque ſumma peccandi impunitate, illico

ſopitum

ſopitum reſtinguerent, inimicis, quamuis grauibus et capitalibus, nihil mali rependerent, ſed malefacta beneficiis adeo remunerarent, haec, ergo, et eiusmodi alia virtutum exempla ſi quis in veterum ſiue poetarum, ſiue aliorum ſcriptorum gentilium libris celebrata legerit: quis pectus ad omnem virtutis, honeſtatisque ſenſum adeo obtuſum et durum gerat, quin admiratione captus ea ſibi ſequenda, et ratione multo perfectiore imitando exprimenda, et moribus, vitaque referenda arbitretur? Iuuat, vnum et item alterum harum virtutum exemplum, ipſi BASILIO in hac ipſa ſchola laudatum, afferre, et veluti conſpiciendum praebere. PERICLEM, refert, (c. 9.) in foro ab homine quodam circumforaneo per totum diem conuiciis laceſſitum, patienter conuiciatorem audiſſe, veſperi autem eundem cum lumine deduxiſſe domum, *ne qua occaſio, patientiae exercendae, ipſi periret.* Quid? EVCLIDES Megarenſis, cum audiſſet, ſibi quendam iratum mortem, iureiurando etiam interpoſito, comminatum eſſe: ipſe quoque iurauit, ſe effecturum, *vt ille ſibi reconciliatus infeſtum animum deponeret, iſtudque conſilium improbum reiiceret.* Cui, haec patientiae, magnitudinisque animi exempla legenti, non occurrit illud Saluatoris noſtri Optimi praeceptum: (Matth. 5, 44.) ἀγαπᾶτε τὺς ἐχθρὺς ὑμῶν etc. aut illud Paullinum, (Rom. 12, 20.) quo iubemur, ἄνθρακας σωρεύειν ἐπὶ κεφαλὴν τῦ ἐχθρῦ? Iam, in voluptatis libidine coercenda quam magnificum, admirandum, fectandumque adeo eſt illud ALEXANDRI M. conſilium, qui DARII filias, captiuas abductas, formaque, vt tradunt, longe venuſtiſſimas, ne adſpicere quidem voluit, turpe ratus, *qui viros ſuperaſſet, eum a foeminis ſuperari.* Quis non ipſe intelligit, conuenire hoc illi Saluatoris noſtri voci, (Matth. 5, 28.) qua eum, *qui vxorem libidinoſe adſpexerit, adulterii reum* pronunciat? His, et aliis virtutum, quae in gentilibus conſpicuae fuerunt, exemplis

plis allatis, bene subiungit BASILIVS haec: *qui his exemplis antea institutus, formatusque est: is non diffidet, praecepta religionis nostrae impleri quoque posse.* Illud porro ARISTOTELIS, quam dignum est, quod ab vnoquoque Christianorum his inprimis aerumnosis et calamitosis temporibus imitando exprimatur, qui (vt apud DIOGEN. LAERTIVM Lib. V. pr. est,) cum eo nomine ab aliquo esset reprehensus, quod *homini indigno* dedisset stipem: breuiter, sed magnifice respondit a): NON HOMINI DEDI, sed HVMANITATI: innuens nempe, in beneficiis, ad vitae sustentandae necessitatem tribuendis, nullam esse *indignitatis* rationem habendam, seque adeo huic homini *indigno* aliquid stipis dedisse, non quatenus *indignus* sit, sed dedisse *homini*, quem fame perire noluerit. Egregia sane, et magnifica ARISTOTELIS vox! quae multis Christianorum hoc inprimis tempore tam arcto et misero iustum pudorem incutere, ruboremque exprimere debeat, qui, in re lauta constituti, et omnes conuentus sacros obire, pietatemque suam (quam sinceram, Deus scit,) capite inclinato, multis etiam suspiriis ob miseriam sexcentorum hominum, edaci fame breui conficiendorum, mittendis, cantionibusque sacris ingenti clamore cantandis testari coram hominibus soliti, ad sensum miseriae aliorum tam agrestes, tam duri sunt, vt citius e silice aquam, quam ex iis stipis aliquid expresseris. Haec, et eius generis multa alia si quis in gentilium scriptis legerit, nec oscitanter perpenderit: adeone ad omnem humanitatis sensum durus sit, quin illico secum: En! eiusmodi virtutes, imbecillitati, prauitatique naturae humanae tam ingratas, et acerbas, tamque difficiles exercitu, in iis hominibus summa admiratione tactus animaduerto, quibus nulla sacrarum literarum lux affulsit, nulla Spiritus S. clementia adiutrix, sustentatrixque

a) Οὐ τῷ ἀνθρώπῳ ἔδωκα, ἀλλὰ τῷ ἀνθρωπίνῳ.

que affuit: et tu, in ipso veluti gremio Ecclesiae christianae natus et educatus, a primis inde annis doctrinae christianae initiis imbutus, et ad sensum, amoremque virtutum christianarum concipiendum formatus, viribusque Spiritus S. suffultus, tu, igitur, has virtutes non exercere? tu, quidquid impedimenti, difficultatisque obiectum fuerit, tollere non possis? tu ab hominibus, coecae superstitionis caligine obductis, in virtutum studio vinci te patiare? immo meo ipsius exemplo, ipsisque rerum documentis ostendam, plures esse, atque eas perfectiores in homine christiano virtutes, quam in illis sanctis, seu, vt vulgo, sed barbare, loquuntur, *virtuosis* gentilibus. Bona fide confirmare possum, diligentem huius rei cogitationem saepius animum meum tetigisse, sensum, studiumque virtutum acuisse, meque ad acrem omnis honestatis amorem commouisse, cui inflammando, alimentisque veluti nutriendo cum praecepta diuina, tum perfectissimum illud, omnique veneratione sequendum Saluatoris nostri Optimi exemplum acerrimas faces subdidit. Non pigebit locum, ad rem praesentem accommodatissimum, huc transferre e Disputatione theologica *de disciplina christiana* S. V. IO. AVG. ERNESTI, vbi Vir Summus inter alia ita: „Ab Homero inducitur Vlysses Ὀδυσσ. υ. in principio, quum vehementer incitaretur animo ad vlciscendum celeriter iniurias et insolentiam, κραδίη δὲ ἔνδον ὑλάκτει ἀγαιομένῳ κακὰ ἔργα, *cor intus latrabat aegre ferenti malefacta*, tandem pectus percussisse, et sic allocutus esse: τέτλαθι δὴ κραδίη, *cohibe te, et sustine ista*, commemoratis tolerandi causis, atque ita illum impetum repressisse, quamuis reluctante animo: τῷ δὲ μᾶλ ἐν πείσῃ κραδίη μένος τετληῦῖα νωλεμέως, *tum vero cor eius conquieuit firmiter et tolerauit.* Veteres philosophi hoc exemplo libenter et crebro sunt vsi, ad modum vincendi animi, et cohibendae cupiditatis illustrandum: et a nobis, quamquam

quam in haud paullo melioris disciplinae institutione versamur, non alienum sit, id vel hac de caussa commemorasse, vt pudorem iniicere Christianis possit, qui coercere sollicitationes tales animi et cupiditatum non sustinent, vel stimulum addere, vt maiori cum spe et fiducia successus rem tam necessariam aggrediantur, existimantibus, nobis etiam facilius esse debere in tanta copia adiumentorum, a Deo per filium et verbum suum nobis suppeditatorum." Haec ille Vir, literarum cum diuinarum, tum humanarum consultissimus. Sed hic mihi videor audire piae simplicitatis inscitiam, quae clamet: Heus tu! Non nouisti, AVGVSTINVM dixisse, *gentilium virtutes esse splendida peccata?* Ego vero noui, et puer iam audiui: sed idem noui, quatenus, et quo sensu illud AVGVSTINI verum sit: quodsi tu nescias: ex me iam non audies. Clames interim ad raucam rauim vsque.

Et hactenus quidem BASILIVS poetas veteres studiosis etiam sacrarum literarum diligenter lectitandos commendat, nec erat, quod pro instituti sui ratione alias ob dotes commendaret. Sed est praeter hoc aliud quid, quod eos ad illorum lectionem allicere et possit, et debeat, nempe magna illa vtilitas, qua literarum sacrarum studiosi e veterum poetarum graecorum lectione ad multas librorum sacrorum non singulas tantum voces, sed totas etiam loquendi formulas rectius intelligendas, interpretandasque auferre possint. Veriſſima sane est, ipsis rerum documentis confirmata, MARKLANDI, V. C. ad LYSIAM p. 549. aliorumque virorum doctorum obseruatio haec, quo quis sit poetarum graecorum, oratorumque Atticorum antiquior, eo plura in eo deprehendi Ebraeae linguae vestigia, quorum diligens animaduersio et obseruatio curiosum lectorem facile ducere possunt eo, vt loquendi rationes paullo obscuriores, quae in sacris literis hinc inde occurrunt, rectius et

ipſe intelligere, et aliis interpretari poſſit. Cum in omnium omnino librorum veterum, tum ſacrorum inprimis interpretatione magnam ſane vim, vtilitatemque habet *Analogia* linguarum veterum animaduerſa, eo nomine magnopere commendata cum ab aliis viris doctis, tum SCHVLTENSIO inprimis in laudatiſſimo Originum Ebraicarum Opere, et paſſim in interpretandis Ebraicis paullo obſcurioribus feliciſſime adhibita. Maior profecto, quam quis credat, analogia eſt antiquioris linguae graecae, et Ebraeae cum in ſingulis vocibus, tum in integris loquendi formis. In vno v. c. AESCHYLO innumerae fere ſunt loquendi formae, quae ex Ebraea lingua, veluti e fonte, hauſtae non, niſi ex ea, rite explicari poſſunt. De qua re STANLEIVS in exq. iſitis ad illum tragicum notis paſſim, et nos forte alio tempore pluribus exponemus. Neque vero his finibus cohiberi ſe, coercerique patitur vtilitas, e diligenti, eaque rite inſtituta veterum poetarum graecorum, oratorum, hiſtoricorum, aliorumque lectione capienda, ſed latius patet, multumque commodi ad antiquitatum, rituum, conſuetudinumque veterum cognitionem comparandam, et ad hiſtoriam, multis ſacrorum librorum locis illuſtrandis neceſſariam, diſcendam affert; quod non, niſi qui diu in his rebus verſati ſunt, credent et concedent. Sed de hac re iam diſputandi locus non eſt. Pro inſtituti noſtri ratione ſatis eſt, hactenus de vtilitate lectionis poetarum graecorum diſputaſſe, quatenus BASILIVS diſputandum putauit. Operae pretium autem fuerit, verba MELANCHTHONIS, quae ad commendandam poetarum graecorum lectionem faciunt, e praefat. ad HESIODVM huc transferre. *Quaerat aliquis*, inquit, *quid haec tota ratio diſcendi* (cum poetas, tum alios auctores veteres legendi,) *ad pietatem conducat? Eſt in promptu, quid reſpondeam. Ad immutandam mentem, imbuendamque religione nihil conducit, nam*

nam id efficit coeleſtis ſpiritus per ſacrum ſermonem: ſed ad cognoſcendum ſermonem ſacrarum literarum graecis literis opus eſt: deinde, vt de ſermone rectius iudicemus; et vt dogmata religionis enarrare et explicare, quoties poſcit hoc vſus publicus, poſſimus. Varie ſubigendum eſt ingenium, et omnibus diſciplinis excolendum. Nam, vt neglectis filix innaſcitur agris; ita in ingeniis, niſi repurgentur elegantiore cultura, veluti inutiles herbae natae, vim mentis omnem ſtrangulant et enecant, ne aut peruidere res obſcuras, aut publicare, et in apertam lucem proferre queant. — — Haec eſt mea ratio, cur has artes (liberales) *profuturas etiam ſtudiis religionis exiſtimem.*

Ipſum LVTHERVM noſtrum non puduit, ingenue fateri, ſe multum debere veterum poetarum lectioni, ipſumque ſenem poenituit adeo, non plures legiſſe, non tam humaniſſimae, liberaliſſimaeque voluptatis, quam magnae vtilitatis cauſa, ſuo ipſius exemplo quippe edoctum, quantum adiumenti hi graeci magiſtri ad rite interpretandum afferre poſſint. Sed paullo copioſiores, duce BASILIO, fuimus in commendanda vtilitate, quae e diligenti, ſed prudenter inſtituta poetarum graecorum lectione percipi poſſit, cum quae de iis diximus, facile ad lectionem oratorum, philoſophorum, hiſtoricorumque transferri et accommodari poſſint. De quorum ſingulorum lectione fructuoſa etſi vnum, et item alterum ſubiungere poſſemus, et, de BASILII diſciplina, forte deberemus: tamen, quoniam verendum eſt, ne, ſi huius rei diſputatiunculam longius traxerimus, in vitium ingratae redundantiae, luxuriemque incidiſſe videamur, memores illius dicti, *βιβλίον μέγα κακὸν μέγα*, verbum non addamus, vbi PHILONIS, qui cum diuinarum literarum ſtudio diligentem librorum gentilium lectionem feliciter coniunxit, locum, a re praeſenti non abhorrentem, addiderimus, qui docet, quatenus, et quo conſilio libri gentilium ſint legendi. Is eſt

in Lib. *de sacrif. Abel. et Cain.* T. I. p. 178. edit. MANGAEI, vbi, cum disputasset de praestantissima omnium doctrina et scientia, e sola scriptura S. haurienda, ita pergit: Ὠφελιμον ἂν, εἰ καὶ μὴ πρὸς ἀρετῆς κτῆσιν τελείας, ἀλλά τοι πρὸς πολιτείαν, καὶ τὸ παλαιαῖς, καὶ Ὠγυγίοις ἐντρέφεσθαι δόξαις, καὶ ἀρχαίαν ἀκοὴν ἔργων καλῶν μεταδιώκειν, ἅπερ ἱστορικοὶ καὶ σύμπαν τὸ ποιητικὸν γένος τοῖς τε καθ' ἑαυτὸς, καὶ τοῖς ἔπειτα μνήμῃ παραδεδώκασιν. — — Δέον παλαιον μὲν μάθημα χρόνῳ μηδὲν ἀρνεῖσθαι, πειρωμένους καὶ γράμμασι σοφῶν ἀνδρῶν ἐντυγχάνειν, καὶ γνώμαις καὶ διηγήσεσιν ἀρχαιολογούντων παρεῖναι, καὶ Φιλοπευστεῖν ἀεὶ περὶ τῶν πρότερων καὶ ἀνθρώπων καὶ πραγμάτων, τῷ μηδὲν ἀγνοεῖν ἡδίστῳ. *Vtile est, si non ad comparandam perfectam virtutem, certe ad curam reipublicae, nosse opiniones priscas et antiquas, et cognoscere antiquiorum hominum honeste facta, quae historici, et omne genus poetarum cum suae aetatis hominibus, tum posteritatis memoriae tradiderunt. — — Doctrinae, propter antiquitatem temporis canae, contemnendae non sunt, sed nos oportet vacare legendis sapientum veterum scriptis, et operam dare iis, qui interpretantur veterum doctrinas et historias, et scisciteri de superioribus cum rebus, tum hominibus, cum perquam magna voluptas sit, nihil ignorare.*

P. P. in Illustri Moldano a. d. XXV. August. A. R. S. CIↃ IↃCC LXXII.

XVII.

XVII.

PROLVSIO

QVA

RENOVATA CONSTITVTIO SCHOLASTICA PARENTVM CVRAE IN DISCIPLINA DOMESTICA COMMENDATVR.

Prodiit nuper Celsissimi Electoris, FRIDERICI AVGVSTI, Patris patriae nostrae Optimi, auspiciis et sapientia, curaque pie veneranda *Renouata Constitutio Scholastica*, iam diu expectata et sinceriſſimis omnium bonorum, salutisque patriae amantium ciuium votis expetita, quam vnusquisque huius rei intelligens iudex facile animaduertet, profectam esse ab eiusmodi viri ingenio, et doctrina, qui ab exquisita literarum cum diuinarum, tum humanarum scientia instructus sit, in ingeniis multis, atque iis variis tractandis per multos annos fuerit versatus, atque adeo huius disciplinae, quae vsus plane indocilis est, omnem ambitum, quamuis amplum, animo sit complexus, salutisque et Ecclesiae, et Reipublicae amantissimus, studiosissimusque habendus. Haec Renouata Constitutio Scholastica, nostrorum temporum rationi, antiqua illa, cuius magnum illum CAMERARIVM auctorem edunt, paullo accommodatior et conuenientior, vti docentibus in scholis omne genus officiorum, in obeundo munere scholastico religiose obseruandorum, praescribit, grauiterque iniungit: ita sapientissimam rationem, viamque ostendit, quae eos ducat eo, vt disciplinae suae alumnos accurata Religionis,

linguarum doctarum, doctrinarumque cognitione imbuant, teneris eorum animis ea praecepta tradant, ea exempla proponant, eos denique sensus instillent, qui magnam vim, magna incitamenta et adiumenta habere possint ad totam vitam sancte, integre, beate, et ad commodum publicum fructuose transigendam. Quae omnia, si, vti fas est, ita ab vnoquoque scholae magistro rite, et pro officii religione diligenter, curioseque curentur, atque obseruentur: quanta commoda in Ecclesiam, Rempublicam, societatemque humanam redundatura sint, vnusquisque intelligere potest. Equidem, triginta fere annos in munere scholastico non sine voluptate, et forte non sine fructu aliquo publico versatus, nescio sane, an sapiens, eaque prouida Optimi FRIDERICI AVGVSTI nostri cura Ecclesiae, Reipublicae, totique patriae nostrae dilectissimae maius aliquod, ampliusque munus afferre potuisset, hac ipsa Renouata Constitutione Scholastica. Quod, licet rideant omnes, qui, cum multum sibi sapere videantur, in hac quidem re nihil sapiunt: tamen iterum dico atque contendo. Nam, cum de verissimo omnium sapientum virorum iudicio, ab antiquissimis inde temporibus per omnia secula illustrissimis rerum documentis confirmato, sapiens, prudensque iuuentutis institutio et educatio non solum fons, et veluti radix sanctae, honestaeque vitae sit, sed flos etiam, dignitas, tranquillitas, securitas, salusque Ecclesiae, totiusque Reipublicae ab ea pendeant, cum, quales tenera adhuc aetate homines formati sint, tales fere maturioribus annis per omnem vitam esse soleant, naturaque tenacissimi sint eorum, quae rudibus annis perceperint: quod munus amplius, quod praestantius, communique patriae nostrae saluti fructuosius indefessa FRIDERICI AVGVSTI nostri cura afferre potuisset, quam hanc ipsam Renouatam Constitutionem Scholasticam? quippe quae tota non, nisi eo,

spectat,

ſpectat, vt ea ſemina pietatis, virtutis, honeſtatis, doctrinaeque in teneros adhuc animos ſpargantur, quae ſubinde fouendo, nutriendoque eo perducantur, vt bonam frugem ferant. h. e. vt ſinceros Chriſtianos, viros Eccleſiae, Reiquepublicae vtiles, probos, fidelesque cives reddant. Quod cum probe perſpicerent ſapientes, ſalutisque publicae ſtudioſiſſimi maiores noſtri, nullis neque laboribus, neque ſumptibus in ſcholis publicis et erigendis, conſtituendis, tuendisque pepercerunt, rati, vti in ſeminibus cauſſae frugum, ita in prudenti, liberalique iuuentutis educatione et inſtitutione Eccleſiae, Reiquepublicae ſalutem latere. Quare hoc munus, a FRIDERICO AVGVSTO noſtro Optimo toti Saxoniae allatum, gratiſſimo animo eſt agnoſcendum et in maximis, ampliſſimisque ponendum. In vniuerſum alicuius beneficii magnitudo inter alia his duobus cernitur, quorum alterum eſt in numero effectorum, alterum in ipſius beneficii duratione. Nam quo latius aliquod beneficium patet, quo plures in eius veluti ſocietatem veniunt, quo diutius durat, ſuique veluti vſuram retinet: eo maioris aeſtimandum, in maiori pretio habendum, animoque gratiore eſt agnoſcendum. Huius igitur beneficii, Renouata Conſtitutione Scholaſtica nobis tributi, amplitudo cum ſit tanta, vt non vnum et item alterum ciuem, non vnam et item alteram ciuitatem, non vnum hominum ordinem attingat, ſed in omnes Saxoniae ciues, et in totam patriam ſeſe diffundat, neque anguſtis vnius aut alterius anni finibus circumſcripta contineatur, ſed, de ſapientiſſimo quidem ſapientiſſimi FRIDERICI AVGVSTI noſtri conſilio, per longam annorum ſeriem, et ad ſeram vsque poſteritatem duratura ſit: quis tam parum gratiam, magnitudinemque beneficiorum capere poſſit, et quis tam durus, obtuſusque ad omnem grati animi ſenſum ſit, quin hoc tantum beneficium, Eccleſiae, et Reipublicae, totique adeo patriae longe

fructuosissimum, et in aetatem etiam insecuturam duraturum, agnoscat, agnitumque pro dignitate, praestantiaque sua rite aestimet, riteque aestimatum grato et ore, et animo celebrandum veneretur? CICERO quidem *), eo loco, vbi de rebus bellicis et vrbanis exponit, et, vtriusque rei contentione facta vtilitatem ostendit, disputat in sententiam hanc, vt Themistoclis victoriam clarissimam, cuius testis fuit Salamis, longe, multumque postponat ei SOLONIS consilio, quo primum constituerit Areopagitas, ratione verissima addita hac: *Illud enim* (vtamur ipsius Tullii verbis,) *semel profuit, hoc semper proderit ciuitati. Hoc consilio legis Atheniensium, hoc maiorum instituta seruantur. Et Themistocles quidem nihil dixerit, in quo ipse Areopagum adiuuerit; at ille adiuuit Themistoclem.* Quo plures igitur alicuius beneficii participes fiunt, et quo diutius eius vsura durat, eo maioris id ipsum est aestimandum. Non curo hic viros, alta et diuina quadam mente praeditos, qui non nisi magna crepant, minutulasque res fastidioso stomacho auersantur, qui vbi de rebus scholasticis aliquid legunt, nugulas se legere putant, aut vbi de scholarum magistris loqui audiunt, nescio quod miserabile et contemptibile hominum genus somniant. Hi aeque minus hanc Renouatam Constitutionem Scholasticam curabunt, et in pretio aliquo habendam putabunt, ac ego canes venaticos, leporumque venationes. Loquor hic de iis, qui paullo intelligentiores, aequioresque sunt in pretio, rebus, communem vtilitatem attingentibus, ponendo. Et sane, quo quis studiosior verae salutis liberorum suorum, quo amantior patriae, quo cupidior boni publici est, eo magis sinceriſsime optabit, et pro sua quisque facultate in eo laborabit, vt haec Renouata Constitutio Scholastica vbique et semper vim suam, auctoritatemque

*) Lib. I. de Offic. c. 22.

que obtineat, ad eiusque normam prudens iuuentutis educatio, liberalisque inſtitutio et conformatio ad verae pietatis ſenſum concipiendum et ſtudium, ad accuratae doctrinae cultum, et ad honeſtorum, venuſtorumque morum elegantiam fideliter, religioſeque componatur. Neque vero huius rei tam grauis, totique patriae tam fructuoſae cura ad ſcholarum magiſtros tantum pertinet, ſed etiam aliis, parentibusque inprimis iuncta et commendata eſſe debet. Nam, ſi verum eſt, vti eſt veriſſimum, nec in vllam dubitationem adduci poteſt, hominum generi nihil dulcius, cariusque datum eſſe, quam ſuos cuique liberos: et ſi ipſius Naturae auctoritas et veluti vox commendabili aliqua gratia nos inuitat, quin blanda quadam vi cogit, vt, quibuscum vel cuiuscunque neceſſitudinis, vel neceſſitatis adeo vinculo iuncti continemur, eorum rationibus pro ſua quisque facultate conſulamus: debent ſane parentes perſuaſum ſibi habere, in primis, et grauiſſimis officiis, ab ipſa Natura iis demandatis, ponendum eſſe hoc, vt liberi cum domeſtica, tum publica in ſcholis diſciplina ita contineantur, ita inſtituantur, et formentur, vt, quos ſuos aliquando videre cupiant, h. e. florentes, felices, beatos, eos etiam eſſe non ſine humaniſſima animi voluptate cognoſcant, atque adeo quos, vt liberos, amare neceſſe ſit, eos etiam libenter ament. Et haec quidem liberorum cura hac noſtra aetate, in tam corruptis moribus, praecipue commendata eſſe debet. Nam, quo magis haec aetas noſtra ad omnem mollitiem, ignauiam, laboris fugam, ad iners, ignauumque otium, atque exinde fere redundantem male agendi licentiam procliuis eſt, quo magis verae Religionis cognitio neglecta iacet, virtutisque ſtudium friget: eo magis curioſi, ſollicitique eſſe debent de prudenti, honeſtaque liberorum educatione, liberalique inſtitutione, eo magis eorum animos, teneros adhuc, adeoque ad virtutis praecepta molliores et ſequacio-

res prudenti disciplina domestica, veluti salutari aliquo ἀλεξιφαρμάκῳ, praemunire, ne prauae consuetudinis, indies magis, magisque inualescentis, vi, et veluti torrente abrepti, prius male agere discant, quam intelligant, et vitia in scholas publicas potius secum afferant, quam inde auferant. Nam profecto, parum profit Sapientissima, eaque Saluberrima Renouata nostra Constitutio scholastica: parum leges, in ea scriptae, longe saluberrimae valeant: parum prospere succedat opera et studium doctorum in scholis, bene constitutis, in iuuentute instituenda et formanda, positum: nisi liberi prius tenera adhuc aetate honeste, prudenter, liberaliterque fuerint instituti atque ad honestos, nobilesque sensus capiendos formati, quam magistrorum scholarum cum aliarum, tum Electoralium, quae nobis, hanc Commentatiunculam scribentibus, praecipue obuersantur, fidei, curae, doctrinaeque committantur. Nam, vt recte aliquo loco PLVTARCHVS dispurat, vt infantum membra corporis statim ab ipsis natalibus fingenda sunt, vt recte adolescant neque distorqueantur: ita animi et mores a tenera inde aetate componendi sunt. Nam memoria praeceptorum honestatis, rudibus animis impressa, prosequitur in senectutem. Quare auctor, suasorque sim cum omnibus parentibus, salutis liberorum suorum amantibus et studiosis, tum iis inprimis, qui suo tempore filios institutioni in schola quadam Electorali concredere volunt, vt hanc Renouatam Constitutionem Scholasticam quam diligentissime legant, ad eiusque normam et disciplinam filios suos aut ipsi instituant et formen, aut, si huius rei neque facultas, neque tempus suppetat, per vnum aliquem magistrum, integritate vitae, morum honestate, doctrina, docendi et facultate, et industria cognitum, instituendos, formandosque a teneris fere vnguiculis curent. Scilicet magna educationis vis est in vtramque partem. Nam, vt recte FABIVS ille,

ille, optimus iuuentutis instituendae, formandaeque magister, iudicat, *natura tenacissimi sumus eorum, quae rudibus annis percipimus, vt sapor, quo noua imbuas, durat, nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt.* Quod quo studiosius parentes faciant, faciliusque facere possint: hac Prolusione actui oratorio solemni, praemittenda, quo Illustris Moldani nostri, cui Deus semper faueat! ante hos CCXXIV. annos aperti et constituti, dies Natalis grata piaque mente recolenda et celebranda est, laudatissimam hanc Renouatam nostram Constitutionem Scholasticam diligentissime commendare instituimus, praecipuis eius capitibus laudandis, vt hac veluti gustatione inuitati integram famem ad ipsam huius Constitutionis Scholasticae diligentem lectionem secum afferant. De qua re cum iam anno superiori, recenti adhuc de illa sermone, exponere constituissemus: tamen morbo, perquam graui et pertinaci, diuque ancipiti, et vix, ac ne vix quidem eluctabili oppressi, cuius veluti fibrae ne nunc quidem penitus elisae sunt, hoc consilium nostrum in aliud tempus differre cogebamur. Nunc autem, veluti δευτερόποτμος, mihi, scholaeque nostrae redditus, illud non putaui differendum. In tota autem hac disputatiuncula non id consilium secuti sumus, (vt forte quis cauillari possit,) vt parentes doceremus, qua via et ratione in instituendis, formandisque liberis incedere debeant, (arrogantis enim, et paedagogico fastu inflati hominis id esset;) sed vt breuiter ostenderemus, qua ratione institutos, formatosque liberos haec nostra Renouata Constitutio Scholastica scholis Electoralibus committi velit. Vehementer optamus, vt, quod consilium in hac Prolusione scribenda secuti sumus, id assequamur, h. e. hac opella nostra id efficiamus, vt parentes ipsi mature disciplina domestica filios suos, vti debeant, ita instituant atque forment, sicque institutos et formatos ad nos mittant, neque, vt fere fit,

vbi

vbi ſcholae alicui Electorali tradiderint, in futurum ſecuri omnia eius ſcholae magiſtrorum curae, labori, moleſtiisque adeo relinquenda arbitrentur.

Quoniam autem in hac diſputatiuncula ſaepe voce *diſciplinae* nobis vtendum eſt: relictis omnibus id agendum videtur, vt, quamquam alibi iam monuimus, tamen iterum hic dicendum ſit, quam vim, poteſtatemque huic voci ſubiectam hic velimus, eaque re omnem verbi ambiguitatem, erroremque ex hac Proluſione ſublatum proſcribamus. Errant enim, et vehementer errant, qui *diſciplinae* verbum tantum ad *caſtigationes* per vim, poenasque referendum, et, audita *diſciplinae* voce, neſcio quid mali et tremendi portendi arbitrentur. Multi ſane, vbi de diſciplina, ſcholaſtica inprimis, diſputari audiunt, triſtem, acerbamque recordationem illius temporis renouant, quo plagoſi alicuius Orbilii, virgarum faſce, baculoque armati, atroci imperio ſubiecti interdum partes poſt tergum denudare, et vindicatrices, nimiumque in ea re officioſas manus iracundi magiſtelli ſubire, verberumque pondus ſuſtinere cogebantur. Haec eſt cauſa, quod multi ad *diſciplinae, ſcholaſticae* inprimis, vocem vel lectam, vel auditam, veluti ad infauſtum quoddam omen, horreſcant. Sed haec quidem *diſciplinae* notio triſtis ex hac tota diſputatiuncula noſtra exſulet proſcripta. Scilicet, vt alio quodam loco dicebamus, vocabulo *diſciplinae* hanc vim, poteſtatemque ſubiectam volumus, vt ſit *ſapiens quaedam, et prudens ratio, pueros et iuuenes, quos pro officii religione inſtitui et formari neceſſe eſt, honeſtis artibus, conſiliis fideliſſimis, admonitionibus amantiſſimis, crebris recti honeſtique praeceptis et exemplis, miti etiam ſeueritate, ſi rei neceſſitas exigat, ita regendi, honeſtatique ſenſim ita aſſuefaciendi, vt, quod ipſorum officii ſit, id amore virtutis potius, felicitatisque ſuae ſtudio ducti, quam poenarum metu coacti faciendum ſibi arbitrentur.* Et ſic iamdudum PLATO, ſum-

ſummus ille ſapientiae magiſter Lib. I. et II. de Legg. docuit, *Diſciplinam* nihil aliud eſſe, *niſi rationem quandam, quae animos ad virtutis amorem, vitiorumque odium adducat.* Omnino, e Latinorum quidem vſu loquendi, vox *diſciplinae* propriam ſedem habet in ratione quadam et methodo, actiones cum internas, tum externas ſapienter regendi, honeſteque formandi, non autem, vt vulgo putant, ad caſtigationes tantum et poenas ſeueras referenda eſt, atque reſtringenda. Et haec quidem diſciplina, vera virtutis magiſtra, felicitatisque cum publicae, tum priuatae veluti parens, qua homines, liberali quadam adſuefactione, in officio continentur, quam paullo ante deſcripſimus, vti doctoribus in ſcholis publicis, ita haud ſcio an multo magis parentum curae in educatione et inſtitutione domeſtica commendatiſſima eſſe debeat. Fruſtra enim plerumque ſcholarum magiſtri in pueris, iuuenibusque, eorum curae, fidei, doctrinaeque commiſſis, inſtituendis, formandisque operam et ſtudium ponunt, niſi antea diſciplina domeſtica ſapienti et prudenti inſtituti fuerint atque formati. Quare omnes parentes, quibus vera liberorum ſuorum ſalus curae, cordique eſt, amantiſſime rogamus, vt, ad quod officium eos ſpes futurae fortunae liberorum ſuorum inuitare, ipſa neceſſitas cohortari, blanda denique amoris naturalis vis propemodum cogere debet, id in diſciplina domeſtica fideliter, religioſeque ſequantur, eaque re efficiant, vt ſuo tempore liberos ſuos doctoribus in ſcholis publicis, prouincialibus inprimis, eos committant, quos et hi magnopere optent, et ipſi commiſſos vehementer cupiant. Quod quo lubentius, curioſiusque faciant, maioremque eorum liberi ex inſtitutione publica in ſcholis fructum percipere poſſint: age, praecipua Renouatae noſtrae Conſtitutionis Scholaſticae capita in hac Proluſione, veluti in exigua aliqua tabella depicta, per tranſennam ſpectanda proponamus.

Omnia

Omnia omnino, quae in hac noſtra Conſtitutione ſcholaſtica traduntur, doctorumque in ſcholis publicis cum aliis, tum Electoralibus inprimis, fidei, curaeque grauiſſime iniunguntur, ad quatuor veluti capita reduci et reuocari poſſunt, quorum *primum* ſpectat ad Religionem: *alterum* ad ingenii culturam: *tertium* ad ſenſus nobiles teneris adhuc iuuenum animis inſtillandos: *quartum* denique ad morum venuſtatem, cultusque munditiem. Quae omnia cum ad pueriles, iuuenilesque animos inſtituendos formandosque perquam ſalubria et neceſſaria ſint: operae pretium fuerit, de ſingulis paullo enucleatius diſputare, quantum quidem anguſtiae, quibus haec Proluſio includenda eſt, capere poſſe videantur.

Iam primum, Religio, qua nihil ſanctius et venerabilius, nihil carius vnicuique eſſe debet, pro qua, ſi neceſſitas exigat, vitam ipſam profundere non dubitare debemus, Religio, igitur, omnium prima eſt, cuius non ſolum cognitione vera, ſed ſenſu etiam teneri adhuc animi ſunt imbuendi. Ipſi Gentiles, quibus ſapientiae diuinae lux non adfulſit, agnouerunt, (vid. POLYBIVS VI, 54. et CICERO de Legg. II, 7.) nobis ab ipſa Natura inſitum eſſe quendam naturae diuinae ſenſum, cuius nutu omnes res humanae regantur, cuius pietate et cultu ſalus et publica, et ſingulorum ciuium contineatur. Itaque liberis ſuis a tenerrima inde aetate veluti cum lacte materno inſtillarunt hoc, vt ſibi perſuaſum haberent, nihil prius neque publice, neque priuatim eſſe ſuſcipiendum, quam Deorum Numen propitium vel precibus, vel ſacrificiis ſibi reddidiſſent. Hoc cum Gentiles, vera literarum ſacrarum luce non colluſtrati, fecerint: quid nos Chriſtianos facere oportet? Huius rei, praecipuae ſane, longeque grauiſſimae, cura ſi, vt nimis ſaepe fit, in tenera aetate inſtituenda neglecta fuerit: triſtis experientia docet, e pudenda iſta Dei, rerumque

que diuinarum ignorantia succedente tempore infaustam illam omnium Religionum ἀδιαφορίαν, contemptum verae Religionis, cultusque diuini oriri, qui infelix fons est detestandae istius, si non manifestae, tacitae tamen, rebusque ipsis non obscure declaratae, irrisionis literarum sacrarum, omnisque Religionis nostrae sacrosanctae, quae certissima via est, quae istos infelicissimae conditionis homines ad extremam perniciem sensim ducit, atque in deplorandam miseriam detrudit. Ferax est, nimiumque ferax aetas nostra tristissimis, iisque maxime horrendis exemplis istorum infelicissimorum hominum, qui vel ad extremam omnium rerum inopiam redacti, vel cum alia quacunque fortuna aduersa conflictati, et ad incitas redacti, dulcissimo autem illo, eoque firmissimo solatio, quod Religio in omnibus calamitatibus, quamuis grauibus, suppeditat, penitus destituti, exemplo infelicissimi illius Iudae, miserrime periere. Adeo multum et necessarium est, a tenera inde aetate verae Religionis cognitione et sensu imbui. Debent igitur, vti doctores in scholis, ita parentes domi in officiis suis primis et praecipuis ponere hoc, vt aut ipsi, aut, si eius rei neque facultas sit, neque negotiorum, quibus distringuntur, multitudo et grauitas concedat, per vnum aliquem magistrum idoneum Religionis, rerumque diuinarum cognitione liberos suos mature imbuendos curent. In quo quidem huius institutionis cura non his finibus concludi debet, vt teneris animis leuis tantum, vaga et incerta huius rei grauissimae cognitio, non, nisi memoria fida sine intellectu percepta instillatur, sed eo dirigenda est, vt, quae teneri illi animi memoria comprehenderint, ea mente etiam et intellectu, quatenus nempe ista aetatula huius rei capax est, percipiant, adeo, vt omnia huius sanctissimae doctrinae praecepta sensim, sensimque alte in pectus descendant, studiumque ad officia, homine christiano digna, obseruanda accendant.

In

In quo quidem multùm proderit, non in vniuerſum ſolum de Religione, eiusque diuinitate et praeſtantia oſcitanter et quaſi aliud agendo iis aliquid tradere: ſed adiungere etiam hoc, vt doceatur, Religionem cum in ſe, tum quoad obiectum, circa quod verſetur, ſpectari et poſſe et debere. Neque vero hoc nude et ſimpliciter dicendum, ſed docendum etiam eſt, obiectum Religionis eſſe Deum, eiusque venerandas perfectiones et virtutes, maieſtatem vniuerſam, leges, inſtituta et conſilia, illud inprimis, quod immenſa miſericordia ductus ab aeterno ceperit, toti generi humano longe ſaluberrimum, de hominibus, ex iſta deploranda, et in omnem aeternitatem duratura miſeria, in quam per praeuaricationem et contumaciam protoplaſtorum detruſi erant, liberandis, et in ſummam illam, nunquam interituram ſalutem et felicitatem, per Chriſtum partam, veluti poſtliminio, reſtituendis. In quo largam ſegetem habebunt, vti de immenſo illo, et nulla mente humana comprehendendo amore Dei erga totum genus humanum per filium ſuum, pro nobis traditum, declarato: ita de eius perfectionibus, virtutibusque, venerabundo animo adorandis, v. c. ſapientia, benignitate, omniſcentia, omnipraeſentia, ſanctitate, iuſtitia etc. diſputandi. Haec oratio, creberrime, et cum ſtudio, tantae rei debito, repetita, ſenſim, ſenſimque eam vim in animis teneris habebit, vt non ſolum verum amorem erga Deum, tam potentem, benignum et munificum Patrem, cui quippe omnem felicitatem ſuam debent, ſed tantam etiam venerationem, verecundiamque concipiant, vt diligenter caueant, ne quid conſulto, dataque opera committant, quod tam venerandi Patris, non minus ſancti et iuſti, quam benigni et munifici voluntati, praeceptisque ſanctiſſimis et ſaluberrimis aduerſetur, non neſcii, hunc Deum non ſolum teſtem et iudicem omnium actionum noſtrarum praeſentem, intimos adeo animorum noſtrorum receſſus perſcrutari

ſcrutari et rimari, ſed ſeueriſſimum etiam peccatorum vindicem eſſe. Multum quoque in hac re, in hoc inſtituendi ſtudio proderit, liberos mature adſuefacere animaduertendis, agnoſcendisque veſtigiis prouidentiae, ſapientiae, benignitatis, ſanctitatis, iuſtitiaeque diuinae. Quod quidem commodiſſime, et ſine vllo negotio fieri poteſt, ſi parentes ſuos ducunt v. c. veris, aeſtatisque tempore in hortos, diuerſitate florum, oculos animosque mirifice capientium, exſplendeſcentes, in agros, laetis ſegetibus luxuriantes, largamque meſſem, quae colonorum votis, quamuis auaris, reſpondeat, oſtendentes: ſi, tremendo tonitruum fragore audito contremiſcere eos animaduertunt, multisque aliis eiusmodi occaſionibus. Amplus enim, atque is amoeniſſimus et vberrimus campus hic patet, in quem excurrere poſſunt. Nam cultus, Deo praeſtandus, cernitur in hoc, ſi notitia maieſtatis, poteſtatisque Dei in nos, totumque hoc vniuerſum, eius potentiae, ſapientiae et bonitatis, et exinde orta pietas, reuerentia, amor, et fiducia in eum cum in intellectu, tum in animo noſtro, actionibusque noſtris externis vim exſerit ſuam. Vix dici poteſt, quantum vtilitatis et commodi per omnem vitam ad profectus in pietatis, virtutisque ſtudio faciendos haec in Religione inſtituendi ratio, ſaluberrima illa, et faciliſima, in animis teneris habeat. Nam ſua quemque experientia, ſuus quemque ſenſus docet, quae tenera adhuc aetatula fuerint impreſſa, ea nunquam fere deleri, ſed ſuccedente tempore ita confirmari, eas veluti radices agere, vt vix eradicari, penitusque euelli poſſe videantur. Quodſi parentes hanc inſtituendi rationem, hoc ſtudium in tenera adhuc liberorum ſuorum aetate, vt nimis ſaepe fit, ſusque deque habuerint: videant, ne liberi, adultiores facti, Religionem, rerum omnium ſanctiſſimam, et omnibus, quae in ſummis bonis humanis ponuntur, multo pluris ducendam, aut callido ingenio humano ad illudendum credulitati infimae plebeculae fictam et excogitatam exiſtiment, aut parum

reuerenter certe de ea ſentiant, eiusque praecepta adeo parum curanda ſibi arbitrentur. Quod quidem non eſt, quod multis, iisque ſollicite, collectis rationibus probandum putemus. Res enim ipſa loquitur, et innumeri Religionis contemptores, et irriſores adeo, quorum aetas noſtra nimis largum prouentum tulit, huius rei triſtiſſimi ſunt teſtes. Neque vero ſatis eſt, parentes liberis ſuis obiectum Religionis cognitum reddidiſſe, de eo crebro et reuenter locutos eſſe, eiusque notitia eorum animos imbuiſſe: ſed, officii ſui eſſe credant et hoc, vt doceant, Religionem ipſam cerni non ſolum in vera, eaque certa cognitione Dei, eius maieſtatis, omniumque perfectionum et virtutum, paullo ante commemoratarum; ſed etiam in cultu Dei ad hanc cognitionem, ſcientiamque accommodato et compoſito, quem literae ſacrae per *εὐσέβειαν* ſeu *vniuerſam pietatem*, fidem in Ieſum Chriſtum, vna cum eius comitibus, fructibus, exinde redundantibus, exprimere ſolent. Et haec quidem Religionis cognitio eam vim habebit, vt teneris adhuc animis ſenſus etiam, homine chriſtiano dignos, ſenſim, ſenſimque ingeneret, ita, vt certiſſime credant, ſine Religione neque vllam animi tranquillitatem locum habere, neque vllam felicitatem huius, multo minus illius aeternae vitae ſperari vnquam poſſe. Quae res, ſi cum reuerentia, grauitati huius tantae rei debita, et cum pectore, quod inprimis hic diſertum facit, traditur: efficiet hoc, vt cum voluptate quadam faciant, quae ſanctiſſima Dei voluntas exigat, contra ea omnia, quamuis grata prauis libidinibus, ſiue a Natura inſitis, ſiue aliorum illecebrarum veluti lenocinio excitatis, a maieſtate autem, ſanctitateque Dei abhorrentia diligentiſſime fugiant, concitatura quippe iuſtiſſimam eius iram. Quid? quod haec Religionis cognitio iis opinionem, certiſſimamque animi perſuaſionem afferet hanc, vt credant, quidquid nobis acciderit, quamuis triſte et acerbum humanae naturae, id nobis auctore ſapientiſſimo, atque

que eo benignissimo, salutisque nostrae verae studiosissimo patre accidere, qui in calamitatibus etiam immissis non, nisi salutem nostram, spectet. Illud quoque in hac re perquam salubre et frugiferum fuerit, studiosissime agere hoc, vt liberi persuasum sibi habeant, leges diuinas, omniaque omnino instituta diuina, quamuis ingrata et dura corruptae naturae humanae videantur, non esse, nisi mera, eaque saluberrima beneficia, quibus vera salus nostra, felicitasque contineatur, eaque adeo omnibus aliis bonis humanis, quamuis magnis et expetendis, longe multumque praeferenda, omnesque cupiditates, vtilitatesque nostras esse postponendas. Hac ratione in Religionis cognitione liberi a tenerrima inde aetate instituti tantam reverentiam sensim, sensimque concipient, vt omnes eius aduersarios, contemptores et irrisores pro communibus, iisque capitalibus totius generis humani hostibus habeant, studiosissimeque caueant, ne adultiores facti aut pestiferorum librorum, contra Religionem admonitu, et veluti obstetrici Diaboli opera effusorum, veneno infecti, aut male sanorum hominum, de ea pessime sentientium et garrientium, sermone, veluti graui contagione tacti, corrumpantur. Paullo copiosiores, fusioresque in hoc loco tractando fuimus: quod vti rei ipsius dignitas exegit, ita necessitas a nobis expressit. Nam de Religione, eius praestantia, magnaque in omnem vitam nostram vi non, opinor, ineptum sit, paullo copiosius disputare, et parentes eos inprimis, qui filios suos scholae nostrae Electorali instituendos suo tempore committere volunt, muneris in hac re sui amanter admonere, necesse videatur. Nam saepe non sine indignatiuncula quadam, nec sine iusto dolore animaduertimus, filios nobis traditos esse, in tam crassa et pudenda ignorantia initiorum doctrinae christianae adhuc versantes, quam vix in baiulis, aut vetulis, decrepitisque aniculis deprehendas. Et mirabimur, si tales pueri, qui ne leuem quidem Religionis, rerumque diuinarum cogni-

tionem, nedum ſenſum in ſcholas afferunt, ſuccedente tempore, annisque maturioribus eum veluti callum obducunt, et ad Religionis ſenſum ita obdureſcunt, vt, neque iuſtitiae diuinae vltricis admoniti, neque minarum, e ſcriptura denunciatarum, metu deterriti, nec denique poenarum vinculis coerciti, ad meliorem frugem, adque officium perduci poſſint ſuum? Non hic eſt locus, iuſtas, et ab ipſius rei indignitate quodammodo expreſſas querelas fundendi, quamquam id nulli forte facilius ſit condonandum, quam ſcholarum magiſtris, quibus ſaepe, quod aliorum ſiue coeca et ſopita ſocordia, ſiue inepta, et quodammodo crudelis erga mellitulos filiolos indulgentia intriuit, id exedendum, bonoque et firmo ventriculo concoquendum eſt. Ad alia igitur pergamus.

Alterum, in quo cura, ſtudiumque parentum in diſciplina domeſtica filiorum, quos quidem aliquando ſcholis publicis, et Electoralibus inprimis tradere conſtituerunt, verſari debet, ſpectat ad *ingenii culturam*, vt tales ſint, quales, de Renouatae Conſtitutionis ſcholaſticae auctoritate, eſſe debent, qui in cenſum alumnorum Electoralium referri velint. Hic vero, relictis omnibus, videndum, ipſisque rerum documentis cognoſcendum eſt, an filiorum ingeniis non ſolum ea bonitas, ea facultas, quae ad bonas literas rite, et cum felici ſucceſſu colendas requiritur, ſed ea etiam propenſio, id ſtudium inſit, quod ſpem non fallacem huius rei feliciter et ſuſcipiendae, et perficiendae facere videatur. In quo quidem parentibus fideliſſime ſuadeam hoc, vt, ſi cognouerint, filios ſuos bonis literis colendis non natos eſſe, eorumque naturalem ſtuporem ad hanc quidem rem eſſe eum, qui nulla arte expugnari poſſe videatur, eosque naturali quadam indole a literis diſcendis plane abhorrere, et ad quoduis potius vitae inſtitutum, quam ad literas, ſtudio ferri: eos nullo modo, neque blandis verbis, neque ſpe magnorum honorum conſequendorum, neque minis atrocibus, paternaque auctoritate

tate ad literarum ſtudia inuitos, reluctantesque trahant, ſed alii cuidam vitae inſtituto, ad quod et ingenium et ſtudium inuitet, conſecrandos arbitrentur. Sapientiſſime ſane quaedam lex Renouatae noſtrae Conſtitutionis ſcholaſticae Cap. 2. §. 9. Rectori imponit, iniungitque hoc, vt, *ſi quis Recipiendus tradatur ingenio ad literas colendas minus idoneo, is ne admittatur*, aut, *in quo diſciplinae Alumno, vno vel altero anno exacto, nulla neque ingenii facultas, neque propenſio, bonas literas colendi, fuerit cognita: id diligenter curetur, vt is, ſuperiorum auctoritate, quamprimum e ſchola dimittatur, alii vitae generi mature conſecrandus.* Et profecto, nihil miſerabilius, nihil maiori oneri eſt Reipublicae, quam homo, qui *literarum ſtudioſus* quidem audit, ipſarum autem literarum tam rudis et expers eſt, vt ne ludimagiſtri quidem in vno aliquo pago paruulo vices, in miſerabili aliqua conditione, obire poſſit, atque adeo vicatim errare, ſtipemque petere cogatur, vt latrantem ſtomachum, importunum illum admonitorem, acerbumque debiti exactorem, quicum ei ſemper res eſt, placare poſſit. Hic vero multorum parentum ſiue imprudentiam, ſiue lubidinem mirificam admirari fas eſt, qui, cum vel ipſi cognouerint, vel ſi pro naturali amore, ſaepe tenebras menti obducente, in transuerſumque auferente, non potuerint, per alios ſaltem, in ea re minime cupide iudicantes, didicerint, filium nulli rei diſcendae minus, quam bonis literis tractandis, natum eſſe: tamen, ſiue naturali, ſed hic quidem perquam inepto, maximeque noxio, amore docti, ſiue gloriolae vanae cupiditate impulſi, ſiue alia quacunque cauſſa commoti, eum ad bonas literas diſcendas, quamuis inuitum et reluctantem, cogunt, et paternae auctoritatis vi quodammodo trahunt, cauſſam interferentes hanc: *aliquid tamen diſcet*: aut, *ingenium vires ſuas ante maturitatem non exſerere*, ſeu, vt vulgo exprimunt, *intellectum non ante annos venire*. Enimuero, vti ex illo *aliquid* plerumque fit *nihil*: ita

vbi iſta ſpe, dulci illa quidem, ſed perquam deceptrici, veluti ſuaui inſomnio illuſi, filium ſuum magiſtris ſcholarum publicarum tradiderunt: a die in diem ſollicite expectant, dum venerint illi ſperati anni, *quibus intellectus venire debuiſſet.* Sed boni illi parentes tandem, nimis ſero autem, ſentiunt, ſe *illos annos*, *iſtum filii intellectum* non aliter expectaſſe, ac Iudaei etiamnum alterum Eliam ſuum expectant, et tandem in has voces erumpere coguntur: *hoc non putaram.* Haec profecto non ludendi, multo minus illudendi animo diximus (quod et a moribus noſtris valde ab orrens, et in hac re tam ſeria et graui perquam ineptum ſit:) ſed vt diligentem, prouidamque curam parentum, qui quidem filios ſuos ſcholis publicis, Prouincialibus inprimis, in quibus plus cum a docentibus, tum diſcentibus, quam in aliis, requiritur et exigitur, aliquando inſtituendos, formandosque committere volunt, excitemus, diligentiamque in explorandis filiorum viribus ingenii acuamus. Neque vero in hac re tam acerbum me quis, tamque rigidum ingeniorum Cenſorem putet, vt non, niſi ſumma, et feliciſſima ingenia, (quod nec mihi obtigit,) literarum ſtudiis conſecrari velim. Nam profecto mira tum bonarum literarum cultorum paucitas, mira inopia eſſet futura eorum, qui muneribus publicis, in quibus rite obeundis literarum intelligentia neceſſario requiritur, admoueri poſſint. Ipſe ſaepe tacitus ſuauiter riſi nouam, eamque coelo, neſcio quo, delapſam ſapientiam eorum, qui ante aliquot annos, neſcio cuius inſomnii admonitu inducti, hoc publice conſtitui, decernique magnopere cuperent, vt multitudo cultorum literarum imminueretur, et, ruſticorum, aliorumque de infima plebe filiis ab hoc honeſto vitae inſtituto penitus excluſis, facultas bonas literas colendi non niſi magnorum, et in re lauta conſtitutorum hominum liberis, veluti aeterna poſſeſſio, concederetur, omnibus aliis autem aditus ad haec veluti ſacra interſeptus denegaretur. Nihil ſane vidi acutius! Quaſi vero benigna et muni-

munifica Natura dotes ſuas eximias tantum in magnorum, opulentorumque hominum filios effundere, ruſticorum autem, alioruinque de infima ſorte hominum liberos ad omnem illiberalitatem, ſeruilesque ſordes ita abiicere et detrudere ſoleat, vt nullius rei, niſi arandi, aut boues, ſuesque paſcendi facultatem habeant. Qui non plane oſcitans rerum humanarum in hoc mundo, veluti in ſpectaculo, ſpectator eſt, is ſaepe cognouerit, neceſſe eſt, ſaepiſſime pueros, iuuenesque e tugurio protractos, ſuccedente tempore ad ampliſſimos honores euectos, Eccleſiae, totique Reipublicae cum voce, tum ſcriptis ea officia praeſtitiſſe, quae nomen eorum ab obliuionis iniuria vindicarent. Omnino, temere, et inconſiderate agere videntur, qui certum quendam numerum conſtituere cultorum literarum, earumque ius et veluti poſſeſſionem non niſi vni cuidam hominum generi aſſignare, et propriam, perpetuamque facere volunt. Ego quidem, per triginta fere annos in ingeniis multis, atque iis variis tractandis verſatus, cognoui, tenuiorum parentum filios ſaepe plus in literarum ſtudiis profeciſſe, poſteaque Eccleſiae, Reique publicae plura et maiora commoda attuliſſe, quam opulentorum, et in magna dignitate conſtitutorum. Neque difficilis ad intelligendum eius rei cauſſa eſt. Nam, vti tenuis ſortis hominum filii nulla adiumenta ad fundamenta fortunae futurae iacienda habent, quam ingenii bonitatem, diligentiaeque aſſiduitatem, hisque honeſtis artibus prae caeteris eminere ſtudent: ita magnorum, opulentorumque liberi et ſperandis opibus et cognatorum, affiniumque potentibus ſuffragationibus confiſi plerumque (nam de omnibus omnino tale quid effutire, impudens et contumelioſum ſit,) bonas literas hactenus colunt, vt eas coluiſſe dicantur. In vniuerſum, ſi dicere licet, quod res eſt, praeſtat, multos, non omni ingenii facultate, propenſioneque deſtitutos, quam paucos literarum ſtudiis conſecrari. Nam in magno numero facilior, feliciorque dilectus eſt, quam in exiguo: et ipſe, re-

rum vſu per multos annos edoctus, cognoui, mediocria, et tarda adeo, ingenia ſaepe felicius et longius in literarum curſu eſſe progreſſa, quam feliciſſima, et ad omnia percipienda, ſiue potius arripienda a Natura facta, cum illa, quod Natura paullo malignior denegaſſet, id improbo labore, contentioneque acerrima reſarcire ſtuderent: haec autem, felicitati ingenii vni confiſa, omnia ei ſecure relinquenda exiſtimarent. Sed vnde diſputatio digreſſa eſt, eo redeat. Scilicet eramus in eo, vt parentibus fideliſſime ſuaderemus explorationem, et veluti ſpectationem ingeniorum filiorum, literarum ſtudiis conſecrandorum. In quo quidem non volebamus ingenia, non, niſi ſumma et feliciſſima: ſed hoc volumus, et propenſiones, et ingenia quauis ratione tentanda, ſpectationeque veluti facta exploranda eſſe, apta et idonea ſint literis bonis cum fructu colendis, nec ne. Hoc enim ſi vel ipſi parentes perſpexerint; ſiue per alios, quorum in hac re aliqua notio eſt, cognouerint: auctor, ſuaſorque iis ſim, vt filios ſuos alii cuicunque vitae inſtituto potius, quam literarum ſtudiis conſecrent. Nam iſto pertinaci conſilio ſuo nihil aliud efficiunt, quam vt ſumptus fruſtra impendant, praeceptoribus docendi, inſtituendique laborem moleſtum et acerbum reddant, ſuosque filios, aliquot annis in ſchola transactis, aeque fere inanes exinde redire videant, ac in eam venerunt. Quodſi autem vel ipſi, vel per alios, elegantes in hac re, minimeque cupidos iudices, cognouerint, filiis ſuis, quos maturioribus annis ſcholae cuidam Electorali commiſſuri ſint, neque ſtudium, neque ingenium, bonis literis cum fructu tractandis idoneum, deeſſe: fideliſſime ſuadeo, vt diligentiſſime curent hoc, vt filios ſuos, eos annos conſecutos, quibus ad intelligendi, percipiendique aliquid vſum peruenerint, memoriaeque vis inprimis valeat, initiis linguarum doctarum, latinae et graecae, rite imbuant, aut per vnum aliquem magiſtrum idoneum imbuendos curent, quae in ſcholam aliquam Electoralem, de

Reno-

Renouata Conſtitutione ſcholaſtica, ſecum afferre debent. In hac Conſtitutione C. 2. §. 9. Rectori inter alia iniungitur et hoc, *vt ne quem puerum in numerum Alumnorum recipiat, niſi, qui, praeter cognitionem praecipuorum doctrinae Chriſtianae capitum, in literis latinis et graecis hactenus profecerit, vt vna cum caeteris diſciplinae Alumnis, infimae Claſſi adſcriptis, progredi in diſcendo poſſit.* In ea Claſſe autem quae tractentur, qui Auctores illuſtrationis luce colluſtrentur, quoniam horum quidem parentum noſſe intereſt: non pigeat, hic breuiter docere. Scilicet praeter Grammaticam latinam Cellarianam, magni illius GESNERI opera emendatam, et Graecam Hallenſem, e Graecis Euangelium Lucae, e Latinis autem PHAEDRVS, POMPONIVS MELA, (quid iſtud hominis? multi admirabundi quaerent,) CORNELIVS NEPOS, EVTROPIVS, inprimis *Selectae Hiſtoriae Heuſei*, et *Chreſtomathia Ciceroniana* tractantur, adiuncta etiam facultate, aliquid e lingua germanica in latinam ita transferendi, vt ne bono illi PRISCIANO haud merito, iniuria fiat. Haec eo conſilio hac veluti tabula publica propoſuimus, vt parentes, filios ſuos ad nos aliquando miſſuri, cognoſcant, quousque in literis latinis et graecis filios progreſſos eſſe oporteat, qui in ſcholam aliquam Electoralem recipi, in eaque bonis literis cum fructu operam dare velint. Nam, ſi harum literarum rudes ad nos peruenerint: aut illico reiiciuntur, aut, niſi vno, alteroue anno exacto haud fallacia diligentiae, ardorisque diſcendi documenta dederint, cum ſuo et parentum dolore ſchola iubentur exire. Quem vtrorumque dolorem quoniam hac Proluſione, quantum quidem facultatis noſtrae ſit, magnopere cauere velimus, cum et nos ipſi pro animo noſtro, ad concipiendum aegritudinis ſenſum perquam molli, in doloris alieni ſocietatem facile venire ſoleamus: parentes etiam atque etiam rogamus, quin per filiorum ipſorum ſalutem obteſtamur, vt omni ſtudio iis literarum latinarum graecarumque elementis eos

mature aut ipſi imbuant, aut per alios, idoneos ad hanc rem, imbuendos curent. vt ſuo tempore ad nos miſſi in ſpectatione profectuum ſcholaſtica, eaque priuata, de more maiorum recepta, et Renouata Conſtitutione Scholaſtica confirmata, ii reperiantur, qui in Alumnorum cenſum recipi et debeant, et poſſint. Quodſi parentes ipſi vel ob huius rei inſcitiam, vel ob muneris, quod obeunt, grauitatem, (quamquam honeſta educatione, prudentique inſtitutione liberorum nihil grauius iis eſſe debet,) vel ob negotiorum, quibus diſtrahuntur, multitudinem, vel ob tempus, quod multi ſibi deeſſe mentiuntur, vel propter laboris fugam, vel ob aliam quamcunque cauſſam filios ſuos initiis harum literarum imbuere non poſſint: id certe pro officii paterni religione curare debent, vt alius, qui ad docendum aptus atque induſtrius, a bonis literis ſatis inſtructus, laboris patiens, et liberorum inprimis, ipſi committendorum, amans eſt, huic muneri obeundo diligenter, et curioſe quaeratur. In tanta autem ſic doctorum *Informatorum* copia, quorum haud pauci, neceſſitate coacti, vili aliquo pretio opellam ſuam vltro et humilliime offerunt, ſi ipſi dilectum facere non poſſint: adhibeant vnum aliquem virum, cuius in ea re notio, illorumque hominum notitia eſt, vt aliquem, virtute, probitate, doctrina, docendi facultate, et induſtria inprimis ſpectatum ipſis commendet. Magna profecto in horum hominum dilectu cautio, magna prudentia adhibenda eſt, cum plerumque hi magiſtri, qui in doctrina perquam mediocri, ſi non prudentioribus, ſibi ipſi tamen multum iam ſapere videntur, et omnis adeo doctrinae admonitionisque ſalubris impatientes ſunt, de peruerſa inſtituendi liberos ratione fideliſſime admoniti, vehementer indignentur, ingenioque fruantur ſuo. De qua re iam olim QVINCTILIANVS, optimus ſane inſtituendae, formandaeque iuuentutis magiſter, (Lib. I. Inſtititutt. c. I.) queſtus eſt his verbis: *De Paedagogis* (Informatoribus) *hoc amplius* dictum ſit, *vt aut*

ſint

ſint eruditi plane, quam primam curam parentum *velim: aut ſe non eſſe eruditos ſciant. NIHIL enim eſt peius illis, qui, paullum aliquid vltra primas literas progreſſi, falſam ſibi ſcientiae perſuaſionem induerunt. Nam et cedere praecipiendi peritis indignantur, et veluti iure quodam poteſtatis, quo fere hoc hominum genus intumeſcit, imperioſi atque interim ſaeuientes, ſtultitiam ſuam perdocent.* Neque vero in hac re, grauiſſima ſane, futuram quippe liberorum fortunam attingente, ſpectandum eſt, quam vili pretio ille magiſter domeſticus ſuam operam, inſtituendique laborem offerat, ac veluti vendat: ſed quam honeſtus, quam probus, quam aptus docendo, quam amans ſit verae ſalutis liberorum, ipſius fidei, curae, inſtitutionique tradendorum: de qua re multi ne cogitant quidem. Τῶτο γὰρ ὁ Φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. Saepe audiuimus quosdam, cum non ſine quadam indignatiuncula narrarent, multos parentes in quaerendo aliquo magiſtro domeſtico non tam de virtutibus eius neceſſariis, paullo ante commemoratis, quam de eo eſſe ſollicitos, quanti iſte homo ſuum inſtituendi laborem aeſtimet, eumque optimum maximeque idoneum habere, qui opellam ſuam tam vili pretio vendat, quo ne lignicida quidem alicui operam ſuam locare, atque addicere velit. Quod ſi verum eſt, (nam nihil certi huius habemus dicere:) inirum profecto non eſt, tot pueros ſcholis Electoralibus omnium fere elementorum literarum rudes committi, cum tam egregios magiſtros habuerint. CRATETEM, PLVTARCHVS aliquo loco tradit, in optatis habuiſſe hoc, vt ſibi aliquis locus celſiſſimus Athenis daretur, vnde omnes ſe audire poſſent clamantem: *Quid agitis homines, qui ſummo ſtudio rem, diuitiasque augetis, filios vero, quibus eas relinquatis, parum curatis*: quibus allatis bene ſubiungit PLVTARCHVS, hoc nihil aliud eſſe, quam *de calceo ſollicitum eſſe, pedem autem parum curare.* Neque hodie, aut nudius tertius demum, ſed iam olim iſta ſordida quorundam

rundam parentum auaritia in liberis inſtituendis animadverſa eſt. Quidam cum ARISTIPPO, vt apud LAERTIVM (Lib. 2, 10.) eſt, filium ſuum inſtituendum tradere vellet, ab eo autem mercedem quingentarum drachmarum poſtulari audiuiſſet: *Ego tanti*, inquit, *emere mihi poſſum mancipium*: cui Philoſophus, *tu vero*, regerit, *eme, et duo habebis mancipia.* Sed haec tota res nihil ad nos, niſi hactenus, quatenus inſtitutionem publicam in ſcholis Electoralibus attingit. In his enim ſcholis doctoribus ſaepe triſtis neceſſitas imponitur haec, vt, quod XENOCRATEM, auctore LAERTIO, (Lib. 4, 10.) fugiſſe ſcimus, qui adoleſcentes, inſtitutioni ipſius committendos, Geometriae autem rudes, reii ere ſolebat his verbis: *παρ' ἐμοὶ πόκος ἁ κνάπτεται, apud me lana non carminatur*, id facere, et adoleſcentulis, bene iam robuſtis, qui, vti de vulgari proverbio eſt, ne tria quidem STESICHORI norunt, cum labore perquam moleſto, taediique pleno tradere cogantur, quae multis annis ante didiciſſe eos oportebat. Sed *ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.* Nolumus enim *Καμαρίνην κινεῖν.*

De nobilibus ſenſibus deinceps diſputare erat propoſitum. Senſus autem, quibus quidem hoc loco vtimur, cernuntur in opinionibus, quas de aliqua re conceptas tenemus, in iudiciis, quae de alicuius vel hominis, vel rei ſiue praeſtantia, ſiue vilitate ferimus. Et ex his opinionibus, ex his iudiciis oritur illa animi adfectio, qua erga rem ipſam, aut hominem aliquem ferimur et mouemur. Qui enim alii veluti fontes amoris et odii, animi vel amici, vel alieni, cupiditatis et auerſationis alicuius vel hominis, vel rei ſunt, quam opiniones et iudicia, quae animus noſter vel de homine, vel de re aliqua ferre ſolet? Quodſi in nosmet ipſos deſcendimus, et internum animi noſtri ſenſum veluti in iudicium adhibemus: inueniemus, adfectionem animi noſtri in vtramque partem non aliunde, niſi ex opinionibus, iudiciisque, proficiſci. Nam, vti cauſſa frugum

frugum in seminibus inclusa latet: ita caussa, ob quam erga aliquem hominem, vel rem in vtramque partem adfecti sumus, est in opinionibus. quas de vtroque firmiter tenemus, in iudiciis, quae de vtroque ferimus. Docet hoc suus quemque sensus internus, qui quidem non plane hospes et peregrinus in suis ipsius veluti aedibus est, nos, vti de homine aliquo, vel re quadam sentiamus et iudicemus, ita etiam vtrumque vel amare, aut odisse, vel magni facere, aut nihili aestimare, vel expetere, aut auersari, adeo, vt sensus, de quibus hic loquimur, cernantur in opinione et persuasione animi de hominis, vel rei alicuius praestantia, dignitate, bonitate, vel contra, propter quam vtrumque in honore habemus, admiramur, amamus, et expetendum, vel contemnendum, flocci faciendum, fugiendumque arbitramur. Et hi quidem sensus nobiles (h. e. verae opiniones, recta iudicia de pretio rebus statuendo,) tenerae aetati instillandi, et quodammodo ingenerandi sunt. Iam, cum Religione nihil praestantius, nihil sanctius et venerabilius, nihil, quod maiori studio expetendum sit: omnes parentes, aut qui eorum vices obtinent, in primis et praecipuis officiis habere debent hoc, vt teneris adhuc liberorum animis eas de Deo opiniones, eius maiestate, perfectione, omnibusque omnino virtutibus, bonitate inprimis, sapientia, sanctitate et iustitia mature instillent. instillatasque sermonibus crebris, venerationis erga adorandam illam Dei maiestatem plenissimis, indies magis, magisque alant atque confirment, vt amor et reverentia erga Deum iis ingeneretur, contra ea auersatio et odium erga omne id, quod aduersetur sanctissimae eius legi, voluntatique, excitetur. Ad eiusmodi sensus nobiles, homine christiano dignos, tenerae adhuc aetati instillandos permultum faciet, si crebris sermonibus ei persuaseris hoc, vt certissime credat, animoque penitus infixum habeat, nos omnes a Dei vnius potestate pendere, nos omnes nostras, bene, beateque viuendi rationes vnice in

eo

eo ſuſpenſas habere, omnia, quibus vtamur et fruamur, ſoli eius benignitati debere: nos a tam benigno Patre ad delicias vsque amari, non ſolum hoc nomine, quod opus eius, liberique ſimus, ſed etiam, idque inprimis, propter Chriſtum, qui nos acceptos ei, carosque reddiderit, omnem fortunam in eius poteſtate poſitam, et quidquid immittat, quamuis ingratum et acerbum opinionibus, iudiciisque noſtris, ſaepe in fortuna aduerſa male ſanis, videatur, id et eius ſapientia ſanctitateque eſſe digniſſimum, et rationibus noſtris conuenientiſſimum, ſaluberrimumque, et quae huius generis multa alia ſunt, mature teneris animis tradenda, et quacunque occaſione ſiue oblata, ſiue anquiſita veluti imprimenda. Haec inſtituendi ratio, facta inprimis ita, vt liberi ex ipſo docentis ſtudio, vultu etiam, animum, reuerentia erga tam venerandum Numen, redundantem, facile perſpiciant, vtilitatis habebit hoc, vt non ſolum mature ſenſus, et Dei maieſtate, et homine chriſtiano dignos, concipiant, conceptos firmiter teneant, et cum ipſis annis alant atque confirment: ſed etiam vitae rationem ita inſtituere ſtudeant, vt cultum maieſtati Dei conuenientem praeſtent, omnes actiones ſuas non externas ſolum, ſed internas etiam, easque inprimis, ad eum componant, diligentiſſimeque caueant, ne quid committant, quo eius ſanctitatem laedant, iuſtiſſimamque indignationem et iram concitent. Suus quemque ſenſus internus docebit, quam magnam, quam ſalubrem per omnem vitam vim in animo ſuo habuerint pietatis, virtutis, honeſtatisque praecepta, quae, veluti frugifera ſemina, tenera adhuc aetate, nulla prauarum opinionum, conſuetudinumque contagione infecta, inſita ſint. Felices! qui in tenellula adhuc aetate ſic inſtituuntur, et formantur. Feliciores! qui hanc docentis inſtitutionem in rem ſuam, vtilitatemque conuertunt. eamque per omnem vitam, tanquam fideliſſimam verae felicitatis magiſtram, ſequuntur. Hic vero cum in eo ſimus, vt de ſenſibus, ad Religionem perti-

pertinentibus, disputemus: ab hoc loco non abhorrens fuerit, de *patientia*, cui liberi teneris adhuc annis adsuefaciendi sunt, aliquid dicere. Nam huius virtutis exercitatio vti est per omnem vitam nostram vtilissima, maximeque necessaria: ita eius praeceptio omnium maxime negligi vulgo et omitti solet. Si qua est virtus, vti praestantia, vtilitateque sua fructuosissima, ita ad exercendum, tristi occasione diuinitus oblata, difficillima et acerbissima; est profecto *patientia*. Humana vita, quamuis beata, prosperaque decurrens fortuna, tamen, quoniam humana est, variis, iisque saepissime ingratis et acerbis vicissitudinibus, casibusque atrocissimis est obnoxia. Quam necessarium igitur, quam vtile, et per omnem vitam frugiferum erit, teneram adhuc aetatem huic virtuti exercendae adsuefacere, vt sensim, sensimque huius rei, difficilis illius quidem, maxime necessariae tamen, exercitio adsuefacta maturioribus annis, quicunque casus aduersi diuinitus acciderint, eos humanitus, h. e. animo aequo, Deique prouidentiae, benignitati, auxilioque confidente, ferat. Minus querelarum, minus erga Dei sapientissimam gubernationem indignationis, minus desperationis, ad quam saepe homines in rebus aduersis adacti sibi ipsi mortem conscisciunt, in hoc mundo foret, si ad huius tam necessariae virtutis, patientiam puta, exercitationem a teneris inde annis fuissent adsuefacti. Febricula aliqua corripitur, aut alio quodam morbo leui infans tentatur: parentis est, eum blande et amanter docere, hoc, quidquid incommodi sit, ei diuino, eoque sapientissimo et saluberrimo consilio immissum, idque factum esse ea de causa, vt mature adsuefiat aeque et patienter ferendis casibus aduersis, quos, quo adultior factus fuerit, eo plures, grauioresque perferre debeat: vitam humanam ita ferre, vt saepe cum rebus aduersis conflictandum, neque vnquam sperandum sit, fore, vt tota prospero et aequabili rerum cursu fluat. Necessarium igitur, et ex ipsius re esse, vt huic virtuti, quamuis ingratae, et

ad

ad exercendum difficili, mature adſuefiat, ne adultior factus, vbi cum multo pluribus, atque iis atrocioribus caſibus conflictandum ſit, animum deſpondeat, deque mentis gradu deiiciatur. Haec, et alia huius generis praecepta, hae doctrinae, ſi teneris adhuc liberorum animis quacunque occaſione amanter traduntur: maturioribus annis cum ſcholis publicis traditi, tum ſuo tempore muneribus publicis obeundis admoti, quidquid aduerſi prouidentia diuina, omnium rerum humanarum gubernatrix ſapientiſſima, immiſerit, humanius, aequiusque ferent. Et haec quidem de ſenſibus, ad Religionem pertinentibus. Quod autem ſenſus, ſeu opiniones et iudicia de rebus humanis, earum praeſtantia vel vtilitate, iuſtoque adeo pretio ponendo attinet: in eo teneri adhuc liberorum animi mature ita inſtituendi, ita formandi ſunt, vt, quid de iis ſentiendum, iudicandum, habendumque ſit, probe diſcant atque cognoſcant. In quo quidem innumeri fere homines, ob huius rei inſtitutionem, in tenera aetate neglectam, peccare, et male ſentiendo, iudicandoque in tranſuerſum abripi ſe, auferrique patiuntur. Quotusquisque enim eſt, qui de rerum humanarum pretio, dignitateque recte ſentiat et iudicet, atque ita erga eas adficiatur, vt earum conditio poſtulat? Quam multi ſunt, qui de rebus humanis, quamuis fluxis et caducis, nihil ſolidi, aetatemque laturi habentibus, et non, niſi imperitorum, ſtolidorumque animos et oculos vana deceptriceque ſpecie praeſtringentibus, perquam magnifice ſentiant, immane quantum pretium iis ponant, quin ſummam felicitatis iis contineri arbitrentur? De generis claritate, de Nobilitatis praeſtantia, auri, diuitiarumque fulgore, aedium magnificentia, ampliſſimorum honorum ſuperbis titulis, gloriae ſplendore, de ſumtuoſa famulitii pompa, multisque aliis eiusmodi bonis putatitiis, rebusque vanis, quae ſaepe ſtultiſſimis etiam et indigniſſimis obtingere ſolent, quotusquisque eſt, quin magnifice et honorifice ſentiat, et cum has res ipſas in ſumma felicitatis humanae ponat, tum eos,

quibus

quibus obtigerint, eo nomine beatiſſimos iudicet? Ex iſto ignobili ſenſu, ex iſto male ſano iudicio id oriri ſolet, vt iſtas res non ſolum maximi aeſtimandas, ſed omnibus votis expetendas ſibi putent. Parentum igitur eſt, inter alia liberos ſuos in hac re ita inſtituere, vt doceant, omnia haec ad ἀδιάφορα ſeu *res mediae*, h. e. ad eas pertinere, quae per ſe naturaque ſua neque bonae, neque malae ſint, ſed eiusmodi conditionis, perinde ac ſit animus illius, qui iis vtatur, adeo, vt perſuaſum habeant, penitusque mentibus infixum, veram hominis chriſtiani dignitatem felicitatemque non a rebus caducis et fluxis, animos, oculosque imperitae plebeculae capientibus, comparandis, frendisque proficiſci, ſed Religionis, verae in Deum pietatis, virtutisque ſtudio, recte factorum conſcientia, integritate vitae, magnitudine animi, officiis Deo, et hominibus publice, priuatimque ſincero animo praeſtandis et eiusmodi aliis virtutibus niti et vnam eſſe, eamque veriſſimam, ſplendidiſſimamque Nobilitatem, non generis, ſed animi, quae non Naturae neceſſitati, fortuitaeque naſcendi ſorti, ſed virtutis praeſtantiae debeatur. Commoda inprimis occaſione, quae non raro ſeſe offert, poſſunt vnius, et alterius hominis exemplo, ad perſuadendum perquam idoneo, ipſisque praeceptis efficaciore, liberos docere, quam profunde hunc v. c. inanis iſta gloria, vanique honoris amplitudo merſerit, illum opum affluentia in ſummam pernicieim detruſerit, alium blandae voluptatum illicitarum illecebrae ad grauiſſimorum dolorum cruciatum traxerint, verbo, quam multi his bonis putatitiis perierint. Haec, et huiusmodi generis alia ſi parentes omni occaſione, qua inciderit ſermo de rebus humanis, bonisque externis, v. c. de generoſa et nobili ſtirpe, de diuitiis, honoribus aliisque rebus humanis, ſplendore vano animos, oculosque decipientibus, ita exponunt, vt de iis contemptim, vel cum aliqua ἀδιαφορίᾳ, e ſono vocis, et vultu etiam eluceſcente, loquantur, contra, vbi de Religone, rebus diuinis, virtute, celſitu-

dine animi etc. dicendi occasio est, loquantur ita, vt reuerentia, admiratio et amor harum rerum liberorum animis ingeneretur, haec, ergo, si parentes mature, crebroque tradunt, grauiterque iniungunt: eiusmodi sensus nobiles et honesti teneris animis sensim ingenerabuntur, et crebra, diligentique harum rerum cogitatione, veluti alimento aliquo, indies magis, magisque firmati corroborabuntur. Plura de vtroque horum sensuum genere desideraturo satisfaciet Summe Venerabilis senex, IO. AVG. ERNESTI, quam venerabile mihi, et dulce nomen! in eximia illa *de Disciplina Christiana* Disputatione. Caeterum, non abhorrens ab hoc loco fuerit, de *amore patriae*, tenerae aetatulae instillando, aliquid subiungere. Quae res, quamquam permagnam vim per omnem vitam habere, patriaeque nostrae permultum commodi afferre potest: tamen in educatione et institutione puerilis, iuuenilisque aetatis a plerisque fere omnibus, veluti nulla animaduersione, aut cura digna, negligi solet. Constat, veteres Romanos in aliis egregiis institutis habuisse et hoc, vt liberis suis a teneris inde vnguiculis opinionem afferrent, et cum ipso fere lacte materno instillarent hanc, vt persuasum haberent, proximum locum secundum Deos obtinere patriam, atque adeo maiorem ei pietatem, maiorem amorem, quam ipsis parentibus, deberi. Haec opinio, cum ipso fere lacte materno hausta, haec animi persuasio de amore patriae debito, indies magis, magisque confirmata, tam altas radices in eorum animis egit, et succedente tempore tam pertinax euasit, vt non, nisi cum vita ipsa deponeretur. Hic autem amor patriae, quis in antiquitatis Romanae memoria cognoscenda tam egregie hospes est, quin sciat, quantam vim in ciuium Romanorum animis habuerit, quantaque commoda Reipublicae attulerit? Hic amor patriae iis opinionem penitus infixerat hanc, vt putarent, nihil se dignius, nihil optabilius, nihil ad dignitatem ciuis Romani glorioſius facere posse, quam hoc, vt patriae suae publice, priuatimque opera sua sine vllo commodo,

saepe

saepe etiam cum incommodo suo, prodessent, grauissimos labores, durissimasque molestias pro Republica susciperent, praesentissima pericula subirent, quin, si salus patriae exigeret, vitam ipsam profunderent, seque adeo pro salute publica deuouerent. Perquam optabile esset, vt parentes christiani hoc praeclarum veterum Romanorum institutum secuti ad vsum transferrent, in rem, vtilitatemque patriae nostrae, cui Deus semper faueat! conuerterent, atque teneris liberorum suorum animis hunc amorem patriae instillarent. Quod quidem commodissima ratione fieri possit hac, si eos crebro admoneris, quam magni beneficii diuini sit, in ipso veluti gremio verae Ecclesiae natum esse, cum eodem tempore sexcenti alii infantes in aliis terris, vbi vel coeca superstitio, vel crassa veri Dei ignorantia dominetur, in lucem editi sint: quantae felicitatis sit, in ea terra educari et institui, in qua primum lux purioris doctrinae christianae, a tot inde seculis innumerorum errorum superstitione obscuratae et deturpatae, exorta breui radios suos splendissimos per omnem fere terrarum orbem sparserit: quanti hoc sit aestimandum, quod securi, tranquillique viuant in ea terra, cui regundae diuino aliquo munere concessus sit Princeps, vti Optimus, ita Sapientissimus, et quo nullus nobis neque clementior, neque salutis ciuium suorum amantior, studiosiorque, etiamsi mente fuisset, cogitationeque fingendus, obtingere potuisset, vno verbo, dulcissimum omnium Saxoniae ciuium Delicium. Haec, et multa huius generis alia si teneris adhuc liberorum animis crebro proponuntur, ita tamen, vt sine vllo aliarum terrarum contemptu fiat: non dubium est, quin habitura sint hanc vim, vt sensim, sensimque verum patriae amorem instillent, suoque tempore ciues reddant, qui in officiis suis primis ponent hoc, vt omnia sua in commodum patriae conferant, quin dulce quodammodo putent, pro patria mori.

Reſtat, vt de venuſtate morum, cultusque munditie vel tribus verbis dicamus, quod vtrumque vti hac aetate noſtra cum omnibus paullo honeſtioris conditionis hominibus, tum haud ſcio an literarum ſtudioſis inprimis neceſſarium ſit, et tam arcta colligatione connexum contineatur, vt non facile alterum ab altero ſeiungi, dirimique poſſe videatur. Et de neceſſitate quidem huius vtriusque rei non eſſe putamus, quod multis diſputemus, cum vnusquisque paullo humanior, nec plane oſcitans morum noſtrorum ſpectator ipſe animaduerterit, neceſſe ſit, quam delicata haec aetas noſtra, quam faſtidioſa, et quodammodo moroſa ſit in rebus externis, quae non niſi in oculos incurrunt, ſpectandis et diiudicandis. Innumera fere exempla docent, poſſe aliquem in ingenii, doctrinaeque mediocritate, ſi venuſtatem morum, cultusque munditiem commendatrices habeat, facilius ſibi aditum ad aliorum fauorem, fortunamque futuram munire, quam multos alios, qui et ingenio praeſtantes, et a bonis literis probe ornati, ab his autem blandis animorum conciliatriculis ſint deſtituti. Quod quidem non eſt, quod magnopere miremur. Nam, cum plerique hominum oculorum ſenſu magis, quam mentis iudicio duci ſe, regique patiantur, magisque externas, quam internas virtutes ſpectent: ad iudicandum non difficile eſt, maiorem vim habere, faciliusque animum mouere ſolere, quae ſub viſum, adſpectumque cadant, quam quae non, niſi mente, et intellectu cognoſci poſſint. Haec autem morum elegantia et venuſtas, cultusque mundities vti omnibus omnino, quos Natura non plane ad ſordes abiecit, ſtudioſiſſime commendanda, ita ſtudio bonarum literarum conſecratis maxime neceſſaria eſt, non ſolum hoc nomine, quod *humanitatis*, h. e. literarum humaniorum ſtudioſi ſunt, quibus diſcendis neceſſario operam prius nauare debent, quam ad altiores doctrinas in Academia rite, et cum fructu percipiendas accedere volunt, ſed etiam hac de cauſſa, quod plerique eorum maturiori-

turioribus annis puerorum, adoleſcentulorumque ingeniis inſtruendis, animis formandis, moribusque fingendis atque perpoliendis adhiberi et cupiunt, et ſolent. In quorum hominum dilectu faciendo praecipue has duas virtutes commendatrices, venuſtatem morum puta, cultusque munditiem, requirunt. Et id quidem iure. Quomodo enim poſſit liberos, formandos alicui commiſſos, humaniores, politiores, et cum in cultu, tum in ſermone elegantiores, venuſtioresque reddere, qui ipſe et a ruſticitate inſignis eſt, et cultu deformis, horridusque adeo incedit. Quare fideliſſime cohortamur, quin, humaniſſime rogamus parentes, qui quidem filios ſuos, literarum ſtudiis conſecrandos, ſcholae noſtrae Electorali ſuo tempore commiſſuri ſunt, vt inter alia diligenter curent et hoc, vt liberi, quemadmodum morum venuſtorum, ita et munditiei, (non odioſae iſtius et putidae foeminarum, formoſos oculis venantium, propriae, et quodammodo inſitae,) elegantis tamen et decorae cum corporis, tum veſtium amantes, ſtudioſique mature fiant. Nam iſta diſſoluta munditiei cura, iſta agreſtis in veſtitu negligentia liberorum diuturnitate temporis eam vim habet, vt, conſuetudine contracta, adultiores etiam, et viri adeo facti, ſordibus deformes, veſtituque et toto cultu incompoſito notabiles non ſine riſu et contemptu hominum vrbaniorum, politiorumque incedant. *Adeo in teneris conſueſcere multum eſt!* Sunt ſane multi puerorum et adoleſcentulorum, (longa experientia edoctus haec ſcripſi,) qui ſuis ſordibus, porcellorum inſtar, delectentur: qui, etſi ab ingenii, animique dotibus egregiis commendabiles ſunt; tamen ob hanc cultus ruſticitatem non facile fauorem, gratiamque hominum politiorum conſequantur. Et ſane, quis iuuenem, qui ob ſordes dentium, nunquam purgatorum, ob gravem animam, odoremque foede exhalatum, ex ea ipſa negligenti munditiei cura fere contractum, moleſtus et intolerabilis eſt, aut manibus, ſordium ſpurcitie oppletis, ve-

ſtibusque hinc inde laceris incedit, aut crinibus hirſutis et erectis, vagisque per collum pendentibus horret, aut aliis quibusdam ſordium maculis inſignis conſpicitur, quis, igitur, eiusmodi iuuenem facile admittat, iubenter ſecum retineat, et vel alloquio dignetur, aut liberis adeo inſtituendis praeficiat? Non pigebit, ſubiungere iis, quae in hanc rem diſputauimus, verba magni illius NEANDRI, alio loco a nobis iam allata, qui aliquo loco ſic: *Videndum eſt*, Parentibus, et Praeceptoribus, *vt totus cultus* liberorum, et diſcipulorum, *vultus, geſtus, et habitus corporis ingenuam modeſtiam et verecundam indolem prae ſe ferat: vt ſint elegantiae obſeruantiſſimi. Ne vacillent tibiis, nec ſint geſticuloſae manus, ne mordeant labra, ſcabant caput, nec fodiant aures. Ne ambulando greſſus imitentur hiſtrionum, et quaſi fercula pomparum geſtantium, et quotiescunque gradum transferant, modulos quosdam ſeruare videantur, qui greſſus, vt peſtis, fugiendus. Nec curſim nimis ambulent, nec lente nimis. Greſſus ſit probabilis, in quo tranquillitatis veſtigium: motus ſit purus et ſimplex Nihil fucatum, nihil adfectatum placeat. Motum natura informet: ſi quid autem in natura vitii eſt, emendet induſtria.* Haec ille.

P. P. in Illuſtri Moldano, ipſis Calend. Septembr. A. R. S. CIↃIↃCCLXXIV.

XVIII. PRO-

XVIII.

PROLVSIO QVA DECRETVM BYZANTIORVM FACTVM IN HONOREM ATHENIENSIVM EMENDATVR ET ILLVSTRATVR.

Nuper cum disciplinae nostrae alumnis Orationem *de Corona*, praestantissimam sane, Demosthenicarumque facile principem et reginam, interpretationis luce collustrare institueremus, facile autem praeuideremus, huius Orationis veluti campum ampliorem esse, quam quem breui tempore interpretando emetiri possemus: consilium cepimus, documento aliquo exhibito, iis, qui in hoc doctrinae genere aliquid vident, et iudicare possunt, ostendere, quam rationem in ea interpretanda teneamus, quaque via iuuenes ad accuratam literarum graecarum cognitionem, gustumque concipiendum adducere studeamus. In qua quidem re secuti sumus et hoc, vt in iis, qui in Scholis vel inferioribus, vel altioribus, quas Academias vocant, humanitatis studiis sese consecrarunt, hac opella nostra amorem, studiumque literaturae graecae, si fieri possit, aliquo modo incenderemus, incensumque aleremus et confirmaremus. Quod eo magis faciendum esse nobis existimavimus, quo magis intelleximus, huius rei studium indies magis, magisque deferuescere. Vna fere et consentiens doctissimorum Virorum in Academiis querela est, ab aliquo inde tempore cum omnium humaniorum, tum graecarum inprimis, literarum studium adeo refrixisse, vt non temere verendum sit, ne succedente tempore hae tam vtiles, tam necessariae literae e Saxonia nostra, beata illarum hucusque sede, exsulent proscriptae. Viuit adhuc, et omnibus rebus, quibus vera felicitas humana censetur, florentissimus quam

diutiſſime viuat! ſinceriſſime optamus, Vir diuinarum, humanarumque literarum Conſultiſſimus, Vindex ille et Stator bonarum literarum fugientium, diuino aliquo munere Saxoniae noſtrae conceſſus, et hucusque nobis conſeruatus: qui ſi ad felicioſſimas illas beatorum ſedes fuerit translatus: timendum ſane eſt, (licet enim fremant omnes: tamen dicendum, quod res eſt,) ne elegantiores literae, quae hucusque apud nos non ſine inuidentia, et indignatiuncula aliarum terrarum floruerunt et indies laetiora incrementa ceperunt, pau latim labare, deſidentesque labi, et magis, magisque lapſae praecipites ire incipiant. Quod omen Deus auertat! In hac ipſa Schola noſtra, quae vna omnium optima in Saxonia noſtra dicitur, ſiue ita eſt, ſiue ita putatur, in hac, igitur, Schola ab aliquo inde tempore animaduertere nobis viſi ſumus, ſtudium graecarum literarum non tam tepeſcere, quam frigeſcere. Cuius quidem rei cauſſae etſi et aliae ſunt; tamen praecipuam putamus eſſe hanc, quod plerique literis conſecrati hac aetate noſtra omnem ſtudiorum ſuorum rationem non niſi *pane lucrando metiuntur*, adque eum vnum omnia referunt, adeo vt, quod huc non facere videatur, id, tanquam inutile, et quodammodo nugatorium, negligendum ſibi fugiendumque arbitrentur. Nam iuuenes, qui ſtudio theologico ſeſe conſecrarunt, aut conſecrare ſuo tempore volunt, ſatis graece doctos ſe eſſe ſomniant, ſi modo *Nouum Teſtamentum ſuum* miſerabili aliqua verſione latina, quamvis obſcuris Ebraismis, Latinismisque referta, aut bono illo Paſore adiuti *exponere*, et verba graeca verbotenus latine reddere poſſunt. Quod ſi facere poſſunt: tum vero *Nouum Teſtamentum ſuum* probe intelligunt. Aliter enim his, panis lucrandi tantum cupidis, haec ſacra non conſtant. Qui autem iuris prudentiae aliquando in Academia ſtudium, tempusque ſuum conſecrare volunt, ii linguam graecam, veluti infauſtam auem, in Morboniam abire iubent, fideliſſimi in hac re ſequaces magni illius ducis ACCVRSII, qui, quotiens in graecos verſiculos, Inſtitutionibus Iuſtinianeis hinc

hinc inde interſperſos, quales v. c. ſunt Homerici Lib. II. Tit. VII. de *Donationibus*, et Lib. III. Tit. XXIV. incidiſſet, dixiſſe fertur: *Graeca ſunt, non leguntur*. Tam magnifice de literis graecis earumque et vtilitate, et neceſſitate magnus ille Iurisconſultus iudicauit. Scripſit ante hos quinquaginta fere annos SCHRAMMIVS libellum, *de vſu et neceſſitate literarum humaniorum in Iurisprudentia*, in quo p. 125-135. docet, quam vtilis, quam neceſſaria adeo graecae linguae cognitio iurisprudentiae ſtudioſis ſit. Omnia autem ibi dicta ſurdis auribus inſuſurrauit. Sed hae querelae de hodierno neglectu, contemptuque harum literarum, vanae ſunt, quibus quippe aeque parum efficitur, ac piis deſideriis et votis. Ego certe non is ſum, qui huic malo, indies latius ſerpenti, et magis inualeſcenti, mederi me poſſe confidam. Nam propemodum dementis ſit, ſibi hanc perſuaſionem induere, vt credat ſe ſua vnius opera tale quid efficere poſſe. Equidem longe abſum, vt putem, me hoc hac ſcriptiuncula praeſtiturum eſſe, qui, ſi arbitrii mei fuiſſet, ne manum quidem vel huic Proluſioni, vel vlli alii loco tractando admoturus eram. Nam ex eo inde tempore, quo ante hos ipſos duo annos cum graui aliquo, atque eo perquam pertinaci morbo conflictandum erat, tanta me ſatias aliquid ſcribendi, et in lucem, adſpectumque doctorum virorum emittendi cepit, vt mihi ipſe magnam vim admouere deberem, cum ad hanc Proluſionem ſcribendam me accingebam. Adeo alieni ab hoc laboris genere a duobus inde annis facti, et magis ad bonos libros diligenter lectitandos, quam ad ſcribendum aliquid, quod aetatem non ferat, tracti ſumus. Eam ipſam ob cauſſam nondum animum inducere potuimus, vt BREITKOPFIIS, viris honeſtiſſimis, aliquid certi promitteremus de *Lexico Schoettgeniano* N. T. quod propediem tertium typis exſcribi, iterumque curis noſtris recenſeri, emendari, et hinc inde locupletari cupiunt. Quamquam enim magnam obſeruationum ſyluam, a decem inde annis collectam, et in exemplari noſtro congeſtam, in

promptu habemus, qua adiuti hunc laborem, iuuentuti Sacrarum literarum ſtudioſae perquam frugiferum, ſuſcipere et perficere poſſimus: tamen faſtidium, neſcio quod, ab aliquo inde tempore creatum, ſcribendi aliquid, quod in publicum proferatur, ab huius rei ſuſcipiendae conſilio hucusque nos retinuit, et forte ſemper retinebit. Itaque ne de hac quidem Prolusione ſcribenda cogitaturi eramus, niſi mori, in hoc Illuſtri Moldano ante hos fere quadraginta annos introducto, poſtea autem ſemper vſurpato, aliquid dandum fuiſſet, quo Oratiunculis, die huius Scholae Natali publice habendis, Prolusionis aliquid praemitti ſolet. Cum igitur dies Natalis Illuſtris Moldani noſtri, ante hos CCXXV annos diuinis auſpiciis aperti et conſtituti, Deique Optimi Maximi clementia cum maxime laetiſſime florentis, grata piaque mente celebrandus, inſtaret: mori recepto obſecuti putabamus, eſſe aliquid ſcribendum. Scripſimus igitur: non vt aliquid ſcripſiſſe, ſed ne plane tacuiſſe videremur. Materiam ſcribendi autem ſumſimus e nobiliſſimo illo Byzantiorum Decreto, in honorem Athenienſium, inque grati animi ſignificationem facto, quod in Orat. Demoſthenis π. Στεφ. c. 27. extat. Exhibemus autem hoc Decretum, vti in Editione, quae Londini MDCCXV. cura P. FOVLKESII, et I. FREINDII graece et latine prodiit, exhibitum eſt. Nam hac Editione vtebamur tum, cum ante hos XV annos inſtituebamus Commentarium *Hiſtorico-Grammatico-Criticum* et in hanc Demoſthenis Orationem, et in eius aduerſariam Aeſchinis ſcribere: quem forte iam ante aliquot annos edidiſſemus, niſi religioni nobis duxiſſemus, bonum redemtorem harum duarum Orationum, iſto Commentario illuſtratarum, nummis emungere auctoresque adeo fieri poenitentiae damnoſae.

Nam prope verum videbatur, hunc librum, tanquam mercem aliquam vilem et obſoletam, non facile quemquam quaeſiturum, atque adeo impenſas factas bibliopolae nunquam remuneraturum eſſe. Hac enim aetate noſtra, elegan-

ti

ganti ſane, et in guſtu perquam delicata dominatur et expetitur fere, quidquid germanica lingua ſcriptum eſt, inprimis quae ludis, fabulisque et Scenicis, et Romanenſibus cognoſcendis inſerviunt, et quas *bellas literas, ſcientias pulchras* vocant: has ſibi expetunt, has ſibi cupide emunt, has ſtudioſe legunt, has, veluti amaſias ſuas, amplexi belli iſti *bellae literaturae* amatores exoſculantur. Sed hoc nihil ad nos: ſuo quisque fruatur ingenio. Rem praeſentem potius agamus. Scilicet, quod in hac Proluſione ſcribenda aliquid tractandum ſumſimus, e literatura graeca petitum; id, praeter cauſſas ſupra indicatas, fecimus commoti et hac, vt quorundam ſiue delicato guſtui, ſiue moroſo faſtidio gratificaremur. Nam ſaepe fando cognouimus, quosdam faſtidioſos Lectores prae ſe tuliſſe, ſe in Proluſionibus noſtris cupere etiam aliquid docti, et quidem eiusmodi quid, quod graecas literas attingeret, legere (quae enim a nobis antea ſcriptae ſunt, eae, quoniam parum aut nihil graece, continent, nihil docti habent). Quos quidem bonorum illorum virorum ſermones audire non poteramus, quin illico animum noſtrum ſubiret lepida illa narratiuncula de quodam ſtudioſo Academico Halenſi, literarum graecarum aeque perito, ac ego Chinenſium. Venit iſte homo cum *amicorum ſuorum albo* (*Stambuch* Noſtrates vocant,) nitidiſſime compacto, ad CHRIST. THOMASIVM: petit, vt ſibi aliquid inſcribat, ſed *aliquid graece*. THOMASIVS, intellecto lepido hominis ingenio, arrepto iſti libello leniter ſubridens inſcribit haec: τὸ γραπτὸν ἐν ἔστι πικτόν. Quo conſpecto, laetus abit bonus iſte homo, ratus, magno aliquo munere ſe beatum eſſe. Nam *aliquid* graece *albo* inſcriptum habebat ſuo. Sed quorſum tu haec? quorſum ego? Id vero dicere nihil attinet. Nam nec mihi os ferreum, nec tibi cor plumbeum. Sed redeamus ad Decretum noſtrum. Id exhibebimus, vti diximus, ex Editione illa Londinenſi graece et latine. Nam eo tempore, quo Commentarium in hanc Orationem ſcribebamus, Editionem *Taylorianam*, ſplendidam illam quidem, ſed pro dignitate ſua cariorem, nec facile ſine pretio inſano fere parabilem, nondum eramus nacti.

ΨΗΦΙΣΜΑ ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ.

Επὶ Ἱερομνάμονος Βοςπορίχω, Δαμάγητος Ἐντεαλία ἔλεξεν ἐκ τᾶς Βωλᾶς λαβὼν ῥήτραν. Ἐπειδὴ ὁ Δᾶμος ὁ Αθηναίων ἔν τε τοῖς προγενομένοις καιροῖς εὐνοέων διατελεῖ Βυζαντίοις καὶ τοῖς συμμάχοις καὶ συγγενέσι Περινθίοις, καὶ πολλὰς καὶ μεγάλας χρείας παρέσχηται ἔντε τῷ παρεςακότι καιρῷ, Φιλίππȣ τȣ̃ Μακεδόνος ἐπιςρατεύσαντος ἐπὶ τὰν χώραν καὶ τὰν πόλιν επ' ἀναςάσει Βυζαντίων καὶ Περινθίων καὶ τὰν χώραν δαίοντος καὶ δενδροκοπέοντος, βοηθήσας πλόιοισιν ἑκατὸν καὶ εἴκοσι, καὶ σίτῳ καὶ βέλεσι, καὶ ὁπλίταις, ἐξείλετο ἄμμε ἐκ τῶν μεγάλων κινδύνων, καὶ ἀποκατέςασε τὰν πάτριον πολιτείαν, καὶ τὼς νόμως, καὶ τὼς τάφως. Δεδόχθω τῷ Δάμῳ τῷ Βυζαντίων καὶ Περινθίων Ἀθηναίοις δόμεν ἐπιγαμίαν, πολιτείαν, κτᾶσιν γᾶς, καὶ οἰκείαν προεδρίαν ἐν τοῖς ἀγῶσι ποτὶ τὰν Θόλον, ποτὶ τὰν Βωλὰν καὶ τὸν Δᾶμον, παρὰ τοῖς περὶ τὰ ἱερά· καὶ τοῖς κατοικεῖν ἐθέλουσι τὰν πόλιν ἀλειτουργήτοις ἦμεν πᾶσαν πρὸς τὰν λειτουργίαν, ςᾶσαι δὲ καὶ εἰκόνας τρεῖς ἑκκαιδεκαπήχεις ἐν τῷ Βοσπόρῳ, ςεφανούμενον τὸν Δᾶμον τῶν Ἀθηναίων ὑπὸ τῷ Δάμῳ τῶν Βυζαντίων καὶ Περινθίων, ἀποςεῖλαι δὲ καὶ δωρεὰς ἐς τὰς ἔντε Ἑλλάδι πανηγυρίας, Ἴσθμια, καὶ Νέμεα καὶ Ὀλύμπια, καὶ Πύθια, καὶ ἀνακαρύξαι τὸν ςέφανον, ᾧ ἐςεφάνωται ὁ Δᾶμος ὁ Ἀθηναίων ὑφ' ἡμῶν, ὅπως ἐπιςέωνται οἱ Ἕλληνες πάντες Ἀθηναίων ἀρετὰν, καὶ τὰν Βυζαντίων καὶ Περινθίων εὐχαριςίαν.

DECRE-

DECRETVM BYZANTIORVM.

Hieromnemone Bosporicho Demagetus Entealiae F. facta sibi a Senatu dicendi potestate, verba fecit: Quoniam Populus Athenienſis cum superiori tempore Byzantios foederatosque et cognatos Perinthios beneuolentia perpetua prosecutus est, tum etiam nuperrime, cum Philippus Macedo huic agro atque vrbi bellum inferret, eo scilicet animo, vt Byzantios Perinthiosque prorsus deleret, cumque agros incendio vastaret, arboresque excideret, idem Populus *multis nos, magnisque commodis affecit, atque missis in auxilium nostrum centum viginti nauibus,* cum magna *frumenti, armorum, et militum* copia, *magnis periculis nos liberauit, et antiquum Reipublicae statum, et leges nostras, et sepulcra nobis restituit: Placeat ergo Populo Byzantio et Perinthio, dare Athenienſibus ius matrimonii nobiscum contrahendi,* dare etiam *ciuitatem, et agrorum possessionem; ac in ludis ac certaminibus apud Tholum, in Curia et apud Populum, eosque qui sacris rebus sunt praefecti, principem et proprium iis locum concedere: et quicunque ex illis in hac vrbe habitare voluerint, eos omnino immunes esse permittere.* Placeat praeterea, *vt tres statuae 16 cubitorum in Bosporo ponantur,* quae significent, *Populum Athenienſem a Populo Byzantio et Perinthio coronari: mittantur etiam praemia ad publicos totius Graeciae conuentus, ad Isthmia, Nemea, Olympia, Pythia, ibique praedicetur corona, qua Populus Athenienſis a nobis donatus est: eo, vt vniuerſis Graeciae populis indicetur tum Athenienſium virtus* ac beneuolentia, *tum Byzantiorum Perinthiorumque gratitudo.*

ANI-

ANIMADVERSIONES.

Ad hoc Decretum nobiliſſimum, Librariorum autem vel inſcitia, vel incuria miſere corruptum, foediſſimisque maculis deturpatum, a mendis repurgandum, et hinc inde interpretationis luce colluſtrandum Viri, in hoc literarum genere inſignes [a]), HENR. VALESIVS [b]), DALENIVS [c]), Illuſtris MAFFEIVS, et [d]) Vir quidam doctus, qui ſua tamen omnia DALENIO debet, ingenium, doctrinamque ſuam contulerunt. Nos quidem hoc Decretum, vti in Edit. Anglicana, paullo ante indicata, extat, ita typis exſcribendum curauimus, poſtea et aliorum, et noſtri ingenii ope oſtenſuri, quomodo et legendum et recte intelligendum ſit.

Ἐπὶ Ἱερομνάμονος Βοσποφίχω) Hic Ἱερομνάμων alius ordinis, dignitatisque fuiſſe videtur, quam ii *ἱερομνήμονες*, quorum creberrima fit mentio in Concilio Amphictyonum (de quibus vide REINESIVM in Syntagm. Inſcriptt. Antiqu. Claſſ. I. 241. et quos ibi laudat HESYCHIVM et HARPOCRATIONEM). Mihi quidem dubium non eſt, quin Ἱερομνάμων Byzantii fuerit ſummus magiſtratus annuus, atque is *ἐπώνυμος*, ita, vt de eius nomine annus ſignaretur, et quicquid tum notatu dignum accidiſſet, et ipſe Senatui praefideret: quam dignitatem ſummam in aliis Graeciae ciuitatibus Ἀρχιερεῖς, Ἄρχοντες, Πρυτάνεις etc. obtinebant, de qua re multis diſputabamus ad *Decreta Flauiana* p. 202. ſqq. et 360. De duplici Ἱερομναμόνων genere vide diſputantem

THOM.

a) In Emendatt. Lib. IV, 9.
b) In Diſſertatt ad Inſcriptt. et Marmora p 777. ſqq.
c) In Diſſertatt. ad Triada Inſcriptt. Veronae 1732. cuius videndae mihi nulla copia facta eſt.
d) In Obſeruatt. Miſcell. Vol. II. T. III. p. 354. ſqq. quae cura P. Burmanni et Doraillii prodierunt.

THOM. LYDIATVM ad *Chron. Marmor.* in Marmor. Oxonienſ. p. m. 125. ſq.

Ἐντεαλίᾳ) Mira eſt in hoc corruptiſſimo Pſephiſmate lectionum vitioſarum varietas. Quam lectionem exprimendam curauimus, habet *Anglicana* FOVLKESII, vtraque *Heruagiana*, *Wolfiana*, et *Pariſina* BENENATI an. 1570. In ALDINA autem et *Tayloriana* eſt: ἐν τεαλίᾳ. Huius mirificae, ne dicam portentoſae, lectionis verſiones omnes mirificae circumferuntur. In *Anglicana* redditur, *Demagetus Entealiae* F. quod quid ſit, Oedipus dicat, non ego: in *Wolfiana* autem *in Tealia*, aeque feliciter! Neque melior verſio e lectione ineptiſſima cudi poteſt. Nam, quam rationem huius ineptae lectionis quodammodo defendendae Vir quidam doctus (in Obſeruat. Miſcell. Vol. II. Tom. III. p. 356.) excogitauit, ea et ipſa eſt inepta. Saepiſſime in hac voce ridicule peccatum eſt, v. c. in quadam Inſcriptione apud GRVTERVM T. I. p. CCCCI. edit. *Burmannianae*, eſt ΕΔΟΞΕ ΤΑΙ ΛΑΙ. ΚΑΙ ΤΑΙ ΣΥΓΚΛΗΤΩΙ-ΡΙ, vbi quid ſit ται λαι, vix diuinando aſſequare. Legendum ibi omnino ΤΑΙ ΑΛΙΑΙ, hoc ſenſu: *Placuit concioni ſ. populo et Senatui.* Sed quid huic Demoſthenis loco faciendum? Scilicet ſcribendum eſt: ἐν τᾷ ſ. ταῖ ἀλίᾳ, vt dudum legendum cenſuit DALENIVS (Diſſertat. IX. ad Inſcript. et Marmor. p. 779.) quae emendatio palmaria ſane, et capitalis eſt; quam diuinationem etiam, vt veriſſimam, Taylor e Cod. Guelpherbyt. confirmauit. Sed poſtea cognoui, Magnum illum CASAVBONVM ad Athenaeum II, 3. huius emendationis palmam praeripuiſſe DALENIO, cum l. c. pro ἐντεαλίᾳ legendum cenſeret ἐν τῇ (potius ἐν ταῖ) ἀλίᾳ. Scilicet Ἀλία e Dialecto Dorica idem eſt, quod Ἐκκλησία, *conuentus*, *concio populi*, pro quo eſt apud HERODOTVM ἀλιή. Vnde ἀλίζειν, συναλίζειν ſaepe eſt *congregare*, *conuocare*. IOSEPHVS (Antiquit. XIX, 7. 4.)

καὶ

interpretatur per *Decretum*. Nulla harum interpretationum probabilis, atque adeo nec commendabilis est. Mihi quidem haec verba ita intelligenda videntur, vt, deliberatione antea in Senatu, de honoribus, Athenienſi populo tribuendis, facta, Damagetus poteſtatem accepiſſe dicatur, de eadem re ad populum in concione ferendi, adeo, vt, quemadmodum in Athenienſium, aliorumque Graeciae populorum inſtitutis erat, ἐκ προβουλεύματος hoc in Senatu factum Decretum ad populum in concione tuliſſe cenſendus ſit, qui ſuis id ſuffragiis confirmaret, aſſenſuque ratum faceret ſuo. Idem igitur in his verbis ſenſus, qui in hac ipſa DEMOSTHENIS Oratione C. 11. Συγκλήτου Ἐκκλησίας ὑπὸ στρατηγῶν γενομένης, καὶ ΠΡΥΤΑΝΕΩΝ καὶ ΒΟΥΛΗΣ ΓΝΩΜΗΙ — — Καλλισθένης εἶπεν, *Callifthenes de Prytanum et Senatus Sententia ad populum tulit*, (nam id denotat ſexcenties ἐιπεῖν, vti h. l. ἔλεξεν) et C. 34. Εἶπε Καλλίας Φρεάρριος Πρυτανέων λεγόντων Βουλῆς γνώμην· *Tulit Callias ad populum de ſententia Senatus Prytanum auctoritate.* Quare huius loci verba ita reddenda putem: *Damagetus, facultate a Senatu accepta, ad populum tulit.* Εἰπεῖν apud Oratores Atticos eſſe vel *ad Senatum referre*, vel ad Populum ferre, in hac DEMOSTHENIS Oratione ſaepe occurrit.

Ἐπειδὴ ὁ Δᾶμος ὁ Ἀθηναίων) Sic ſcribendum, non vt in *Anglicana* eſt Δῆμος contra Dialecti Doricae indolem, et ſic recte poſtea in *Tuyloriana* expreſſum vidi. Caeterum frequens loquendi ratio forte poſtulet ὁ Δᾶμος τῶν Ἀθηναίων, vti vel in hac ipſa Oratione ſexcenties, v. c. C. 9. τῷ Δήμῳ τῶν Ἀθηναίων, et c. 26. τῷ Δήμῳ τῶν Ἀθηναίων, et in hoc ipſo Decreto eſt ὑπὸ τῷ Δάμῳ τῶν Βυζαντίων. Neque tamen quid mutare auſim, cum mox ſequatur, τῷ Δάμῳ τῷ Βυζαντίων, et ὁ Δᾶμος ὁ Ἀθηναίων.

εὐνοίων διατελεῖ Βυζαντίοις) Conferendus huc Diodor. Siculus Lib. XVI. 74. ſqq.

Βυζαντίοις καὶ τοῖς συμμάχοις καὶ συγγενέσι Περινθίοις) Perinthii συγγενεῖς Byzantinorum dicuntur ob arctiſſimum foedus, cuius vinculo iuncti continebantur. Vnde ipſi mutuo συμπολιτείας iure gaudebant. Vid. POLYBIVS Lib. XVII, 2. Συγγενεῖς etiam interdum dictae ſunt Coloniae, ratione habita ad earum conditores, de quibus Illuſtr. SPANHEMIVS de Vſu et Praeſtant. Numiſm. T. I. p. 577. quemadmodum etiam quaedam ciuitates dictae ſunt *Sorores* ob mutuam concordiam, docente eodem T. II. p. 617. eiusdem operis praeſtantiſſimi. Sed his hoc loco non vtimur. Caeterum WHELERVS et SPONIVS, notante Viro quodam docto, (in Obſeruat. Miſcell. Vol. III. T. II. p. 203.) contendunt *Perinthum*, vrbem Thraciae in Propontide, haud procul Byzantio, hoc nomen demum ſub primis Imperatoribus Romanis accepiſſe, antiquitus autem vocatam fuiſſe Heracleam. Falſos autem in hac re eſſe eos Viros doctos, vel hic ipſe locus Demoſthenis docet. Quid? quod iam diu ante HERODOTVS Lib. V. ſub initium, et Lib. VII, 25. Perinthiorum mentionem fecit. Caeterum de Byzantio et Perinthio, praeter CELLARIVM in Notit. O. A. T. I. p. 850. et 853. omnino conſulendus WESSELINGIVS ad Anton. Auguſt. Itinerarium pag. 323. vbi ſuſpicione perquam commendabili ductus ſuſpicatur, Perinthum iam ante Conſtantinum M. ſiue ſub Aureliano, ſiue Maximiano Herculio nouo HERACLEAE nomine fuiſſe ornatam.

χρείας παρέσχηται) Haec eſt lectio omnium, quas conſului, Editionum: in Variantt. autem *Aldin.* et *Hervag.* eſt χάριτας, quae quin Gloſſa et interpretatio vocis χρείας ſit, mihi quidem dubium non eſt. Vox χρείας in Decretorum formulis fere ſolemnis eſt, pro

commo

commodis, meritis, beneficiis. In quodam Deliorum Pſephiſmate (in Appendice ad Marmor. Oxonienſia pag. 288.) eſt: *ἐπεὶ πολλὰς χρείας παρέχεται.* In hac ipſa Orat. c. 26. in Decreto, facto in honorem Demoſthenis, *πολλὰς καὶ μεγάλας χρείας παρέσχηται τῷ Δήμῳ τῶν Ἀθηναίων* h. e. *multa atque ea magna commoda attulit.* In quodam Decreto apud GRVTERVM pag. CCCCI. ΠΟΛΛΑΣ ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΑΣ ΧΡΕΙΑΣ ΠΑΡΕΣΧΗΣΘΑΙ, et ſic ſaepe alibi.

δαίοντος καὶ δενδροκοπέοντος) h. e. *igne ferroque vaſtantis.* Noſtrates: *mit Feuer und Schwerdt verwüſten.*

βοηθήσας πλοίοισιν ἑκατὸν καὶ εἴκοσι) Confirmat DIODORVS XVI, 77. qui de hac re ita: *Ἀθηναῖοι εὐθὺς δύναμιν ναυτικὴν ἀξιόλογον ἐξέπεμψαν, βοηθήσουσαν τοῖς Βυζαντίοις.* Cuius Claſſis Praefectus fuit Phocion, vt auctor eſt PLVTARCHVS in eius Vita, T. III. p. 1372. ſq. edit. Steph. qui tradit, eum nauibus CXX. Byzantios et Perinthios e praeſentiſſimo periculo eripuiſſe.

ὁπλίταις) *ὁπλίται* ſunt, *qui graui armatura, ſcuto et gladio erant inſtructi; ὅπλα* enim Graecis *κατ' ἐξοχήν*, vti Latinis *arma*, ſunt *ſcutum et gladius. Ὁπλίταις* opponuntur *γυμνῆτες, leuis armaturae milites.* Vid. Herodot. IX, 64. et CVPERVS Obſeruat. I, 7. In *Anglicana* redditum eſt, *militum copia:* in *Tayloriana legionibus*, vtrumque male.

ἐξείλετο ἄμμε ἐκ τῶν μεγίστων κινδύνων) DIODORVS l. c. refert, Philippum, cognito, Chios, Coos, Rhodios, et alios quosdam Graecorum populos, exemplo Athenienſium excitatos, Byzantinis auxilium ferre, ita perterritum eſſe, vt obſidione ſoluta, cum Athenienſibus, caeterisque Graecis, quos inimicos haberet, pacem faceret.

ἄμμε) Sic in *Anglic. Aldin.* et *Heruag.* min. quae vna lectio vera eſt. In *Pariſ.* et *Wolf.* eſt *ἄμε*, male!

Nam hoc e Dialecto Dorica idem eſt, quod ἐμέ. Vid. THEOCRITVM Idyll. XI, 42. WOLFIVS legendum coniicit ἄμμες, minus feliciter, cum hoc idem ſit, quod ἠμεῖς, (vid. THEOCRITVM Idyll. V, 67. et ſaepe alibi,) non ἠμᾶς, quod ſenſus non tam poſtulat, quam exigit. Retinenda igitur lectio ἄμμε, pro ἠμᾶς. THEOCRITVS (Idyll. η. v. 25.) Ἄλλα τίς ἄμμε κρινεῖ; *Verum quis Nos iudicabit? quis iudex inter nos erit?* Conſulant in hanc rem tirones AEMIL. PORTI Lexicon Doricon h. v.

τὰ πάτριον πολιτείαν) Sic et in *Heruag. min.* in *mai.* autem et *Wolf* eſt τὰν πατριάν. In *Tayloriana* etiam eſt τὰν πάτριον.

Δεδόχθαι) In *Anglic. Pariſ. Heruag. mai.* et *Wolfiana*, vti etiam in *Tayloriana* eſt δεδόχθω. Male! et contra omnem Decretorum formulam ſolemnem. Omnino ſcribendum δεδόχθαι, vt diſerte hic *Aldin.* et *Heruag. min.* habet. In Decreto Deliorum apud REINESIVM (Claſſ. VII. no. 23.) κοινῇ καὶ ἰδίᾳ δεδόχθαι τῷ δήμῳ. Apud GRVTERVM T. I. pag. CCCCI. in quodam Decreto, ΔΕΔΟΧΘΑΙ. ΕΠΙ. ΑΓΑΘΑΙ. ΤΥΧΑΙ. ΚΑΙ. ΣΩΤΗΡΙΑΙ. ΤΟΥ. ΔΑΜΟΥ. vbi GVALT. et AVGVST. pro δεδόχθαι maluerunt ἔδοξε, coniectura minus felici ducti. In Foedere Smyrnaeorum et Magnetum in Marmor. Arundell. p. 7. eſt: ἀγαθῇ τύχῃ δεδόχθαι. In hac ipſa Orat. Demoſth. c. 9. Ἐπὶ Ἀρχοντος Μνησιφίλου — — Δεδόχθαι τῇ Βουλῇ καὶ τῷ Δήμῳ τῶν Ἀθηναίων· item in hoc c. 26. Ἐπὶ Χαιρωνίδου Ἡγήμονος Ἄρχοντος — — Δεδόχθαι τῇ Βουλῇ καὶ τῷ Δήμῳ τῶν Ἀθηναίων· nec non in illo c. 34. Εἶπε Καλλίας Φρεαῤῥίος — — Δεδόχθαι τῇ Βουλῇ καὶ τῷ Δήμῳ. Vix dici poteſt, quam ſaepe ab oſcitantibus et blaeſis Librariis in hac voce peccatum ſit. In hac ipſa Orat. c. 55. in *Anglic.* aliis-

aliisque a me inſpectis Editt. exhibetur δέδοκται, male! Scribendum δεδόχθω. In Pſephiſmate, in honorem Demetrii facto, apud PLVTARCHVM, (in Demetr. p. 1639. Edit. *Stephan.*) Ἀγαθῇ τύχῃ δεδόχθαι τῷ δήμῳ, vbi in aliis Editt. δεδόχθω, male! Sic in Decreto Athenienſium, in honorem Hyrcani Pontificis M. Iudaeorum facto, apud IOSEPHVM (Antiquitat. XIV, 8, 4.) vulgo editur δέδοκται τιμῆσαι τὸν ἄνδρα, vbi in Commentario noſtro ad illud Decretum monebamus legendum eſſe δεδόχθαι, quam emendationem poſtea etiam a *Cod. Vatic.* confirmari deprehendimus. Minus igitur accurate Vir quidam doctus in Obſeruat. Miſcell. Vol. III. T. II. p. 196. ſcribit, Infinitiuum et Imperatiuum promiſcue in Decretis publicis adhiberi.

δόμεν ἐπιγαμίαν) h. e. *concedere ius matrimonii inter has duas ciuitates ineundi:* quo quidem iure continebatur *communio culturae agrorum, ius paſcendi in harum duarum ciuitatium paſcuis, et copiae auxiliares in bello.* Plura in hanc rem dabit DALENIVS (in Diſſertat. IX. ad Inſcriptt. et Marmor. p. 780. ſq.)

κτᾶσιν γᾶς) Sic in *Anglic. Tayloriana, Wolf. Aldin. et Heruag. min.* (in cuius tamen variantt. in fine cuiusque Tomi ſubiunctis, eſt ἔκτασις γᾶς· καὶ ἄλλως, ἐκ τᾶς γᾶς) *in Heruag.* mai. *et Pariſ.* eſt ἐκ τᾶς γᾶς, quae lectio illa priore magis inepta eſt. In hac lectt. varietate ea, quam *Heruag.* min. exhibet, ad inueſtigandam, reperiendamque vnice veram ducit. Legendum nempe ἔγκτασιν γᾶς· h. e. *poſſeſſionem terrae.* Sed poſtea cognoui, hanc emendationem in mentem quoque veniſſe *Dalenio* Diſſertat. laudata p. 779. Sed dudum ante hunc quoque ita legendum vidit emunctae naris Criticus HENR. VALESIVS, (in Emendatt. Lib. IV. c. 9.) duce Cod. MSto *Feliciano.* Confirmat hanc emendationem Decretum Deliorum in Marmor. Oxonienſ.

no. XII. ΟΙΚΙΑΣ ΕΓΚΤΗΣΙΝ, et aliud eorundem Decretum apud REINESIVM, ſiue potius eius fragmentum, (in Syntagm. Inſcriptt. Claſſ. VII. no. 25.) ΤΗΣ ΚΑΙ ΟΙΚΙΑΣ ΕΓΚΤΗΣΙΝ ΚΑΙ ΑΥΤΩΙ ΚΑΙ ΕΚΓΟΝΟΙΣ ΥΠΑΡΧΕΙΝ, in Append. ad Marmor. Oxon. III. *εἶναι δὲ αὐτοῖς ἐν Δήλῳ γῆς καὶ* ΟΙΚΙΑΣ ΕΓΚΤΗΣΙΝ, et IV. ΤΗΣ ΚΑΙ ΟΙΚΙΑΣ ΕΓΚΤΗΣΙΝ, adeo, vt de hac emendatione nihil dubitationis ſit. REISKIVS, Vir graece doctiſſimus, in Decreto hoc, loco ſpeciminis totius DEMOSTHENIS edendi publice propoſito, *ἔκτασιν* exhibuit, quod, vti poſtea e TAYLORO cognoui, in quibusdam MSS. eſt. Caeterum *ἔγκτησις* (ſ. *ἔγκτασις*) propria in hac re vox. Ammonius, *Κτήματα καὶ Ἐπικτήματα* (leg. cum VALESIO *Ἐγκτήμ.*) *διαφέρει. Κτήματα γάρ ἐστι τὰ ἐν οἰκείᾳ. Ἐπικτήματα* (*Ἐγκτήμ.*) *δὲ, τὰ ἐν ἀλλοτρίᾳ*, vbi cf. VALKENARIVS et SALMASIVS de Modo Vſur. c. III. p. 82.

καὶ οἰκείαν προεδρείαν) Male haec in Editt. iunguntur et nullo ſenſu. Quem enim Interpres in Edit. *Anglic.* et WOLFIVS expreſſit, *principem et proprium locum*, is in graecis non eſt. Quid igitur? Interpunctione poſt *οἰκείαν* facta, legendum *οἰκιᾶν*. Confirmant hanc emendationem duo Deliorum Decreta, paullo ante laudata, in quorum vtroque eſt *οἰκίας ἔγκτησιν*. Senſus eſt: *Concedendum Athenienſibus ius emendi agros, et domus in Perinthiorum ditione.* REISKIVS etiam in ſpecimine ſuo edidit *οἰκιᾶν*, quod haud dubie hauſit e bono aliquo libro. Haec dudum ſcripſeram, cum nauciſcebar librum, apud nos quidem paullo rariorem, *Emendationem Critic.* HENR. VALESII, in quo Virum acutiſſimum coniectura ductum monuiſſe legendum *οἰκιᾶν* vidi. DALENIVS l. c. diuinatione ductus legi pro *οἰκείαν* vult *οἰκίας*, ſenſu eodem, quod et TAYLORVM voluiſſe poſtea cognoui.

Προσ-

Προεδρίαν ἐν τοῖς ἀγῶσι) Ius προεδρίας ſ. primi et primarii loci in theatro et ſpectaculis occupandi in ſummo honore ponebatur. Iure igitur ſignum erat hominis, perquam cupidi honoris affectandi, τῷ θεάτρῳ καθῆσθαι, ὅταν ἦν θέα, πλησίον τῶν στρατηγῶν, vt eſt apud THEOPHRASTVM περὶ Ἀρεσκ. Huius iuris ea ratio erat, vt, qui id eſſent conſecuti, poſſent ſedem, quamcunque vellent, in Senatu, concione, et theatro ſumere, aliis etiam de ſede excitatis, ſi quis prior occupaſſet. Enarrator graecus ARISTOPHANIS ad Ἱππ. v. 572. τιμῆς καὶ ἄτος τρόπος. ἐξῆν δὲ τοῖς τιμῆς ταύτης τυχοῦσι καὶ ἐν βουλευτηρίῳ, καὶ ἐν ἐκκλησίᾳ, καὶ ἐν θεάτρῳ, καὶ ἐν ἄλλῳ παντὶ συλλόγῳ τὰς προλαμβάνοντας, οἵτινες ἦσαν, ἐξεγείραντας, αὐτὰς εἰς τὸν ἐκείνων τόπον καθίσαι. Cf. ad h. l. CASAVBONVS, et inprimis ad l. c. Theophraſti, vbi pluribus in hanc rem diſputat, e quibus fontibus PETITVS ad Legg. Attic. p. 374. Edit. WESSELINGII, riuos duxit, hortosque ſuos irrigauit. Vnde προεδρία pro *praeſtantia prae aliis* (*praerogatiuam* vulgo, ſed barbare, vocant,) eſt in his ARISTONIS Tragici apud Theophilum ad Autolyc. p. 296. Edit. Wolf. Εἰ μὴ παρέσται ΠΡΟΕΔΡΙΑ τις κειμένη τοῖς ζῶσιν ὡς δεῖ.

ποτὶ τὰν Θόλον) Hic locus vnus e corruptiſſimis in hoc Decreto eſt. Quam lectionem ex *Anglic.* exhibuimus, eam et *Wolf.* et *Heruagiana minor*, nec non *Toyloriana* habet: in *Aldin.* autem et *Heruag. mai.* et *Pariſ.* eſt πόθ' ὅλον, vti et in Variantt. *Heruag. min.* exhibetur, cuius lectionis ope facile ad inueniendam veriſſimam duci poſſumus. DALENIVS l. c. p. 780. legendum coniicit πρόσοδον, non infeliciter, nactus ὁμόψηφον Virum doctum in Obſeruatt. Miſcellan. Vol. II. T. III. p. 356. hoc ſenſu: *haberet liberum acceſſum in omnibus conciliis, ſiue Senatus, ſiue Populi.* Haec DALENII coniectura mirifice confirmatur Decreto quodam Delio-

rum, (in Append. ad Marmor. Oxonienſ. p. m. 288.) in quo eſt: *εἶναι αὐτοῖς* ΠΡΟΣΟΔΟΝ *πρὸς τὴν Βϐλὴν καὶ τὸν Δῆμον.* Propius autem *πόθ' ὅλον* ad veram lectionem ducit. Scilicet legendum *πόθοδον*, quod Dialecto Doricae conuenientius, quam *πρόσοδον*. Dorienſibus enim *ποτὶ* idem, quod aliis *πρὸς* eſt: Λ et Δ autem ſexcenties fuiſſe confuſa et permixta, docet SIGONIVS Emendatt. Lib. II, 56. in Gruter. Theſ. Crit. Tom. II. p. 303. et GVIL. CANTERVS de ration. emend. auctores, p. 22. REISKIVS etiam, haud dubie e bono aliquo libro, edidit, *πόθοδον ποτὶ τὰν βωλάν.* VALESIVS l. c. hunc locum diu eſt, cum ita emendauit: *πόθοδον ποτὶ τὰν βωλάν.* Et ſane hanc lectionem ipſe ſenſus non tam poſtulat, quam flagitat. Confirmatur haec emendatio e Decreto Deliorum priori, ſupra allato, huicque noſtro ſimillimo, in quo eſt: *πρόσοδον πρὸς τὴν βϐλὴν, καὶ τὸν δῆμον*, vbi eadem res, eadem verba. Totus igitur locus ita conſtituendus eſt: *πόθοδον ποτὶ τὰν Βωλὰν καὶ τὸν Δᾶμον*, ſenſu hoc: concedendum eſſe Athenienſibus *aditum ad Senatum et Populum*, ſ. *ius in Senatum, Populique concionem veniendi, ibique vna deliberandi, et cum Populo agendi.* Apud Graecos Oratores ſaepe dicuntur *πρόσοδον*, nec non *πάροδον ποιεῖσθαι, qui in Senatu dicunt, aut cum populo in concione agunt, orationesque habent.* ISOCRATES (in Areopag. pag. 140. Edit. Stephan.) *περὶ σωτηρίας τὴν πρόσοδον ἐποιησάμην*, quod Wolfius: *vt indicto concilio prouidendum eſſe moneam*, perquam infeliciter! Reddendum erat, *in concionem proceſſi, ſaluti Reipublicae conſulturus.* Mox ibidem, *τῆς ἐμῆς προσόδου καταφρονεῖτε*, quod Wolfius, *denunciationem meam contemnitis*, quod tanto Viro indignum. Redde, *meum ad vos aditum orationemque contemnitis*, et ſic *πρόσοδος* eſt in ead. Orat. p. 142. E. Vſurpatur etiam haec vox de *legatis, quibus facultas ſenatum adeundi, aut cum populo in concione agendi conceditur.*

ditur. AESCHINES *περὶ παραπρεσβ.* c. 22. p. 37. Edit. BROOKII, *ταῖς ξενικαῖς πρεσβείαις ἡ βουλὴ τὰς εἰς τὸν δῆμον προσόδους προβουλεύει*: et mox, *ἢ τας πρὸς τὴν βουλὴν αὐτῶν προσόδους — ἂν παράσχῃς.* Apud Patres Graecos *πρόσοδον ποιεῖσθαι* dicuntur, *qui orationes sacras ad populum habent*, de qua loquendi formula docte disputat HENR. VALESIVS ad EVSEBII Vit. Constant. IV, 29. Sed inprimis in hanc rem consulendus HEMSTERHVSIVS ad Lucian. Prometh. pag. 33. Est etiam creber huius vocis vsus apud Scriptores in cultu diuino, vbi *πρόσοδοι* idem, quod Latinis *supplicationes et obsecrationes, ad Deorum altaria et puluinaria factae.* Thom. Magister h. v. *πρόσοδοι θεῶν μετὰ τῶν καθεστηκότων νομίμων· Supplicationes publicae, e legibus receptis factae.* Cf. ad h. l. STOEBERVS et OVDENDORPIVS. ARISTIDES, in Panathen. p. m. 52. E. *πανηγύρεις καὶ πρόσοδοι τοῖς θεοῖς ἦσαν· Solemnes supplicationes ad Deorum templa factae sunt.* Iungit Isocrates in Oratt. ad Philipp. p. 88. E. *προσόδους καὶ θυσίας.* Inde *προσόδια μέλη* sunt *carmina, quae in huiusmodi supplicationibus et pompis Deorum canebantur.*

παρὰ τοῖς περὶ τὰ ἱερά) Sic in *Anglic. Ald. Heruag. min.* et *Wolf.* nec non *in Tayloriana.* In *Pariſ.* autem et *Heruag. mai.* est *περὶ τοῖς παρὰ τὰ ἱερά*, et sic in Variantt. Vtramuis lectionem elegeris: nullum, nisi ineptum, sensum inde elicies. Prior autem lectio *παρὰ τοῖς* vestigia habet verae lectionis facile inueniendae. Legendum nempe *πρώτοις μετὰ τὰ ἱερά*, et sic exhibuisse REISKIVM in specimine suo, postea intellexi. VALESIVS in Emendatt. Critic. l. c. *πρώτοις μετὰ τὰ ἱερά* dudum de coniectura legendum vidit, quod idem est: sed *πρώτοις* Dialecto Doricae conuenientius. Sensus est: Concedendum esse Athenienſibus aditum ad Senatum et concionem Populi *primis* h. e. *ante omnes alios, Sacris, omninoque diuinis rebus ante Concionem aut Sena-*

tum habitum peractis, qui honos ſane praecipuus et inſignis erat, ante omnes alios in Senatum, concioneinque Populi admitti. Sic in Decreto Deliorum in Append. ad Marmor. Oxonienſ. p. 288. αὐτοῖς — Πρόσοδον ΙΡΩΤΟΙΣ *μετὰ τὰ ἱερά*. Doctiſſimus DALENIVS in Diſſertat. IX. ſaepius laudata p. 780. et ante eum WOLFIVS ſequuntur alteram lectionem *παρὰ τοῖς περὶ τὰ ἱερὰ* vt veriſſimam, redduntque *iuxta Sacerdotes*. Sed videant, vt multorum calculum ferant. Lectioni *πρώτοις* vel *πράτοις μετὰ τὰ ἱερὰ* fauet etiam Vir doctus in Obſeruatt. Miſcell. Vol. II. Tom. III. p. 357.

ἀλειτϱγήτοις ἦμεν) De ἀτελείᾳ, eiusque variis generibus copioſe et docte diſputat DALENIVS in laudata Diſſertat. p. 781. ſq. quibus, quid addamus, iam non habemus.

πᾶσαν πϱὸς τὰν λειτϱγίαν) Haec lectio in omnibus eſt, quas conſuluimus, Editionibus, nec adeo inepta cenſenda, quin commodus ſenſus inde elici poſſit, nempe hic: Athenienſes immunes ſint, *quod attinet ad omne tributorum genus*, ſ. *ab omnibus muneribus, oneribusque publicis ſuſtinendis*. Scio, paullo durius dictum ἀλειτέϱγητον εἶναι πϱός τι: ſed cum vox ἀλειτέϱγητος non facile alibi occurrat: non magnopere de eius ſtructurae ratione, paullo inſolentiore, laborandum eſt. Doctiſſimus REISKIVS in ſpecimine, ſaepius laudato, de coniectura perquam commendabili exhibuit πᾶσαν πϱοστακτᾶν λειτϱγιᾶν, hoc ſenſu: *vt immunes ſint ab omnibus imperatis tributis:* quae diuinatio ſi boni alicuius libri auctoritate confirmetur: multum ſane receptae eſſet praeferenda: quamquam neſcio an vox πϱόστακτος alibi occurrat. Equidem nec legere eam me vnquam memini, nec in Theſauro Stephaniano inueni. TAYLOR in Not. pro πᾶσαν legi malebat πᾶσι, ſine cauſa. Caeterum de voce λειτϱγία et λειτϱγεῖν, copioſa, atque

que ea perquam docta disputatio CASAVBONI est in Exercitatt. Anti-Baron. XVI. §. 41.

σᾶσαι δὲ καὶ εἰκόνας τρεῖς) Statuas in publico habere, vti apud Latinos, ita apud Graecos, praecipuus aliquis honos erat, quem ab aliqua ciuitate bene merentes, aut virtutis, aut beniuolentiae praemium poterant accipere, atque adeo hunc honorem largiri penes eos solos fuit, qui Reipublicae praeessent, nec eum apud antiquos aliquis vnquam sine illorum Decreto assequebatur, ipsaeque etiam Ciuitates statuas, quas ob insigniora merita decernebant, publicis sumptibus erigebant. Vid. pluribus in hanc rem disputantem Virum doctum ad Marmor. Oxonienſ. p. m. 48.

ἐν τῷ Βοσβόρῳ) Sic in *Anglic.* *Aldin.* et *Heruag.* min. et *Taylori*, qui etiam in Notis hanc lectionem, vt verissimam, agnoscit. In maiore *Heruag.* autem, *Paris.* et *Wolf.* est Βοσπορίχῳ, quamquam WOLFIVS in Notis mauult Βοσβόρῳ. REISKIVS in specimine suo exhibet Βοσπορίχῳ.

σεφανούμενον) Hoc per ἐπεξήγησιν positum referendum est ad εἰκόνας, hoc sensu: *quae statuae referant, exhibeant Populum Athenienſium corona condecoratum.* Facit huc locus Aristidis in Panathen. p. 81. C. vbi, cum praedicasset, quot, quantaque commoda vna Athenienſium ciuitas cum aliis Graeciae populis, tum Byzantinis, Perinthiis, Chersoneſi incolis et Chalcidenſibus attulerit, subiungit: ἀνθ' ὧν εἰ χρῆν, ὥσπερ ἰδιώτᾳ, πόλεως εἰκόνα ποιήσασθαι, τῆς Ἀθηναίων προσῆκε μόνης, καὶ τιμᾶν ὥσπερ ἄγαλμα κοινὸν τῆς Ἑλλάδος: *quas ob res ſi, vt homini, ita vrbi ſtatua ponenda eſſet: hanc ſane vrbem, veluti totius Graeciae ornamentum et decus, ſtatua honorari fas eſt.* Caeterum de voc. σέφανος et σεφανῶν iectu digna habet D'ORVILLE ad Chariton. p. 59.

p. 59. ſq. vbi etiam de more, populum et vrbes coronis condecorandi, docte exponit. Cf. PASCHALIVS *de Coronis* Lib. VII. c. 6.

ὑπὸ τῷ Δάμῳ) Sic ſcribendum. Male in *Anglic. Heruag.* vtraque et Pariſ. τῷ Δάμῳ.

δωρεὰς) Sic in *Anglic.* et *Wolf.* nec non *Tayloriana.* In *Pariſ.* et *Heruag.* autem mai. eſt δωρείας: peius in *Aldina*, vti et in *Heruag.* min. in cuius Variant. autem eſt δωρεὰς εἰς τὰς ἔντε. REISKIVS de coniectura pro δωρεὰς edidit θεωρίας. Sed vereor, vt ſenſus hanc diuinationem admittat. Nam θεωρίαι, vt vel tironibus notum, ſunt *ludi ſolemnes, in honorem Deorum inſtituti, haberique ſoliti.* Quid igitur ſit ἀποστεῖλαι θεωρίας, equidem paullo hebetior ſum, quam qui videre poſſim. Forte autem θεωρίας cepit pro ipſis θεωροῖς h. e. *legatis, qui ad illos ludos ſolemnes publice mittebantur.* Quae vocis notio ſi auctoritate Veterum confirmari poſſet, non ſolum ſaluberrimam huic loco medicinam afferret, ſed ſenſum etiam commodiſſimum efficeret hunc: Decretum eſt, *vt legati publice mittantur ad ludos Iſthmicos, Nemeos etc. qui palam praedicent coronas, quibus Populus Athenienſis a Byzantinis et Perinthiis fuerit condecoratus.* Sed ἐπέχω, et lectione vulgata, veluti altero Catone, contenti ſimus.

ἔντε Ἑλλάδι) TAYLOR in Not. e MSS. Ven. malebat ἐν τῇ (ἐν τᾷ potius) Ἑλλάδι.

Ἴσθμια — — καὶ Πύθια) Nobiliſſimum in hanc rem Epigramma primum in Anthologia graeca eſt:

Τέσσαρες εἰσὶν ἀγῶνες ἄν' Ἑλλάδα, τέσσαρες ἱεροὶ,
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων.
Ζηνὸς, Λητοϊδάο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόριο·
Ἆθλα δὲ τῶν κότινος, μῆλα, σελῆνα, πίτυς.

Caete-

Caeterum de tempore horum ludorum ſolemnium celebratorum fuſe diſputat DODWELLVS *de Cyclis Veterum* Diſſert. VI et VII, et, qui accuratiora dabit, CORSINVS in doctiſſimo *Faſtorum Atticorum* Opere Diſſertat. XIII. p. 295. ſq. et copioſiora in doctiſſimis Diſſertat. Agonoſticis, vbi Diſſertat. IV. p. m. 124. ſq. rationem perquam probabilem affert, quare ludi Iſthmici Olympicis, aliisque hic praepoſiti fuerint.

καὶ ἀναιρεῦξαι τὸν στέφανον, ᾧ ἐστεφάνωται) REISKIVS legi malebat τῶς στεφάνως, ὡς ἐστεφ. Sed non video, quare a recepta ſit recedendum, cum ſenſum aeque commodum exhibeat. TAYLOR in Not. mauult τῷ στεφάνῳ, additis his: ſc. duas coronas, Byzantinorum vnam, alteram Perinthiorum. In eiusdem Edit. pro ᾧ ἐστεφάνωται expreſſum eſt ᾧ συστεφάν. Sed in Notis rectius putat ἐστεφάν.

Ἀθηναίων ἀρετὰν) Non *virtutem*, vt Interpres reddidit, ſed *beneficium*, *beneficentiam*. Scilicet vox ἀρετῆς, vti alibi, ita inprimis in Decretorum formulis ſaepe eſt *liberalitas*, *munificentia*, *benignitas*. In hac ipſa Orat. C. 17. Ὅτι στεφανοῖ ὁ Δῆμος Δημοσθένην — — ἀρετῆς ἕνεκα, quod mox voce ἀνδραγαθίας exprimitur. Infra in alio Pſephismate C. 37. ἀρετῆς ἕνεκα καὶ καλοκαγαθίας, *ob munificentiam et benignitatem*, vtroque loco reddiderunt *virtutis ergo*, minus accurate. Neque aliter haec vox capienda in Orat. Aeſchinis aduerſ. C. 59. vbi de praemiis, in viros de Republica bene meritos collatis, loquitur, τὸ τῆς ἀρετῆς ὄνομα τίμιον. Eadem notione haec vox eſt apud Lycurgum c. Leocratem p. 250. Edit. TAYLORI. Apud Ioſephum Antiq. XIV, 10. 6. in Decreto Iul. Caeſaris pro Iudaeis eodem ſenſu vox ἀρετῆς eſt capienda. Et apud eundem Antiq. XIV, 8, 4. in nobiliſſimo illo Athenienſium Decreto, in honorem Hyrcani, Pontificis M. Iudaeorum facto, περὶ τῆς ἀνδρὸς ἀρετῆς

ἀρετῆς ὑπομνήσαντος τὸν δῆμον, ad quem locum in Commentario noſtro ad illud Decretum plura attulimus. Eadem notione hanc vocem quondam dicebamus commode accipi poſſe in notiſſimo illo loco Petrino *II*, 1, 3. τὸ καλέσαντος ἡμᾶς διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς h. e. qui nos vocauit *per glorioſam, maxime celebrandam benignitatem.* Et eiusdem Epiſt. I, 2, 9. ὅπως τὰς ἀρετὰς ἐξαγγείλητε, *vt praedicetis beneficia*, neque nunc huius interpretationis nos poenitet. Cf. ſi tanti putes, Obſeruat. noſtras Flauian. p. 398.

εὐχαριστίαν) h. e. *gratum animum.* Sic mox in Decreto Cherſonitarum eſt εὐχαριστεῖν, quod denotat, *gratum animum ſiue verbis, ſiue re ipſa beneficii auctori declarare.* Valde delicati igitur, et faſtidioſi ſunt, qui hanc vocem, vt non ſatis graecam, in N. T. notant, de qua re pluribus dicebamus in Obſeruat. Flauian. ad Rom. I, 8.

P. P. in Illuſtri Moldano ipſis Calend. Septembr. A. R. S. CIↃ IↃCC LXXV.

XIX.

PROLVSIO.

VANNVS CRITICA IN INANES PALEAS OPERIS ELEMENTARIS BASEDOVIANI.

Lib. II. Anthолog. 42.

Τέκνον ἀναιδείης ἀμαθέσατε, θρέμμα μορίης
Εἰπέ τι βρενθύνῃ, μηδὲν ἐπισάμενος.
Ἐν μὲν Γραμματικοῖς ὁ Πλατωνικός· ἂν δὲ Πλάτωνος
Δόγματά τις ζητῇ, Γραμματικὸς σὺ πάλιν.
Ἐξ ἑτέρου φεύγεις ἐπὶ θάτερον, οὔτε δὲ τέχνην
Οἶσθα Γραμματικὴν, οὔτε Πλατωνικὸς εἶ.
Πάντα μὲν οἶδα, λέγεις, ἀτελὴς δ' ἐν πᾶσιν ὑπάρχεις,
Γευόμενος πάντων, οὐδὲν ἔχεις ἴδιον.

Vbi, si tanti putes, BASEDOVI, consule OBSOPOEI adnotationem, in qua, veluti in speculo aliquo, imaginem tuam viuis coloribus expressam, videbis. Nam inter alia habet haec: *Hoc Epigramma factum est in ardeliones, et vanos ostentatores atque Thrasones, quo hominum genere nihil est odiosius, et detestabilius. Qui cum omnia se scire, et ad vnguem nosse contendunt, omnium tamen rerum inueniuntur imperitissimi et non nisi iactatores vanissimi, et gloriarum plenissimi etc.* Viden' tu imaginem tuam?

Si, quo quis est ab ingenii felicitate praestantior, a bonarum literarum copia instructior, et a nominis fama, honestis artibus parta, illustrior, eo modestius fere de se doctrinaque sua sentire, scriptaque sua non sine verecundia, reipublicae literariae debita, in lucem, adspectumque eruditorum emittere solet: debet profecto non vana suspicio lectoribus de vili pretio earum

rum ſcriptiuncularum ſuboriri, quarum auctores et veluti patres ipſi magnifici praecones et buccinatores ſunt, hosque foetus ſuos, tanquam ſimii, miſere et deperdite adamant, aliis, ineptis praeſtantiae laudibus ad nauſeam vsque venditant, et poſteritatis, quin aeternitatis adeo memoriae iactabundi commendant. Huius rei ſuſpicio mihi quidem nuper iniecta eſt, cum primum veluti aliud agendo perluſtrabam illud variis ſermonibus, iudiciisque iactatum *Opus Elementare* BASEDOVII, Viri, famae, late illius quidem ſparſae, ſed perquam ancipitis, et artibus, neſcio quibus, comparatae. Vix vnam et item alteram paginam praefationis, huic diuino, ſi Diis placet! Operi praemiſſae, et a MANGELSDORFFIO, fido BASEDOVII Achate, in linguam latinam, multis barbarici ſordibus hinc inde commaculatam, translatae, percurreram, cum tanta iactantiae ſpecimina animadvertebam, vt obſtupeſcerem, virum aliquem, qui doctum dici ſe, haberique velit, eo impudentiae, eo audaciae progredi potuiſſe, vt omnibus viris doctis, de re ſcholaſtica et olim immortaliter meritis, et nunc cum ſumma omnium in hac re intelligentium iudicum laude merentibus, tanquam alter magniloquus Goliathus, inſultaret, bonosque ſcholae magiſtros contumelioſa oratione, veluti nouus quidam Αἴας μαστιγοφόρος, lacerare. Qua quidem impudenti audacia eam de ſe ſpem, exſpectationemque concitare ſe poſſe putauit, vt alii crederent, BASEDOVIVM vnum veluti de coelo eſſe miſſum, et diuino aliquo munere toti humano generi conceſſum ad rem ſcholaſticam collapſam, ad interitumque vergentem erigendam et ſuſtentandam. Tam impudenter, tanquam vnus aliquis medicus circumforaneus faſciculos ſuos medicamentorum noxiorum, inutilium certe, friuola ſua et exſucca commenta, ſcriptaque ſua, vere Voluſiana, venditat, multisque verborum ampullis vane commendat! Scilicet hoc nouo Atlante opus erat ad rem ſchola-

ſcholaſticam, ruinae ſuae proximam, ſuffulciendam! In quo quidem hominis impudentiſſimi (nam cur impudenti ori tuo parcam, Timagenes?) arrogantiam non vno nomine cum iuſta indignatione admirari fas eſt, quod et de educatione inſtitutioneque aetatis cum puerilis, tum iuuenilis h. e. de arte quadam vſus indocili, nec ſine longo rerum vſu diſcenda, praeceptiunculas dare ſuſtinuit, huius rei experientiam, non, niſi per multos annos, et multis, iisque variis ingeniis tractandis comparandam, nunquam aſſecutus; et religionis chriſtianae, cuius initia tradenda in educatione iuuentutis familiam ducere debent, in hoc vaſto Opere ne minimam quidem rationem habuit, et, ſi eius veluti in tranſitu, et quaſi aliud agendo, meminerit, ita de ea ſentit et loquitur, vt vnusquisque, qui non nares obeſas habet, facile olfaciat, eum religionem chriſtianam iuxta Mahomedanam h. e. vtramque pariter nihili aeſtimare. Neque vero quis exiſtimet, me iniuriam huic homini facere. Nam ipſe in *Libro Methodico*, ipſo quoque egregio opuſculo, et munuſculo, quo rempublicam literariam beauit, aliquo loco fronte plane expudorata ſcribit: *totum* Opus Elementare *non ſolum ad inſtituendos liberos chriſtianorum, cuiuscunque illi ſcholae ſint, verum etiam ISRAELITARVM et MAHOMEDANORVM ſine vlla conſcientiae offenſione* (mentiris Cain!) *adhiberi poterit.* O tempora! O mores! Tale quid hominem, in coetu chriſtianorum verſantem, et, vti ipſe aliquo loco mentitur, *chriſtiana ſacra ſequentem*, effutire poſſe! Enimuero hoc ferendum non eſt. Non impune hoc tibi, nouelle iuuentutis inſtituendae, an corrumpendae magiſter dicam? abibit. Me quidem non pigebit, aliquot bonas horas, rebus vtilioribus impendendas, perdere hoc, vt huius *Operis Elementaris* tui non tam cenſuram agam, (hominis enim id eſſet, et ingenio et otio abundantis,) quam ſtrictim quaedam tangam eo conſi-

filio, vt alii de hoc infausto et abortiuo cerriti ingenii foetu tuo, qui eum non viderunt, vanis autem quorundam blaesorum sermonibus decepti nescio quid praeclari, et hucusque nunquam traditi continere existimant, aliter sentire incipiant, eumque immaturum, et irata Lucina effusum abortum, despiciendum abiiciendumque arbitrentur. Nam, vti e praefatione huius Operis, cedro sane dignissimi, cognoui, multis hominibus fortunatis, inque re lauta constitutis, qui has BASEDOVII nugas esse aliquid putarunt, tantam opinionem, persuasionemque de huius *Operis Elementaris* praestantia vanus auctor attulit, vt pecuniae vim ab iis emendicaret eam, quae summam *quindecim millium Imperialium* excederet. Scilicet hoc est pecuniam in loco perdere! Sed ne ianuam aedibus maiorem faciamus: age, rem ipsam aggrediamur, cuius nobis commodissimam oportunitatem praebet memoria diei Natalis Illustris Moldani nostri, ante hos CCXXVI. annos diuinis auspiciis aperti et constituti, et etiamnum laete efflorescentis, grato pioque animo publice celebranda. In qua solemnitate cum de more receptum sit, aliquid prolusionis orationibus habendis praemittere: operae pretium facturos nos esse putauimus, si quibusdam specíminibus ostenderemus, quid de hoc *Opere Elementari* iudicandum, quod pretium ei sit ponendum, quidque tulerit dignum BASEDOVIVS tanto promissor hiatu. Nam hoc nemo expectet, nos totius huius vasti voluminis censuram acturos esse; (res enim esset miserrimi, et Herculei sane laboris, nec huius Prolusionis angustiae eum ambitum caperent;) sed non nisi quasdam eius particulas, veluti per transennam spectandas, lectoribus proponemus, vt ex iis, tanquam ex aliquot corporis membris, de toto hoc ingenii BASEDOVIANI foetu, iniquis Musis, et irato Apolline excluso, iudicare possint. In qua quidem re rationem tenebimus hanc, vt primo specimina quaedam intolera-

bilis,

bilis, et Thraſonicae iactantiae, ſaepe cum contemptu et inſultatione virorum, de re ſcholaſtica optime meritorum, coniunctae afferamus: quo facto oſtendamus, quam ieiune et contemptim hic homo de religione chriſtiana, cuius in educanda iuuentute nullam plane rationem habet, ſentiat et loquatur: denique de ipſa iuuentutis educandae, inſtituendaeque ratione BASEDOVIANA breuibus exponamus. Quibus traditis facile apparebit, quam praeclare BASEDOVIVS hoc *Opere* ſuo *Elementari* de educatione iuuentutis, de re ſcholaſtica, inprimisque de religione chriſtiana ſit mertus. Tu vero, lector, adeſto, et huic militi glorioſo vapulanti faueto!

Iam primum, ipſum praefationis, huic Operi praemiſſae, initium quam plenum iactantiae eſt! cum ita exorditur: *Si* paedagogia, *ſiue iuuentutis educatio et inſtitutio, prout ea nunc in ſcholis publicis, et in familiis priuatis dominatur, vitiis ingentibus laborat; ſi caremus adhuc inſtrumentis ad tollenda ea, vel emendanda; ſi opus elementare non indignum videtur, quod ad emendationem hanc adhibeatur, nec operis inſcriptio mendacii manifeſti coarguitur:* (atqui facillime huius rei coargui poteſt;) *opus hoc omnino* parentibus, ſcholarum magiſtris, et curatoribus, iisque, qui patriae, generiſque humani ſalutem ſoſpitatam volunt, *magni faciendum eſt.* En tibi, de praecepto PINDARI, *πρόσωπον τηλαυγές*! Hic mihi in ipſo limine hominem, turgido inanique faſtu inflatum, ſuarumque laudum buccinatorem magniloquum, videor audire. Tuam fidem! lector: legiſtine vnquam, quemquam auctorum tam impudentem, frontisque adeo praefrictae fuiſſe, vt ſe vnum tot hominum magiſtrum iactaret, et a ſuo libro *ſalutem patriae*, quin *generis humani* pendere tam difertis verbis effutiret? Quamquam enim aliquam modeſtiae ſpeciem oratio eius, adiunctam habens conditionem, prae ſe ferre vi-

detur: tamen peritis vſus loquendi ſatis notum eſt, eiusmodi orationem in omnibus fere linguis ita vſurpari, vt *certiſſime* aliquid eſſe *) indicet, adeo, vt BASEDOVIVS mutatis verbis nihil aliud dicere voluerit, quam hoc: *Quandoquidem iuuentutis educatio et inſtitutio — multis vitiis laborat: quandoquidem a nemine huc vsque inſtrumenta ad ea tollenda vel emendanda inuenta ſunt: quandoquidem hoc opus meum elementare digniſſimum eſt, quod ad hanc emendationem adhibeatur: Opus hoc meum omnino — magni faciendum eſt.* Haec eſt Thraſonis noſtri vox, haec mens. Ipſum autem parentem de hoc ingenii, doctrinaeque foetu ſuo, γνησιωτάτῳ τῷ πατρὸς παιδίῳ, tam magnifice ſenſiſſe et iudicaſſe: ex aliis huius praefationis locis luculentiſſime apparet, vbi ſemet-ipſum, veluti ſorex, prodit. Sic v. c. p. 7. confidentiſſime ſcribit: *lectorum approbationem expectare poſſum:* p. 12. *Ex Indice* (parte huius praeclari operis quinta, quam auctor minatur,) *totius operis Elementaris vtilitas quam CLARISSIME apparebit.* Ibid. *Prae reliquis vero doctrina de animo — et methodus Grammatices OPTIME ſunt elaboratae. Nam in iis HABITO:* p. 14. *cum ii, quibus ſcripta mea* placuerunt, (mali guſtus ii ſint, neceſſe eſt,) *epitomen huius* philoſophiae theoreticae — *ADEO probauerint, vt PERITIORES ſciant, me SVBTILISSIMA quaeque eſſe perſcrutatum.* Mox, *veritatis notio dominatur in Opere elementari.* P. 18. *Opus elementare iuuenes, viros et ſenes NON SINE FRVCTV lecturos fore,* (notes hic obiter, lector, duplicem elegantiam, duplex vitium Grammatices, in qua ſe *habitare* paullo ante mentitus eſt, alterum in *lecturos fore*, alterum in *lecturos* pro *lecturitaros!*) *praeſertim*

*) Vid. Homer. Ιλιαδ. α. v. 39 ſqq. ε. 115. ſqq. Ὀδυσσ. δ. v. 763. Virgil. Aeneid. IX, 406. XII, 778. Conf. BENTLEIVS ad Horat. Carm. I, 32.

ſertim ſi index (tutiſſimum ignauiae perfugium et aſylum) *ſit adiectus, IPSA RES declarat.* Lib. IV. p. 49. poſtquam vulgaria quaedam, et omnibus nota, ab omni autem ſubtiliore demonſtrandi ratione abhorrentia, argumenta pro *immortalitate animorum* attulerat, haec addit: *PAVCI ex hominibus ita adhuc inſtituti fuerunt,* (nempe vt ego vos inſtitui,) *vt ad hanc de immortalitate animi ſcientiam peruenirent.* Lib. X. p. 203. vbi, poſteaquam de vſu Grammatices quaedam trita, et vel tironibus nota effuderat, Glorioſus miles noſter, quaſi proſtrata ignorantia publica, ita ouans exclamat: *O! quantum hactenus publici, priuatique paedagogi ab illa praeſtantia methodi naturalis* (nempe *Baſedouianae*) *aberrarunt! quamdiu genus humanum hac ineluctabili MISERIA fuit oppreſſum! quousque eam feremus? At non ſine ingenti laetitia de felicitate poſteritatis praeuideo,* (enim vero tu, luſcus quippe in his rebus, nihil vides, nedum quid praeuideas,) *hanc rationem diſcendae linguae latinae naturalem poſt annos viginti* (hoc credat tibi Franciſculus tuus, aut Iudaeus Apella, non ego!) *a diuulgato OPERE ELEMENTARI* (nam opiniones praeconceptae pertinaciter diuque haerent,) *COMMVNI OMNIVM CONSENSV comprobatum et receptum iri.* Quid non ſperamus amantes? Sed vanus vates es, BASEDOVI, et hoc dirum omen Apollo ἀλεξίκακος certiſſime auertet. Nondum ſatis nugarum et iactantiae eſt. Mox, vbi de *facundia,* et *lectione librorum,* latinorum nempe, in qua re vtraque plane infans eſt, praecipere neſcio quid auſus eſt, ita: *Patrem quemuis, matrem, paedagogum, et magiſtrum ſcholae cunctis, quae liber hic offert,* (non multum ſani offert, et quid boni Africa apportet?) *inconſultis aliis intelligere, vix equidem ſperare poſſum.* Egregia vero dos libri dogmatici, *parentibus, ſcholarum magiſtris, et curatoribus, iisque, qui patriae, generisque humani ſalutem ſoſpitatam volunt,*

ſcripti, quem non intelligunt! Haec ſane χρονίων ὄζει. Sed audiamus reliqua. *Iis vero paedagogis, qui locum ſuum rite tuentur, et quos poſteris non defuturos exiſtimo,* (ſcilicet hoc Opere tuo Elementari *in ſalutem generis humani* in publicum protruſo,) *omnia erunt perſpicua et FRVCTVOSA.* Sed ego tibi, BASEDOVI, bona fide confirmare poſſum, mihi, qui, profectus e diſciplina IO. MATTH. GESNERI, et IO. AVG. ERNESTI, virorum, quorum ſimilium ſingula ſecula vix vnum et item alterum reipublicae literariae concedunt, de quorundam virorum doctorum iudicio locum *paedagogi* (vtar enim hoc vocabulo tuo, quamuis inepto,) hucusque rite tuitus ſum, multa in hoc Opere tuo minus *perſpicua*, nihil autem *fructuoſum* fuiſſe. Talpa igitur coecior es, inquies. Sim! Tu autem quis? Non ipſe dicam. Malo imaginem tuam ex hac Proluſione, veluti ſpeculo aliquo, atque eo non fallaci, quam e pictura, nimis ſaepe mentiente, cognoſci. Sed iuuat de *Coronide Operis totius*, quo Orbem literatum *in ſalutem generis humani* beauit, vel tria verba addere. Audiamus, qua modeſtia hic immanis eruditionis Cyclops de hoc foetu ſuo, quem, Lucina minus aequa ferente opem, enixus eſt, ſentiat et loquatur. *Iam viam,* inquit, *hanc aſperam, plenamque periculorum* (periculorum adeo?) *emenſus ſum.* — *Apparatum eſt* (tantum autem abeſt, vt ſit confectum,) *inſtrumentum, quo educatio, inſtitutio et res ſcholaſtica emendetur, quo poſteri nobis et meliores, et tranquilliores fiant.* — *Poſteri, cum OPVS MEVM NON STATIM INTERITVRVM SIT,* (O! Corydon, Corydon, nimium ne crede colori! Breui, mihi crede, hoc egregium Opus tuum, poſteritati, et immortalitati adeo conſecratum deferetur

in vicum, vendentem tus et odores,
Et piper, et quidquid chartis amicitur ineptis!)

opinor,

opinor, MIRABVNTVR. Ego vero viuus adhuc iam miror, quomodo tandem tempus, rebus multo vtilioribus impendendum, conſcribillando hoc opere, ſcripto vere Voluſiano, quo nos omnes facillime carere poteramus, perdere potueris. Paullo poſt, veluti vates vanus, deque euentu futuro huius operis ſui anxius et ſollicitus, ſubiungit: *ſuſceptionis bonae* (einer gütigen Aufnahme: notetur haec phraſis: non ſemper occurrit!) *ſucceſſum optatum ſperare oportet*, (oportet vero? nempe ſi melius quid ſcripſiſſes!) *verum fas etiam eſt, ſi vota noſtra pro SALVTE COMMVNI non ſtatim rata fiant, animo praeparato conquieſcere.* (Quod vt quam primum facias, auctor tibi, ſuaſorque ſum.) *Nam propter cauſas imperſcrutabiles* (hic vero *imperſcrutabilis* cauſa nulla eſt, quippe quae vna in Opere tuo inutili reſidet,) *optimis conſiliis et conatibus terminos vel inopinatos ponit, quos nullus tranſire valet mortalium.*

Et hic finis eſt huius totius Operis Elementaris, quo nihil elaboratius, iactantiaeque Thraſonicae plenius Orbis literatus neque vidit, neque forte vnquam videbit. Vnum doleo a te, BASEDOVI, in Coronide totius Operis tui, cedro digniſſimi, omiſſum eſſe, quod merito fuiſſet apponendum. Aſſem igitur para: et ego tibi apponam:

Exegi monumentum aere perennius,
Regalique ſitu pyramidum altius.
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, et fuga temporum.
NON OMNIS MORIAR: multaque pars mei
Vitabit Libitinam etc.

Ecquid mereri de te videor, qui inuidendis laudibus tuis, quas tibi conſecutus videris, aliquid encomii addiderim?

Ecquid gratiae a te iniiſſe videor, qui laudum tuarum non admirator ſolum, ſed fautor etiam et auctor ſim? Equidem credo, qui *ſimplicitatem* tuam (de qua in praef. p. 7.) e ſcriptis cognouerim tuis. Neque vero exiſtimandum eſt, BASEDOVIVM hoc opus conſcribillandum ſine variae doctrinae apparatu ſuſcepiſſe. Nam de hoc ipſe, tanquam bonus ſponſor, certos et ſecuros nos eſſe iubet, cum in praef. ita: *Neque ego, ſi TANTO OPERI imparem me cenſuiſſem, — vel ſuſcipere, vel ita, vt feci, continuare potuiſſem.* Quoniam tamen bonus Vir nihilominus vereri videtur, vt omnes de hoc opere ſuo benigne iudicent: ipſe eius patrocinium in ſe ſuſcepit in praef. p. 6. qui locus etiam ob venuſtam latine ſcribendi rationem lectu eſt digniſſimus. *Patronum operis agam*, (bene facis: cum quiuis alius neque velit, neque poſſit;) *ſiue iudicium PRAEVIVM inſtituam. Auctoris enim iudicium PARI caeteroquin CIRCVMSTANTIA, magis ſuſpectum eſſe non poteſt, quam vnius e lectoribus, aut cenſoribus ſententia. Nam ita comparata hodie hominum ingenia ſunt*, (et olim ita fuerunt,) *quisque vt aeque PRONVS ſit, aliorum, qui ſecum rem vnam, eandemque tractant, dotibus et laboribus quid DETRAHERE, quam ſibi, ſuisque operibus* nimium *TRIBVERE.* Ego vero aut vehementer fallor: aut tu, BASEDOVI, *pronus* es, tibi, ſcriptisque tuis NIMIVM *tribuere.* Vtar enim eleganti Operis tui latinitate. Audias te ipſum; et vti patronum huius Operis tui agere conſtituiſti: ita et horum verborum tuorum (praef. p. 8.) ſis iudex: *Educatio, quae tantum non vbiuis dominatur, conſtitutionibus, moribusque etiamnum nititur, qui regnante BARBARIE nati, et pro ſine rei, noſtroque tempore haud parum INSIPIDI ſunt. Poteſt autem (ad vſum iuuentutis, ad iucunditatem parentum, ad SALVTEM GENERIS HVMANI) decem annis, et propter imitationis vim,*

in

in maxima parte Europae quam certiſſime emendari, ſi quis alicubi cura prudenti et fideli in reformatione et innouatione totius educationis, *non dico in SVPERFICIOSA emendatione et exornatione tantum conſumat, quantum ad alendos peditum trecentos nunc requiritur. — Qua de re per ſex abhinc annos populum ſollicitaui.* (Id populus ſcilicet curat!) *Comperi quidem, inſtituta noua quotannis fundari. Nullum autem, quantum ſcio, ab indole ſcholarum et gymnaſiorum veterum MISERANDA recedit.* Quid tu, os impudens, de *miſeranda* ſcholarum et Gymnaſiorum indole garris? Quot enim ſcholarum et Gymnaſiorum rationem, inprimis in Saxonia noſtra ſuperiori, cognouiſti? Profecto, niſi inuita Bona Mente natus eſſes; haec effutire non ſuſtinuiſſes. Igitur nec conſilia ſcriptaque *de re ſcholaſtica emendanda* illorum Duumvirorum, GESNERI et ERNESTI, ab hac *miſeranda* indole recedunt? *Horum ego,* ſic pergit, *inſtitutorum in ſcriptis et ſtudiis meis NVLLAM habeo rationem*, (quemadmodum et alii nullam vnquam rationem habebunt inſtitutorum tuorum,) *quoniam PERPARVM, aut NIHIL ad ſalutem aetatis noſtrae poteſt iis obtineri.* P. II. praef. vbi exoptat non ſolum, ſed ſperat etiam, aliquod *ſeminarium elementare,* ad normam ſcilicet huius *Operis Elementaris*, inſtitutum iri, ita: *Praeſagit animus, ſeminarium elementare eccubi conſtitutum iri. BEATVM populum, qui primus hanc rem aggreditur.* (Me vero miſereat illius populi, qui vel teruncium eiusmodi *ſeminario elementari,* e *Baſedoviana* imperitia, prudentia volebam dicere, conſtituendo, impendat. Hic enim nouellus rei ſcholaſticae inſtaurator non, niſi fumum venditat.) *Fieri non poteſt, quin tandem aliquando cultura intellectus excruciationem memoriae, praeparatio ad negotia vitae doctrinam vmbratilem, exercitationem in virtute,* (re, tibi, BASEDOVI, perquam amabili,) *nugoſas denique de praeſtantia eius*

praeceptiones, *denique* SANA *et* NATVRALIS *discendae linguae latinae* RATIO AB|SVRDAM *illam, quae nunc regnat, consuetudinem e paedagogia deturbent.* Quam *sana* autem et *naturalis* tua sit latinae linguae discendae ratio: docent illi tui XVII in Philanthropino Alumni, qui latine loqui dicuntur ita, vt Epistolis obscurorum virorum palmam praeripere censeantur. Male igitur cum omnibus viris doctis, eleganter loquendi, et scribendi laudem consecutis, hucusque actum est, qui in iuuentute non *sanam* et *naturalem* h. e. *Basedouianam*, sed *absurdam* discendae linguae latinae rationem sunt edocti. P. 17. *Nullum scribendi genus excogitari potest, cuius exempla bona* (equidem in his *exemplis bonis* exempla bona quaesiui!) *Opus elementare non habeat.* Interpretationes *vero, quibus* MVLTVM *impendi, rerum et linguae causa scriptae sunt, nempe, vt paedagogus et discipulus res lingua vernacula iam cognitas sermone peregrino repetat.* — *His tandem accuratius cogitatis, disquirere licet, num verum sit, iuuentutem ordinum moratiorum* ad annum vsque quindecimum *in nullo doctrinae genere libro alio, quam* opere elementari, *ad institutionem indigere.* Haec omnia non nisi summo cum taedio e praeclaro isto opere huc transtuli consilio hoc, vt quisque iudicare possit, annon auctor noster ad *nimium* sibi, huicque operi suo tribuendum fuerit pronus. Innumera fere alia specimina iactantiae intolerabilis huius hominis ex hoc opere exhiberi possent: sed, vti me exscribendi has nugas satias, ita te, lector, eas legendi taedium haud dubie cepit. Igitur veniamus ad alia, non minus mirabilia. Nam BASEDOVIVS totus est caput mirabile: modo non capitale esset.

E primo quidem magnopere mirari subiit, qui tandem BASEDOVIVM cupido incessere potuerit haec, vt de emendanda iuuentutis educandae et instituendae ratione, deque re scholastica, in meliorem conditionem redi-

redigenda, praecipere, librosque in eam rem scriptos in publicum effundere auderet, cum harum rerum vsum, non nisi diuturno tempore, labore magno, prudentiaque non exigua comparandum, nullum consecutus, neque ab ingenio, doctrinaque ad hoc suscipiendum, feliciterque perficiendum sit instructus. Ego, qui adolescens, quod in summa felicitatis meae pono, doctores, in disciplina scholastica, et arte etiam iuuentutis rite formandae et instituendae Roscios, IO. MATTH. GESNERVM, τὸν νῦν ἐν ἁγίοις, et IO. AVG. ERNESTIVM, cum annis, tum meritis vere venerabilem, nactus, et vltra triginta annos in plurimis, atque iis diuersis ingeniis tractandis versatus sum, maximamque vitae meae partem, non sine omni iuuentutis fructu, consumsi, nulla vnquam cupidine tangi me sensi, aliquid scribendi, in publicumque protrudendi, quod *rem scholasticam emendandam* attingeret. Ipso enim rerum vsu, atque eo diuturno probe cognoui, quantae difficultatis sit, eiusmodi quid conari, et quantum prudentiae requiratur ad vitia quaedam, in hac omnium rerum humanarum conditione vix euitanda, quae forte hinc inde in scholis publicis animaduertas, emendanda et tollenda ita, vt non alia, atque ea non minora importes. Quod HORATIVS de hominibus dicit, *vitiis nemo sine nascitur: Optimus ille, Qui minimis vrgetur*, id commode transtuleris ad scholas publicas, quarum optima habenda est, in qua minima vitia deprehenduntur. Equidem, *vbi in aliqua schola plurima nitent, non paucis offendar maculis.* Profecto res difficilior est, quam quis credat, qui eius rei nullum vsum habet, *rem scholasticam* emendare, inque conditionem meliorem redigere velle, cum verendum sit, ne, vno et altero vitio et incommodo tollendo, plura alia, atque ea maiora inferas. Et tamen ab aliquot inde annis morbus veluti epidemicus multos inuasit, qui, neque ab ingenio, doctrina, prudentiaque satis instructi,

neque

neque harum rerum vllo vſu vnquam edocti, tamen *de emendanda re ſcholaſtica* etiam aliquid ſcribere ſuſtinuerunt. Sed credite mihi, o boni! facillimum eſſe in muſeo et otio inter fumum herbae Nicotianae efflandum, aut inter aliquot lagenulas villuli exhauriendas conſilia quaedam et inſtituta (*projets*) cogitando parere, partaque in publicum exponere; longe difficillimum autem, ea ad vſum ita adiungere et transferre poſſe, vt ſaluti publicae ea re conſulatur. Quotiescunque eiusmodi ſcriptiunculas, ab iis profectas, quibus rei ſcholaſticae nulla notio, nulla vnquam fuit peritia, legi, toties menti meae occurrit, quod nuper mihi, hoc *Opus Elementare Baſedouianum* percurrenti, memoria ſuggeſſit, nempe illud, quod CICERO (de Orat. II, 18.) de Annibale expulſo, et cum aduerſa fortuna conflictante, in Syriaque apud Antiochum M. verſante, refert. Hic enim cum PHORMIONEM, philoſophum peripateticum, de imperatoris officio, et de omni re militari aliquot horas copioſe, cum magna aliorum conuiuarum voluptate et admiratione, diſputantem audiſſet, interrogatus, quodnam ſuum de hoc philoſopho iudicium eſſet: tulit hoc, vt diceret: *multos ſe deliraſſe ſenes ſaepe vidiſſe, ſed qui magis quam Phormio deliraret, vidiſſe neminem. Neque mehercule iniuria*, addit CICERO. *Quid enim arrogantius, aut loquacius* etc. Noſti enim, lector, caetera. Sed age, videamus, quid magnus ille nouellae ſapientiae magiſter, et magniloquus rei ſcholaſticae emendator praeſtiterit, quidquid tanto hiatu promiſſor tulerit dignum. Initium faciamus a religione. De ea enim deinceps dicere erat propoſitum.

Omnium, non Chriſtianorum ſolum, ſed aliorum etiam populorum ſacrarum litterarum luce non colluſtratorum, qui quidem non plane ad barbariem, immanitatemque a natura abiecti fuerunt, opinio fuit haec, quae et nunc animis omnium, qui non plane ab humanitatis

nitatis cultu defecerunt, infixa haeret, vt vnanimi conſenſione contenderent, in educanda et inſtituenda iuuentute primum et grauiſſimum munus parentum, omniumque eorum, qui vices eorum ſuſtineant, eſſe hoc, vt liberi tenera adhuc aetatula, cum primum ad aliquem rationis vſum peruenerint, initiis religionis imbuantur, imbutique huius rei ſaluberrimae, et ad veram felicitatem maxime neceſſariae, accuratiori cognitione, veluti ſaluberrimo animi paſtu, indies magis, magisque alantur atque confirmentur. CICERO quidem, in ea religione natus et educatus, quae vana et coeca ſuperſtitio potius quam religio nominanda eſt, huic religioni, non dubitat contendere, Reipublicae florem, amplitudinem, ſalutemque acceptam eſſe ferendam, his verbis, (Orat. de Aruſpic. Resp. c. 9.) *Romanos non calliditate et robore, ſed pietate et religione omnes gentes, nationesque ſuperaſſe.* Et PLATO (Lib. IV. de Rep. p. 427. Edit. Steph.) recte contendit, *fundamentum Reipublicae eſſe religionem.* Ita illi de religione ſenſerunt. Vix igitur verbis exprimere poſſum, quantopere obſtupuerim, cum in hoc *Opere Elementari Baſedouiano*, quod vanus auctor omnibus numeris perfectum exemplar iuuentutis educandae, inſtituendaeque eſſe vult, quodque in ipſo chriſtianorum coetu conſcribillauit, nullam plane habitam eſſe rationem religionis, fideique chriſtianae animaduerterim, totamque eam rem, ſaluberrimam ſane, maximeque neceſſariam ad pietatis, honeſtatisque ſenſus teneris adhuc animis inſtillandos, alto ſilentio transmiſſam. Bone Deus! quid tandem de educatione et inſtitutione iuuentutis chriſtianae fiet, ſi hanc BASEDOVII rationem et diſciplinam ſequamur? Ego quidem in inſtituendis diſciplinae meae alumnis quiduis potius negligere velim, quam doctrinam de religione chriſtiana, et de fidei chriſtianae capitibus, qui ſciam, huius impiae incuriae et negligentiae mihi aliquando in horrendo illo iudicio extremo

tremo grauiſſimam rationem eſſe reddendam. Et vnde plures, grauiores, et ad perſuadendum, commouendumque efficaciores rationes peti poſſunt, quarum vi iuuenilis aetas ad pietatem, honeſtatem, omneque omnino omnium virtutum et officiorum genus impelli debet, quam e religione chriſtiana? Deme hanc; deme eius cognitionem et ſenſum: et videbis, quam exiguam vim vel praeſtantiſſima et ſaluberrima praecepta, quam exiguam verba minacia, quam exiguam verbera adeo in plerisque iuuentutis animis ſint habitura. Et tamen hoc BASEDOVIVS (qui aliquo loco, neſcio, quam vere, dicit, *ſe etiam chriſtiana ſacra ſequi,*) in hoc capitali Opere ſuo fecit, de ſola quippe *religione naturali* aliquid effudiſſe contentus, de *religionis chriſtianae* autem doctrina parum ſollicitus. Et huius deteſtandae incuriae et negligentiae iſtum hominem adeo non pudet, vt aliquo loco (Lib. IV. p. 196.) libere et impudenter ſcribat: *Hoc demonſtrare canſtitueram in opere elementari, quae ſit* religio naturalis — *Qua in re ita verſatus ſum, vt, OMISSA DIVINA REVELATIONE, ſola rerum naturalium, ſuique contemplatione hanc doctrinam* (de Deo, eiusque cultu) *homini non inerti prorſus, et ſtupido gratam et acceptam facere poſſit.* — *DEISTAE, IVDAEI, CHRISTIANI, et MAHOMEDANI* (Tros, Rutulusue fuat!) *in eo conſentiant, — ea, quae vobis de religionis cultu tradidi, vera eſſe, et cum ſingulorum, tum OMNIVM OMNINO ſalutem et felicitatem iuuare.* Hic mihi *Naturaliſtam* aliquem audire videor, qui, *omiſſa diuina reuelatione*, ſola rerum naturalium, ſuique contemplatione impie mentitur, ſe hac doctrina ſua omnium omnino hominum *ſalutem* et *felicitatem* iuuare poſſe.

O tribus Anticyris caput inſanabile nunquam!

Tu,

Tu, qui in eccleſia chriſtiana natus es, in eorum, qui religionis chriſtianae, literarumque diuinarum luce colluſtrati ſunt, coetu verſaris, ab iis, qui Chriſtum eiusque ſanctiſſimam doctrinam amplexi colunt et venerantur, tantam pecuniae vim emendicaſti, eorumque munificentia aleris et ſuſtentaris, tu, igitur, in ipſo chriſtianorum coetu talia effundere, et chartis adeo, aeternarum tenebrarum obliuione premendis, in publicum protrudere non erubeſcis? Quae tibi mens? quae tibi frons? In vniuerſum, BASEDOVIVS, quantum quidem ex hoc opere Elementari intellexerim, cum de religione chriſtiana, tum de eccleſia noſtra Lutherana ieiune et maligne, ne dicam malitioſe, videtur ſentire. E ſpecimin*i*bus, iam exhibendis, ipſe, lector, iudices: ne cupide magis, quam vere, de hoc homine iudicare videar. Et primo quidem de religione omni omnino ita diſputat, vt dubitet, quae ſit vera. Ita enim diſertis verbis aliquo loco: *Si parentes, aut doctores eccleſiaſtici officio non deſint, vera religio, QVAECVNQVE EA SIT, radices aget quam altiſſime.* Quibuscum verbis amice conſpirant haec: *Conſtat, me chriſtianum eſſe*, (nomine nempe et ſimulata profeſſione,) *quamuis peculiari ECCLESIAE non addictum.* Addamus in hanc rem alia. *Tractat opus elementare diſciplinas a Theologia ALIENAS, ideoque doctrina et probatione non CHRISTIANAM, ſed NATVRALEM religionem. — — Abſunt a meo opere religionis, quam parentes veram, et diuinitus manifeſtatam CREDVNT, inſtitutio etc.* Alio loco, vbi de *fide* in Deum agit, ita: *Grauis eſt haec fides, adeo, vt, etiamſi de ea SVBDVBITETIS, vitam tamen veſtram regere debeat.* Sub initium Lib. IV. negat, pueros e ſcriptura ſacra doceri poſſe, *Deum eſſe. Innumeri ſunt*, inquit, *qui, Deum eſſe, probent auctoritate diuini verbi, cuius vim et veritatem expendere non LICET;* et haud ita multo poſt: *de REVELATIONE DIVINA nondum vobiscum colloqui LICET.*

CET. Quando igitur? Et tamen iisdem pueris ſuis eodem loco proponit demonſtrationem de *vnitate Dei* ratiunculis contortis adeo implicitam, metaphyſicsque tenebris adeo obductam, vt vir doctus etiam, et in eiusmodi rebus exercitatus vix vel diuinando aſſequi poſſit, quid ſibi ſubtile iſtud ingenium *Baſedouianum* velit. Hanc ſcilicet ſubtilem BASEDOVII, qui *ſubtiliſſima quaeque perſcrutatur*, demonſtrationem *vnitatis Dei* anguſtiae mentis pueriliſ capere poſſunt: quae autem pro eadem e *revelatione diuina* afferri ſolent, ea difficiliora ſunt, quam pro huius aetatis intelligentia. Iam, quomodo de *cultu diuino*, et *precibus* ſentiat et praecipiat, operae pretium eſt cognoſcere: *Is demum*, inquit, *cultus numini ſupremo placet, quo homo homini prodeſt.* (Implete igitur BASEDOVII marſupium aureis numis: et Deum coletis.)—— *Precari nos dicimus, ſi toto animo* Deum *quaſi recipimus* (hic Fanaticum garrire mihi videor!) *eumque verborum formulis alloquimur.* Nunc demum, lector, didiciſti, in quo et *cultus diuinus*, et *rite precandi ratio cernatur.* Bone Deus, quantum huic nouo diſciplinae chriſtianae auctori debemus! Aeque mirificus eſt in definiendo. Neſcis, quid ſit *virtus:* BASEDOVIVS te docebit. *Virtutem* dico *cogitationum, votorum, vultus et actionum conuenientiam cum vtilitate communi.* Nihil legi ſubtilius! Lib. eod. IV. p. 71. ſq. deteſtanda ſane eiusdem diſputatiuncula eſt de *aeternitate poenarum*, de qua re ita diſputat. vt et ipſe *aeternitatem poenarum* neget, et aliis hanc ſententiam peſtiferam perſuadere ſtudeat ſuam. Toto animo cohorrui, cum haec in libro alicuius hominis, qui *chriſtianum* ſe profitetur, legebam. Locus totus amplior eſt, quam qui huc transferri poſſit. Rei grauitas autem exigit, vt vnum, et item alterum, ſpecimenis loco, exhibeamus. *Quibus*, ſceleratis, inquit, *ſi aeternas poenas perſuaſeris: nihilo magis proficies, quam ſi non aeternas*

aeternas eas tradideris. Immo, palam experientia edocet, eos — qui Deum credunt aeterna supplicia sceleratis proposuisse, virtutem NIHILO ALACRIVS sequi et amplecti, quam eos, qui Deum poenis his finem constituisse existimant. — Eadem doctrina de sempiternitate poenarum innumeris aliis *PERNICIOSA est, quippe qui, dum non esse aeternas poenas per RATIONEM intellexerunt,* (haec igitur iudex esse debet in hac re grauissima,) *neque alia argumenta parata habent, nisi quae pro sempiternitate poenarum harum afferri solent,* (igitur argumenta e scripturae sacrae locis luculentissimis petita non satis grauia sunt?) *tandem DVBITARE incipiant, sint olim poenae aliquae futurae, nec ne? Accedunt argumenta alia. Nempe nos, et qui familia nostra censentur.* (Sententias loquitur — nec, quid sit, *familia sua censeri,* coniectando assequi possum,) *nunquam a poenis diuinis in altera vita prorsus tuti sumus.* (Haec est vox malae, et sceleratae conscientiae.) *Optimus quicunque* (*quisque* debebat dici.) *semper in aliquo periculo versatur, ne in altera vita poenam luat.* (Haec tibi Satanas, mendacii pater, suggessit.) *Quam rem, nullo modo inficiandam,* (ain' tu?) *qui non deneget, — is suam, suorumque* vitam, *simulac ratio aderit timendae poenae futurae leuissima, iure EXSECRABITVR.* (Exsecranda verba!) *Qui vero poenas olim sempiternas sine sui DETESTATIONE credit,* (haec quid sibi velint, hebetior sum, quam qui videre possim,) *is aut non cogitauerit toto animo periculum inde exsurgens,* (quam venuste!) *aut ab omni peccato esse, vel fore se immunem autumet necesse est etc.* Et in Libro, pestifero sane, inscripto, Vermächtniſſe für Gewiſſen, in quo omnem religionem christianam, diuinitatem scripturae sacrae, diuinitatem Christi, et alia doctrinae christianae capita grauissima impugnare, penitusque tollere impio conatu studet, recte eo nomine, sed nimis leniter castigatus a C. G. ANTONIO, V. C. aperte, et non sine detestanda

audacia *aeternitatem poenarum infernalium* negat. Nos quidem, religione christiana, scripturaque sacra magistra melius edocti, atque ex ea de *aeternitate poenarum infernalium* certi facti, probe scimus, qua ratione nos contra metum earum, periculumque munire possimus et debeamus. Sed tam misere coecutire, et in hunc labyrinthum incidere solent, qui de rebus grauissimis, e sola scriptura sacra certissime cognoscendis, relicta ea, soli rationi humanae, in his rebus coecae, consisi, disputare audent. Et quam egregia est haec, educandae, instituendaeque iuuentutis, ratio *Basedouiana*, quae pueros, et adolescentes de grauissimis doctrinae christianae capitibus, in scriptura sacra diserte traditis, mature dubitare docet, eosque sensim, sensimque eo perducit, vt in tanta inprimis religionis contemptione, hac aetate nostra in dies magis, magisque invalescente, alia etiam sacrosanctae religionis nostrae capita, totamque omnino religionem christianam in dubitationem vocent, et postea palam, impudenter et impie negare, atque impugnare adeo sustineant? Nunquam enim malum, vbi coepit, consistit, sed latius serpit, viresque eundo acquirit. Et ad talis magistri, iratis Musis nati, institutionem, disciplinamque pueri, adolescentesque in posterum educari et formari debent? Procul auertat hoc malum Deus a finibus nostris! et certissime avertet.

Vidisti lector, quam impudenter, quam impie hic cerritus iuuentutis magister de sacrosancta religione nostra sentiat et loquatur. Ecce tibi etiam quaedam specimina impudentis, et malitiosae dicacitatis *Basedouianae*. Eo loco, vbi de solemni illo iureiurando, in Libros nostros Symbolicos praestando, loquitur: (Lib. VII. p. 93.) *In quibusdam regnis*, inquit, *vbi sacra Lutheri vigent, nullus ad munera ciuilia admittitur, qui non ante* iurauerit, velle se cuncta fidei receptae capita credere, diuulgare, saltem non impugnare, *quae in libris, copiose atque erudite scriptis,*

ſcriptis, reperiuntur. SCIT tamen MAGISTRATVS, illum libros hos, in quos iurat, nec legiſſe vnquam, nec forte lecturum. Verum ſine iureiurando illo minus IDONEVS, atque INDIGNVS habetur, qui munia leuiſſima adminiſtret, qui publicanus (portitor debebas dicere: nam *publicani* apud nos nulli ſunt;) *ſit, logographus, geometra, aut diſciplinae alius doctor publicus.* Haec quo animo dixerit, neminem tam hebetis ingenii eſſe putem, quin intelligat. Et quam inepte dicax eſt in perſtringendis ritibus ſacris, qui in Eccleſia noſtra obtinent? Lib. VII. p. 211. Sacerdos *confeſſori*, inquit, *peccata Dei nomine condonat, capitique manum imponit. Is vero manum CLAVDIT. Nam nummum CONFESSIONALEM tenet, quem accepta peccatorum CONDONATIONE tradet. Qui ſi elaberetur: elapſus tinnitum indecorum ederet.* Et haud multo poſt de *exorcismo*, in baptizandi ritu apud nos quoque recepto, quam dicaciter, quam ſcurriliter loquitur? *Lanius*, inquit, *pater huius infantis*, (quem vtrumque in tabula aliqua depictum, vna cum baptizandi ritu expreſſum, BASEDOVIVS puerulis ſuis digito extenſo monſtrat,) *ſtatuebat idem*, (nempe exorcismum non eſſe omittendum,) *qui cura nimia, ne, praetermiſſo exorciſmo, infans careret re, NESCIO QVA, rationis vſum procul dubio amiſerat. Videtis eum in hac tabula accurrentem, ſecurim occultam tunica gerit, non ſine terrore totius multitudinis, caput ſacerdotis percuſſurum minatur, ſi conetur EXORCISMI verba praetermittere.* Quae mox de *Sacra coena*, quam in peſtifero illo libro ſuo (Vermächtniſſe für Gewiſſen) non niſi *laetum quoddam fratrum conuiuium* (Eine bloße brüderliche Freudenmahlzeit.) impie et habet, et nominat, garrit, produnt animum malitioſum, dicaculum, maximeque impium. *In altera quadra*, inquit, *cernitis, quomodo dent Lutherani, qui ſunt Lipſiae, cenam ſacram, quam* euchariſtiam *dicunt. Ad ſiniſtram ſunt, qui coena*

hac frui velint. Accipiunt ii, secundum doctrinam Lutheranorum, (nonne etiam secundum doctrinam scripturae sacrae?) *libis farinaceis corpus Christi, ad latus alterum autem vino Christi sanguinem. Adsunt pueri, qui mappulam tenent. Aedituus illic, ne TVMVLTVATIM quid fiat, conuiuas singulos* pro gradu dignitatis *ad coenam verbis, aut nutu vocat. Hoc pro labore, dignitatisque diiudicatione conuiuae discedentes NVMVLVM ipsi donant,* (huic *numulo* tu ipse inhiare videris; o si tu aedituus ille Lipsiensis esses!) *quem inter coenandum MANV tenent, aut ita saltem in MARSVPIO custodiunt, vt statim ad manus sit. Pauperes vero, qui nihil DIGNITATIS habent, nihil dant.* Miraberis haud dubie, lector, vnum aliquem hominem, in coetu christianorum versantem, ab iisque tantam pecuniae vim emendicantem, de religione christiana, deque ecclesiae nostrae Lutheranae ritibus vel saluberrimis, vel ἀδιαφόροις, tam malitiose, tam inique, tam dicaciter, quin impie adeo sentire et impudenter loqui posse. Sed desines mirari, si cognoveris, hunc hominem, qui *sacra christiana sequi se* aliquo loco mentitur, esse *Arianum*, quod adeo non dissimulat, vt potius non sine pudenda iactantia quadam prae se ferat. Nam cum aliquando in colloquium cum Venerabili quodam Viro veniisset, hicque libere ei dixisset: *Tu Socinianismi suspectus es. Ego vero,* regerit, *Arianus sum.* Egregia vero laus! egregius Vir! dignus sane, cuius doctrinae, fidei, disciplinaeque iuuentutem teneram adhuc et integram educandam, instituendamque committas!

Restat, vt de ipsa iuuentutis educandae, instituendaeque ratione BASEDOVII, *quam* (Lib. I. p. 6.) *se ex ingenio suo* OPTIMAM *tradere* dicit, videamus, a qua *genus humanum*, in cuius *salutem* hoc opus compositum esse impudenter mentitur, eo perfectius quid expectare poterat, quo arrogantius se ipse *reformatorem*, et *innouatorem totius educationis* in praefatione iactitat, et quo in

quius

quius et malignius loquitur de recepta. *Educatio*, inquit, *quae tantum non vbiuis dominatur, conſtitutionibus, moribusque etiamnum vtitur, qui regnante BARBARIE nati, haud parum* inſipidi *ſunt*. Heus tu! bone BASEDOVI, cum ingreſſurus eras, hanc tuam iuuentutis *optime* educandae diſciplinam tradere, debuiſſes relictis omnibus *magiſtros ſcholarum*, et *paedagogos*, quorum vel imbecillitati, vel imperitiae, vel peruerſitati in docendo hoc aureo opere tuo conſulere voluiſti, verbis *Antonii* apud CICERONEM (de Orat. II, 7.) ita alloqui: *Audite vero, audite! Docebo vos, quod ipſe non didici.* Sed inter te, et *Antonium* intercederet hoc, vt, quod ille ſimulate et iocoſe dixerit, id tu vere, et liquida mente dicere potuiſſes. Sed age, paucis ſpeciminibus exhibendis cognoſcamus, quid praeſtiterit hic immanis doctrinae Cyclops. Scilicet, quemadmodum QVINCTILIANVS Oratorem ab incunabulis format ſuum: ita BASEDOVIVS inſtitutionem ſuam ab infante adhuc lactente orditur, diſciplinaeque ſuae alumnum a quinto inde anno ad latine loquendi facultatem comparandam fingit. Quam praeclare, et cum quanta ingenii ſubtilitate id fecerit, paullo poſt dicendi locus erit. *In doctrina* (Lib. I. p. 11.) *de Nominibus, de ſignis ad vſum vis ſenſualis et iudicii adhibendis* (haec enim eſt inſcriptio huius cap.) inter alia haec: *Offerte pueris v. c. pileum, calceum, muccinium album atque ouum. Dicite tum:* ecce! niger eſt pileus: ecce! niger eſt calceus: ecce! album eſt muccinium: album eſt ouum. *Dum vero verbum,* ecce! *enunciatis; digitum ab oculo veſtro ad ipſam rem promouete. Hoc fit* videndi ſignum. *Nonnunquam digitum veſtrum prope pueri oculos ad rem demittite, ita tamen, vt ea nonnunquam pueri adſpectui ſubtrahatur. — Centies circiter,* (quidni *millies* circiter?) *dum verbum* eſt *enunciatis, attollite digitum ad mediam frontem. Hoc ſignum eſto* iudicii. (Quid tandem eſt *digitis demonſtrare*, ſi non hoc eſt?) P. 12. Auditus ſignum *fit digitus*, (qui? auricularis

an medius?) *ab aure ad eam regionem promotus, vnde ſonus oritur. Primo quidem addatur ſemper verbum:* auſculta! — *Dicite tum:* auſculta! hoc ſonat: auſculta! hoc tinnit: auſculta! hoc ſtridet: auſculta! hoc crepitat: auſculta! hoc ſuſurrat etc. Exempli loco addere debebas, BASEDOVI, auſculta! *hoc eſt non tam nugulas agere, quam delirare*, vt illi infantes tui mature diſcerent, quid inter *ſapere* et *deſipere* interſit. Mox: *Poſt enunciatum verbum*, hoc *vel* illud, *detur* ſignum iudicii. Et huius generis nugis innumeris, non ſine riſu et cachinno excipiendis, multas paginas mundae chartae commaculauit. Et tamen de hoc puerili εὑρήματι ſuo hic miles glorioſus ita triumphat, vt haud ita multo poſt magna cum iactantia et vanitate ſcribat: *Hanc SAPIENTEM SANE rationem — ſi ſequimini: non ſpero, ſed confido, pueros veſtros, puellasque quinquennes naturam animi, coniunctionem eius cum diuerſo ab eo corpore, verumque vtriusque diſcrimen* rectius, et maiori ſui ſenſu, atque certitudine cognituros eſſe, *quam plerique in ludis literariis* doctores vmbratici. *RATA eſſe atque fortunata Deus iubeat, aliorumque in VERAM poſteritatis FELICITATEM vota atque operam!* Sequantur alii hanc tuam, BASEDOVI, *ſapientem* rationem: ego, per XXX. annos *doctor vmbraticus*, vt tu, alter *Apion*, περιεργοτατος γραμματικῶν, πλειστονίκης, πυγγροπολινίκης, Cymbalum mundi, et quibus aliis nominibus magnificis molles auriculae tuae demulceri geſtiant, vt tu, inquam, me, conditionisque meae homines vocare ſoles, nunquam eam in inſtituenda iuuentute ſequar. Et ſane, ſi ipſe in pueritia ab aliquo magiſtro ad hanc *ſapientem* tuam rationem inſtitutus fuiſſem: pro animi mei vi ignea, huius diſciplinae impatiens, eiusmodi ineptum magiſtellum in Morboniam abire iuſſiſſem, et omnem omnino amorem bonarum literarum diſcendarum per omnem vitam abieciſſem. Longe alia, ſed ingenio meo conuenientiore, ratione in diſcendis

dis literarum initiis mecum actum eſt, et ita mecum actum eſſe, etiamnum laetor, magiſtrisque meis eo nomine, ingenue fateor, me multum debere. Et hac ipſa magiſtrorum meorum ratione inſtituendi per hos XXX. annos vſus ſum, quae etſi non BASEDOVIANA, h. e. *ſapiens*, tamen iuuentuti ſcholaſticae fuit fructuoſa. Neque nunc, ea me eſſe vſum, poenitet, cum e diſciplina mea non pauci ſint profecti, qui nunc iuuentutem magna cum laude docent. Totius fere Libri I. *Baſedouiani*, in quo de inſtitutione infantiae et pueritiae multa, *pro more ſuo*, garrit, perlegendi faſtidium deuoraui, ita vt ſaepe mecum dicere cogerer: λῆρει, λῆρει, δότε μοι λεκάνην· ſed bona fide confirmare poſſum, quae hic nouellus ſapientiae magiſter de hac aetatula inſtituenda tradat, ea tam difficilia, taediique ita plena eſſe, vt omnes parentes, ſcholarumque vel infimarum magiſtros, ab hac inſtituendi ratione auocare et deterrere debeant. Nam hac ratione infantes ſingularum literarum notitiam, pronunciationemque docere velle, res eſſet immenſi laboris, non ſine cari temporis iactura, non ſine taedio, nec ſine multorum numorum impendio ſuſcipiendi. Libellum vix vnius, vel duarum plagularum, e quo literarum formae diſci poſſunt, (*Abecedarium* vulgo dictum,) confici BASEDOVIVS vult eiusmodi, qui non niſi vno *Imperiali* veneat. Ego autem, vti ſexcenti alii, literarum formas puer probe didici ex eiusmodi libello vix vnius aſſis: et tu huius generis libello comparando non niſi vnum *Imperialem* impendi cupis? Scilicet multi parentum ſunt, qui huic rei id pecuniae impendere poſſint. Iam, quam nouum, quamque mirum artificium *Baſedouianum* acumen inuenerit, literas ſingulas in ſyllabas et totas voces cogendi, (buchſtabiren nos dicimus:) age videamus. *Spectatum admiſſi riſum teneatis amici! Sonus*, inquit, *quem* noſtra *literarum nomina produnt, haud parum conuenit cum ipſo ſono ſyllabarum et verborum. Sic v. c. e ſono, qui ineſt* noſtris

literarum nominibus, ſche, o, le, a, *quibus conſtat verbum* ſchola, *facilius oriri videtur ſonus verbi*, ſchola, *quam e ſono literarum* es, ze, ha, o, el, a. *Praeterea id quoque tenendum eſt*, luſu ſyllabarum *Franciſcum* (miſeret me ſane *Franciſculi* tui, qui hac taedioſa literas et ſyllabas pronunciandi ratione tam miſere excruciatus ſit!) *comparaſſe ſibi incredibilem* (ain'tu? incredibilem adeo?) *facultatem, diuiſum ſonum (nominum ſcilicet, quibus appellantur literae,) cum ſimplici ſyllabarum ſono coniungendi.* Non dubium mihi eſt, quin Lector haec paullo ſubtiliora et reconditiora vna mecum ſit admiraturus. Eſt enim nouum artificium, et quodammodo εὕρημα θεῖον. Sed plane mirificus, et ad ſuporem vsque ingenioſus eſt in Capite *de variis luſibus, ludendis cum iuuentute. Lubenter*, inſit, *iocamur cum primae aetatulae infantibus.* (Ioceris licet cum iis, cum nihil ſerii agere velis, aut poſſis: modo non chartas Voluſianas in poſterum in publicum protrudas!) *At plus vtilitatis ex his iocis capere iis licet, quam VVLGO capiunt. Qua re id fiat, vt diſcant matres*, (igitur et bonae matres tuae diſciplinae committendae ſunt?) *perlegant primum caput partis ſextae relationum, quas ediai, quadrimeſtrium, lectumque ad vſus ſuos transferant. FRVCTV profecto non carebit haec opera.* Et quinam fructus ille erit? Audite, bonae mulierculae! diſcatis: vos vel vno exemplo, vnde cognoſcetis omnia, id docebo. *Cur non*, inquit, *dum mammas porrigitis infantulo, eodem ſemper vocis tenore dicitis:* mamma, mamma! *et dum fugere infans incipit*: lac, lac! *aut*, dulce, dulce! *aut*, guſta, guſta! Haec, multaque alia ab hoc ſubtili Philoſopho, qui *ſubtiliſſima quaeque perſcrutatur*, effuſa χρονίων ὄζει. Nondum nugarum ſatis eſt? inquis Lector. Nondum. Obdura te, et patiens (nam patientia opus eſt, atque ea maiori, quam mariti vel maxime lenti;) cognoſce, quae de *luſu baiuli*, de *luſu vaccae coecae* (Blindekuh), de luſu *Ollae*, et *ſcribarum occoecatorum*, de *duabus*

bus veficis boariis, aliisque ingenioſe excogitatis luſibus tradit, quos ad inſtituendam iuuentutem perquam vtiles, fructuoſosque mentitur. Expectas forte, Lector, a me horum luſuum deſcriptionem? Fruſtra expectas. Nam haec ſunt *μυσηριώδη*, atque adeo non efferenda. Igitur *εὔσομα κεἰσθω*. Eme tibi librum ipſum h. e. perde vnum aliquem numum aureum: nec emiſſe poenitebit. Videbis enim, vix hiſtrionem aut agyrtam ſuauiorem tibi riſum commouere poſſe. Hic ſane BASEDOVIVM, cum pueris ludentem, vere repueraſcere, h. e. puerilia, et nugulas agentem, deprehendes.

Et haec fere ſunt, quibus in inſtituenda tenella aetate vti vult magiſtrum. Addamus igitur, quae adhiberi vult in inſtituenda aetate paullo adultiore. In quam rem quaedam ſeligamus, ſtrictimque tangamus e Lib. X. p. 151. ſqq. vbi tradit praecepta Grammatices et ſtyli. Nam in hac re, vti in praef. dicit, HABITAT. Sed, vti ego quidem cognoui, non diu ibi habitarit, ſed, veluti *μεταβάτης* quidam, mox ad alia tranſiluerit, neceſſe eſt. Nam in Grammatices diſcipiina ſubtilem philoſophum, qui *ſubtiliſſima quaeque perſcrutatur*, vt ſupra iactantem audiuimus, Grammatices autem valde imperitum, vel tironem potius ſeſe eſſe oſtendit. Quam magnificum eſt huius diſcipiinae tradendae initium! Audite, quaeſo, et Grammaticum, ad ſtuporem vſque doctum, agnoſcetis. *Omne, quod eloquimur*, inſit, (ſed heus tu! bone Vir, elocutioni in Rhetorica, non in Grammatica locus eſt;) *aut ſcribimus, propoſitionibus aut iudiciis continetur, quae verbis aut ſignis exprimimus. — Quinimo vocabularia nil, niſi propoſitiones, habent*, v. c. ſynedrus et aſſeſſor *idem ſignificant*. Pluit, *propoſitionem notat*: pluuia — nunc cadit. *Propoſitionem enuntias etiam, ſi quid rogas*, v. c. quis adeſt? *id eſt*, ſcire volo, quis adſit. *Latet etiam in voto et iuſſu propoſitio*, v. c. abi, id eſt, volo abeas. Bone Deus!

quantum eſt ſapere, ſi non hoc eſt! Quot, quantaque, et quam veneranda Grammatices myſteria hic recluſa patent, ab omni omnium Grammaticorum acumine ante *Baſedouianum* acumen remota! Audi, BASEDOVI, tibi aliquid in aurem dicam. Sed rogo, ne efferas. (Nam tu mihi plenus rimarum eſſe, et hinc inde perpluere videris.) Sed audi. Quodſi P. BVRMANNVS, flagellum illud Logicaſtrorum, qui ſubtilitatem Logicam ſuam arti Grammatices et Critices inepte obtrudere volunt, ab inferis excitatus rediret, quam miſere et duriter tecum ageret! Peius te, crede mihi, exciperet, quam IO CLERICVM, ſubtilem illum Logicum, ad quem tu infans es, excepit. Sed immorabimur adhuc paullulum huic loco, cuius amoenitas nos retinet. Pergit: *ſi diſplicentiam cogitas, non ſolum, quod diſplicet, ſed etiam aliquem, cui id diſplicet, cogitatione complecteris. Si* donationem (v. c. XV. millium Imperialium, ad hoc praeclarum ingenii, doctrinaeque monimentum condendum, poſteritatisque memoriae commendandum hinc illinc emendicatorum,) *cogitas: praeſumis* (quam eleganter!) *donatorem*, (donatorem vero? quam venuſte!) *porro rem, quae donatur: tandem perſonam acceptricem*, (et hoc perquam dignum eſt latinitate *Baſedouiana* h. e. barbara.) Scilicet! hoc eſt, quod in praefationis ſuae limine vanus auctor iactitat, *ſubuenire in coniungenda rerum doctrina cum neceſſario linguarum ſtudio.* Parum abſum, quin meis olim doctoribus, GESNERO et ERNESTIO, iraſcar (ſi tam caris capitibus iraſci fas eſſet,) eo nomine, quod me Grammatices, latinaeque linguae rationem hac Logica ſubtilitate non docuerunt. Sed eo tempore nondum extiterat BASEDOVIANVS Grammaticus. VOSSIIS igitur, SANCTIIS et PERIZONIIS contenti eſſe debebant.

Sed iuuat, nunc etiam huius Grammaticaſtri, iniquo Apolline, iratisque Muſis nati, nouellam tiam in aliis

aliis tradendis Grammatices praeceptis cognoſcere. *Verba*, inquit, *primum genus vocabulorum lexicalium* (lexicalium? quid hoc verbi? Concurrite omnes haruſpices et augures, concurrite, et hoc monſtrum atque portentum, procurate!) *conſtituunt: altero* Nomina *continentur. Nomen quoduis autem vocabulorum FAMILIAM comprehendit, quae quidem eundem habent ſignificatum FVNDAMENTALEM*, (tunc hoc intelligis, lector?) *varias vero terminationes, ſiue* caſus. — *Sic nomen*, pater, *ſubiectum eſt in propoſitione*, pater liberos ſuos amat: *res obiecta eſt in propoſitione*: patrem meum aduenientem video: *et correlatum in hoc:* obuiam eamus patri. *Adiectiae deſcriptionis inſtar vocabulum* pater, *eſt in propoſitione:* patris ſoror deſponſata eſt etc. Quae hucvſque attulimus, *praenotiones* tantum *Grammatices*, vt Auctor vocat, attingunt: quibus traditis, in adnotatione adiecta addit haec, profundae ſapientiae pleniſſima, quae, nimis libera is ſum, quam vt tibi, lector, inuideam. Audi igitur, ſed attente audi docentem Magiſtrum noſtrum. *Iam vides, ad Grammaticam* (rem tibi, BASEDOVI, ignotam) *me properare. OBTESTOR* (ſcilicet rei dignitas hoc poſtulat!) *iterum quemuis, qui paruis bene cupit, ne quid ex hoc, atque priore capite iuuentuti proponatis,* (ea enim ſcilicet! ſunt altioris indaginis, doctrinaeque reconditioris;) *priusquam aetas iuuenilis, et vna cum ea ratio, multum iam ſuccreuerit, et diſcipulus linguam eam, cuius grammaticam doctturus es, aeque calleat, ac MERCATOR ſermonem vernaculum. Peculiarem, dico, Grammatices inſtitutionem ante ſuſcipiendam non eſſe.* Iam, vbi de ipſa Grammatice linguae latinae imperite exponere inſtituit, in praef. ad *paedagogos* (inepta vox! nam apud nos *pediſequi* ſ. *Laquais*, qui ditiorum liberos comitari ſolent, *paedagogi* Veteribus dicti, Grammaticam non docent;) ita: *Eos tantum ad hoc caput admiſſos volo,* (igitur ἐκὰς, ἐκὰς βέβηλοι) *qui linguam latinam perinde, ac MER-*

MERCATOR LIPSIENSIS vernaculam callent, (atqui ego multos mercatores Lipſienſes cognoui, qui linguam vernaculam aeque minus, ac tu, BASEDOVI latinam, callerent,) *qui latine dicunt et ſcribunt*, (vt tu, praeſtantiſſime diſciplinae Grammatices magiſter,) *neque Grammaticam aliquam, neque Vocabularium hactenus viderunt.* — *Accuratiori linguae cognitione* (quam BASEDOVIVS habet,) *opus non habet, niſi qui velit olim in Academiis literas latinas publice docere. Nam alii aut publice non dicent, et ſcribent, aut, ſi facultate dicendi non polleant, ſcripta ſua Rectori ſcholae, vel Profeſſori perſpicienda et emendanda tradant. Quodſi autem in vita communi dicendum, ſcribendumue quid habeant, et in eo haud ſaepius PECCENT, quam SACERDOTVM* (his non magnopere videris fauere;) *dimidius numerus in orationibus ſuis ſacris: cur eos propter haec vitia LEVIORA ad dupondios ſtatim abire iubeamus? praeſertim cum ii, ſi RATIONE MEA* (tua vero? quam celeriter latinitas barbara reditura eſſet!) *inſtituti et exercitati* (ſ. legendum *corrupti*) *ſint, etiamſi LEVIORA vitia committant, quantum ad vſum neceſſarium requiritur, in legendo, dicendo et ſcribendo magis SVI ſint*, (quid hoc rei eſt, *in ſcribendo ſui eſſe?*) *quam plerique Criticaſtri, ſyllabarum Cenſores, et Phraſium Conquiſitores anxii*, (igitur tu, BASEDOVI, etiam facetus es? tu? qui es Ἰαλέμῳ ψυχρότερος) *quorum elegantiae MISERAE et EMENDICATAE* (vt tu XV. millia Imperialium *emendicaſti*,) *in ſcriptis ſcholaſticis proſtant.* — *In fine de recto vſu capitis huius inſuper adiiciam.* Bene facies! Nam, praeter te, nemo, cui ſanum eſt ſinciput, vel hariolando aſſequatur, cui bono chartam mundam hoc capite commacularis. Age autem, videamus, quibusdam ſpeciminibus exhibitis, quem vſum praeſtet hoc caput, omnisque omnino inſtitutio Grammatices *Baſedouiana?* Multi Grammatici anxie laborarunt in definiendis, et ſub vnam veluti claſſem redigendis

gendis Nominibus 3 Declin. quae in Genitiu. Plur. *um*, quae *ium* habeant. Sed temere laborarunt, nec quidquam viderunt. Omnem iſtam rem paullo impeditiorem philoſophicum BASEDOVII acumen facillime tribus verbis extricat, *Nomina multa*, inquientis, *tertiae Declinationis* in Genitiuo Plurali habent *ium* pro *um*. Nunc demum ſcis, quae *um*, quae *ium* habeant. In tradenda ratione, qua *Genus Subſtantiuorum* a pueris etiam cognoſci poſſit, plane mirificus artifex eſt. *Genus Subſtantiuorum*, inquit, *vſus docebit*. Quot autem ſunt, quos *vſus* id docebit? te certe, BASEDOVI, non docuit. Iippe qui, vti ipſe prae te ferre ſoles, a viginti inde annis nihil latinorum auctorum veterum legeris. Pergit male ſedulus Grammaticaſter: *Cui regulae placent*, (tuae quidem, crede mihi, nemini placebunt;) *is teneat has* etc. Quo facto, ſubiungit quasdam regulas tam mancas, mutilas et imperfectas, vt ne tiro quidem in hoc genere magis ieiunus et macilentus inueniri poſſit, v. c. *Nomina primae et quintae Declinationis OMNIA foeminina ſunt*. Igitur ex hac regula tua *Philanthropiniſtis* tuis recte dicere licet: *Doctor noſter Seraphicus*, BASEDOVIVS, *eſt* mala *Poeta*: item, *hae aeſtates Eteſiae* calidae *fuerunt*: nec non, multae *dies praeterierunt*, *equo* BASEDOVIVS *nihil ſani ſcripſit*. Et quidem hoc iis, ſine omni Grammatices vitio, dicere licebit? cum e tua diſciplina Grammatica Nomina OMNIA I. et V. Declinat. foeminina ſint. Nam quod addis, *Dies tamen etiam maſculine vſurpatur*: id nude et ſimpliciter dictum nauci eſt, et tironem in errorem ducit. Iam, in tradendo recto vſu Pronom. *ſui*, *ſibi*, *ſe*, et *illius*, *illorum* etc. in quo iuuenes ſaepe labi ſolent, quam obſcurus eſt, quam incertus ipſe in ea re fluctuatur! De qua re ita praecipit: *Si ſermo eſt de perſona eadem, quae propoſitionis totius ſubiectum eſt, aut perſona primaria: pro caſibus Pronominis* ille, illa, illud *ponuntur* ſui, ſibi, ſe. — *Nonnunquam ponitur* ipſius, ipſorum. Feciſti probe! Multo

indoctior

indoctior ſum, quam antea. Aliud acuminis ſui etiam grammatici ſpecimen exhibet ſubtilis philoſophaſter in tradenda regula, e qua Verba metuendi *vt*, aut *ne* ſequi debeant, cum ita praecipit: *Vt* negat, ſi propoſitio negans eſt *res obiecta timoris:* ſin autem propoſitio affirmans res obiecta ſit, *ne* affirmat. Folia Sibyllae! En cor Zenodoti, en iecur Cratetis! Quanto ſimplicior, et ad intelligendum facilior aliorum eſt regula haec: *Poſt verba timendi* vt *negatiue ſignificat*, ne *affirmatiue.* Iam, quam obſcurus eſt in hac regula tradenda: *Res obiectae* affectibus aliis, *qui voluntatis efficacitatem non indicant*, quod *coniunguntur.* E. g. *Gaudeo, doleo, miror, quod tam diu hoſtibus reſtiteris.* Igitur ex hac regula tua dicere non licet, *Miror*, BASEDOVIVM, *Grammatices imperitum, tamen huius diſciplinae praecepta dare ſuſtinuiſſe.* Mox, vbi de conſtructione Accuſatiui cum Infinitiuo praecipit, rem exprimit ita: *Tales autem propoſitiones coniunctae, quae res obiectae ſunt talibus affectibus, Coniunctionem interdum amittunt.* Haec profecto *Carminibus Saliorum* obſcuriora ſunt, et ego quidem mihi videor audire vnum aliquem HERACLITVM σκοτεινὸν, aut DVNSIVM SCOTVM. Vide, mi BASEDOVI, quam tibi deſit praecipua et maxima in docendo virtus, *perſpicuitatem* puta, cum ipſe definieris, in quo cernatur: *Perſpicuam dictionem*, aliquo loco inquis, *vocant, quam lector, vel auditor, ad quem loqueris, facile intelligit, quae INVITO TE nihil ambigui habet.* Sed tibi ſanctiſſime confirmare poſſum, Regulas tuas Grammaticas, tantum non omnes, INVITO ME multum ambigui habere. Sed audet etiam BASEDOVIVS, homo nullius in ſcribendo elegantiae, de *dictionibus elegantioribus* praecipere, vbi inter alia et haec: *Rariores Conſtructiones cum Pronominibus* qui, quae, quod, *eiusmodi ſunt: Vrbem, quam ſtatuo, veſtra eſt. Eſt locus, quod Tullianum vocant.* Qui in Graecis, Latinisque Auctoribus legendis paullo diligentius verſatus

tus est, is non multum *raritatis* in his inueniet, et quod alterum illud, *Est locus, quod Tullianum vocant*, attinet, recte, et ex more optimorum scriptorum est dictum, quod te, BASEDOVI, inter alios, multis exemplis congestis docere potest CORTIVS ad Sallust. de B. C. c. 55. Sed non contentus, haec egregia Grammatices praecepta tradidisse, de numero etiam oratorio, aures implente, pro liberalitate sua nobis aliquid impertit. *Latini*, inquit, *prae reliquis student, periodum verbo numeroso claudere*, allato in eam rem hoc etiam exemplo, quod audiatis, qui aures elegantes et teretes habetis: *Hac in re praeter illum, qui mihi opem ferat, noui NEMINEM.* Hoc scilicet est *Periodum verbo numeroso claudere*, si Dactylo, aurem, velocius Euro, praeteruolante, finias.

Confecto hoc Opere Grammatico, docet, quomodo ad VSVM sit transferendum. *In vsu Grammatices huius latinae*, inquit, *hanc rationem sequere. Si discipulus multa iam latine intelligit, loquitur et scribit*, (si hoc potest, macilenta Grammatica tua nunquam opus habebit;) *ei praecepta Grammatica, quae praecedunt Syntaxi, proponere licet.* (Licet autem? Igitur liberum etiam est, velis id facere, nec ne. Cui bono igitur hanc Grammaticam tuam macilentam scripsisti, si hoc non necessarium est?) *Haec autem saepius iteranda sunt* (nempe ob insignem praestantiam et nouitatem). *Nihil autem more seruili, siue SCHOLASTICO* (quid ais, os impudens?) *verbo tenus ediscendum est.* Scilicet, ne praecipuas quidem Regulas Grammaticas, quamuis necessarias ad intelligendum, et scribendum, hic nouellus Grammaticaster ediscendas esse Dictatorio imperio pronunciat. Neque id mirum, cum in eodem praeclaro Grammatices opere suo ne vocabula quidem ediscere velit, *ne* scilicet *memoriae vis iudicii vim debilitet, sensimque penitus frangat*, vt aliquo loco acute obseruat. Quid *igitur vult fieri?* Audies.

Pla-

Plagulas, inquit, *quatuor*, ſex, octo e CELLARII *libro memoriali paedagogus praelegat*, (nempe diſcipulo ſuo, qui *iam multa latine intelligit, loquitur et ſcribit*,) *ita, vt totus liber ter, vel pluries ſucceſſu temporis pertractetur.* Sed per *Franciſculum* illum tuum te, BASEDOVI, rogo, an ita εὐηθὴς ſis, vt credas, poſſe aliquem ingenii etiam non obtuſi puerum ſibi copiam vocabulorum latinorum, ad *intelligendum*, *loquendum* et *ſcribendum* maxime neceſſariam comparare, ſi ſubinde *quatuor*, *ſex*, *octo plagulas* a Paedagogo praelegi audiat? Et quid tandem attinet, puero, qui iam *multa latine intelligit*, *loquitur* et *ſcribit*, tot plagulas praelegi, cum tuus quidem diſcipulus, ad novellam diſciplinam tuam inſtitutus, iam *innumera vocabula in memoria*, veluti in promo condo, recondita habeat neceſſe ſit? Tu ipſe aliquo loco exercitationem memoriae, vocabulis et regulis ediſcendis, perquam ſapienter *carnificinam* vocas, valde abhorrens a iudicio QVINCTILIANI, (quem vtinam legiſſes! certe tacuiſſes;) qui (Lib. XI. 2.) ita pronunciat: *Omnis diſciplina memoria conſtat.* Et tamen hic homo hac nouella inſtitutione ſua Grammatica, quamquam non aliis, ſibi tamen ipſi mirifice placet. *Haec inſtitutio grammaticalis*, inquit, *vix vnum SEMESTRE poſtulat, ſi QVOTIDIE HORAS QVATVOR DVNTAXAT tradendis praeceptis Grammatices impendas.* Igitur *quatuor duntaxat horas* his ſterilibus Grammatices (iuuentuti heu! nimis amarae,) praeceptiunculis excruciari, eiusque ingenia obteri, et faſtidium omnium bonarum literarum capere eam iubes? Nam, quod ego, per multos annos ipſo rerum vſu edoctus, cognoui, non facilius iuuentus a bonis literis abſterretur, quam nimia, taediique plena, Grammatices diſciplina, eiusque Regulis ſterilibus, ſpinoſisque ſaepe praeceptiunculis tradendis, ſaepe etiam verborum tonitru, verberumque pondere a plagoſo aliquo Orbilio inculcari ſolitis; qua quidem re efficitur, *vt*, quod QVINCTILIA-

CTILIANVS veriſſime dicit, *pueri literas prius odiſſe incipiant, quam cognouerint.* Quodſi hoc diſciplinae more Alumnis iniungerem, *Quotidie duntaxat quatuor horas* ſterilia Grammatices praecepta diſcenda, aut ſex, octo plagulas e CELLARIO quotidie iis praelegendas eſſe: ad hanc vocem toto corpore cohorreſcerent, docenti Grammaticam auribus pandiculantibus, horamque anxie expectantibus aſſiderent, et ex hac ſchola Electorali, veluti implumes e nidulo, in Academiam volarent. Quanta carnificina! *quotidie quatuor duntaxat horas* macerantis Grammatices Regulis excruciari. Et tamen hic Grammaticaſter noſter, his miſerabilibus Grammatices praeceptiunculis datis, veluti re feliciſſima geſta, ouans, triumphansque ſub finem huius Operis ſui, in *Phidiae* officina elaborati, ita exclamat: *O! quantum hactenus publici, priuatique paedagogi ab illa PRAESTANTIA METHODI NATVRALIS abeuerarunt! quamdiu GENVS HVMANVM hac ineluctabili MISERIA fuit oppreſſum! Quousque eam feremus?* Audin' tu illum magnum Goliathum, inſolenter, impudenterque omnibus ſcholarum magiſtris inſultantem? *Quousque te, βεκκεσέλην, feremus?* Sed mirari profecto ſubit, BASEDOVIVM velle pueros tot horas quotidie in Grammatices latinae praeceptis, veluti in piſtrino aliquo, exerceri et macerari, qui *abſonum* putat, aliquem ſcribere aliquid latine. Nam diſertis verbis aliquo loco ita: *Niſi cauſſa peculiaris adſit: ABSONVM exiſtimo, linguam peregrinam, vel emortuam* (atque adeo latina) *quid ſcribere.* Quare igitur tu, BASEDOVI, per *Mangelsdorffium* tuum hunc vaſtae molis librum tuum in latinam linguam ſaepe perquam miſerabiliter transferendum curaſti? Peculiaris cauſſa, inquis, adfuit. Audio. Nempe *communis generis humani ſalus:* quamquam ſunt, forte mali homines, qui ſuſpicentur, veram et vnam cauſſam fuiſſe *auri ſacram famem*, inhoneſtamque cupidinem, fortunatos aere emungendi. Quod ad me attinet,

tinet, nihil definio. Aeque improbat hic Vir, alta quadam, et diuina mente praeditus, *orationes publicas* in ſcholis publicis *haberi*. *Orationes publicas haberi*, inquit, *admodum improbo — hae nihil proſunt, quam ad perdendum tempus.* Vae igitur vobis! ſcholarum magiſtris, qui ſtudetis, iuuentutem orationibus publicis habendis contineri. Nam ſapientia BASEDOVII hoc *admodum improbat*: et, quoniam Philoſophi eſt, rationem reddere, eam et addidit, quia *nihil proſunt, quam ad perdendum tempus.* En tibi mirabile caput, et philoſophicum, et grammaticum! Sed hic videor mihi vnum et item alterum lectorum ita in aurem inſuſurrare: *Ohe! ineptiarum ſatis eſt: deſine tandem, nec nos diutius obtundas et eneces.* Audiam: ſi vnum tantum addidero. Scilicet eo loco, vbi Grammaticaſter noſter de ordine verborum, e more Latino collocandorum, ieiune aliquid praecipere audet, Latinorum ordinem magis naturalem eſſe pronunciat, quam Germanorum, Gallorum. Quod quale ſit, vel hoc vno exemplo cognoſces. *Ordo latinorum*, inquit, panem praebe mihi, *multo magis cum ſenſu naturali congruit, quam Germanorum, aut Gallorum, qui dicunt*: praebe mihi panem. Sentin' tu, lector, venuſtatem in latinis? Equidem hic, ad omnem venuſtatis ſenſum durior, obtuſior ſum, quam qui quid ſentiam. Quam egregium venuſtatis guſtum nobis BASEDOVIVS tradit! cuius Philoſophi ingenium ſubtile vel ad minima ſeſe demittit. Quidni etiam *Aeſthetica* aliqua Orbem literatum beas, BASEDOVI, qui in hoc *Opere Elementari* nouum aliquem, neſcio quem, librum nobis minatus ſis, ſed non, niſi poſt X. annos, more Elephantorum, enitendum: quas minas tuas aequiores Muſae, et Apollo ἀλεξίπακος vanas, irritasque eſſe iubeant, ſinceriſſime precamur.

Cum autem hoc Opus tuum Elementare ſcriptum ſit ad iuuentutem inſtituendam: liceat mihi ex te, BASE-

DOVI,

DOVI, quaerere, quare non aeque graecae linguae praecepta dederis ac latinae? *Quia*, inquies, *graecam linguam non intelligo, in eaque plane infans fum.* Credo tibi, non iurato. Nam huius ignorantiae pueriles et pudendae illustrissima documenta dedisti in interpretatione, siue potius malitiosa et impia depravatione multorum N. T. locorum in detestando isto libro tuo, Vermächtniſſe für Gewiſſen, cuius rei vel vnum adduxisse sufficiat. Illa Matthaei 25, 41. reddidit: Sö werden dieſe in die ãoniſche Pein gehen, die Gerechten aber in das ãoniſche Leben. Tuam fidem! Lector, vnquamne legisti, hominem aliquem, qui humane et cogitat, et loquitur, tam insulse e graeca lingua aliquid transtulisse? Quare autem tu, cum literarum graecarum ignarissimus sis, tam audax esse potuisti, vt de instituenda iuuentute praeciperes, cum vna omnium, et consentiens vere eruditorum vox sit, neminem ad accuratam eruditionem sine literarum graecarum cognitione adspirare, neque viri docti nomen sine lectione auctorum Graecorum, qui omnis sapientiae humanae, prudentiaeque ciuilis magistri habentur, iure obtinere, tuerique posse? Sed hanc de graecarum literarum discendarum necessitate praeceptionem *Baſedomanae* doctrinae anguſtiae non capiunt. Praestat igitur, de hac re tacere, quam multa verba perdere. Illud autem facere non possumus, quin sub finem addamus. Scilicet BASEDOVIVS cum de noua disciplina sua velit pueros docere, quomodo, sine vllius Grammatices vsu, latine loqui discant, et hinc inde iactitet, se hac nouella ratione (Methode dicunt, quod vocabulum aetate nostra haud temere in contemptum fere abiit,) effeciſſe, vt multi latine loquendi facultatem, sine vllo Grammatices vsu, consequerentur, cuius rei specimina luculentissima spectatione publica in celebrato illo *Philantropino* nuper instituta ab aliquo ludi magistro in pago NEVVIDA, prope quadragenario, edita esse impense laetatur: age, specimininibus quibusdam, ex

hoc *Opere Elementari* hinc inde collectis, oſtendamus, quae iſta ſit latinitas, quae in illo *Philantropino* docetur, et quam pure et eleganter magiſtri, iniqua mercedula quadam (nam malignitas *Baſedouiana* non magnam dare dicitur,) in illo conducti, loquantur, cum MANGELSDORFFIVS, intrerpres latinus huius Operis Elementaris, quem audiui plus latine ſcire, quam BASEDOVIVS vnquam didicerit, aut diſciturus ſit, ſaepe tam *barbare*, et contra Regulas Grammatices tam vitioſe ſcribat, vt, ſi in Illuſtri Moldano noſtro III. Claſſis Alumnus tale quid commiſerit, vix effugiturus ſit, quin horum vitiorum contra linguae puritatem, Regulasque Grammatices poenam *ſubtracto cibo et potu* luat. Harum deliciarum ſiluulam aliquam congeſtam, tanquam fercula in menſis ſecundis, apponere iuuat. Ipſe nempe MANGELSDORFFIVS in praefatione, ab ipſius ingenio profecta, contendit, oportere pueros mature adſuefieri latine loquendo, et prius, quam Grammatices elementa Regulasque perceperint, idque fieri poſſe, duobus IO MATTH. GESNERI libris confirmat. Sed heus tu! bone Vir, et hic meminiſſe illud πολυθρύλλητον debebas: *Quod licet Ioui, non licet* — Noſti caetera. Iam, quam puram latinitatem pueri ab his magiſtris, barbariei reducendae perquam idoneis, diſcituri ſint, exemplo huius ipſius magiſtri, interpretis latini huius *Operis Elementaris*, cognoſcamus. Cuius rei faciamus tres veluti claſſes, quarum *prima* contineat voces *barbaras*, nec, niſi apud malos Latinitatis Auctores inuenien-das, aut longe alio, quam apud probatos ſcriptores, ſignificatu vſurpatas: *altera, vitia*, contra notiſſimas Grammatices Regulas commiſſa: *tertia* denique *integras loquendi formulas*, a puritate et conſuetudine bonorum Auctorum abhorrentes.

I) Ars *paedagogiana*. *Excruciatio*. *Laborioſita* Signum *addicatiuum* et *abdicatiuum*. Ordo *claſſificu*. Scri-

Scribere literas *legibiles*. *Subſequentia*. Genus dicendi *argumentoſum*. Dictionum *commenſuratio*. Rerum *ſcientiae*. Sed apud auctores probae latinitatis non niſi vna *ſcientia* eſt. II) *Pronus* eſt *detrahere*. *Ad* preces inſtituendas nimis *imperiti* eſtis. *Leſtituros fore*. *Fore cognituros*. In quibus duplex eſt vitium Grammaticum. *Quam primum* pro *cum primum*. Certi et *perſuaſi* de iis fierent. *Quamuis procreamur*. *Eo* profecit, pro *tantum*. Multi ſunt, qui *ignorant*, pro *ignorent*. Eſt, *qui* te conuentum *vult*, pro *velit*. III) *Bonam aeſtimationem ſibi conciliare*. *Praecauete*, ne infantes iudicent, *quid de vobis dediſcendum ſit*. *Per intenta* in ſe *muccinia agitur*. *Animum in pias cogitationes inducere*. *Definit animus exturbari*. *Ad preces diuergere*. *Sine deteſtatione ſui credere etc.*

Hos floſculos, quorum innumeri alii ſunt, et amoenitate, et diuerſitate perquam amabiles, ex hoc *Baſedoviano* Opere colligere placuit, vt elegantes huius rei iudices cognoſcant, quam miſerabilis, et quae Latinitas ſemibarbara, cui pueri mature adſuefiunt, in *Philantropino* obtineat, et quantopere verendum ſit, ne barbaries, ante haec tria fere ſecula depulſa, BASEDOVIO Anteſignano, fidisque eius ſequacibus, infauſtis auibus redux peſtifera contagione ſua multos tactos corrumpat.

Caeterum, qui me, moresque meos norunt, facile mihi fidem habebunt, ſi confirmo, me haec omnia non eo conſilio ſcripſiſſe, vt BASEDOVIVM, quem nunquam vidi, neque adeo ſcio, ater, albusue ſit, (*nigrum* autem eſſe audiui,) vt eum, igitur, explodendum, aliisque deridendum propinarem, famaeque illius, ſiue ſolidae, ſiue vanae ruinis meam veluti ſuperſtruere vellem: ſed hoc, vt et alii ex his ſpeciminibus iſtud iactatum *Opus Elementare* cognoſcant, neque titulo huius libri, multum minante, ſed multum fallente, imponi ſibi patiantur, atque adeo

credant, eximii quid, et hucusque a nemine inuenti et traditi contineri. Nam, vti in vniuersum huius Viri ratio iuuentutis educandae et instituendae fastidii plena, multisque difficultatibus implicita est: ita bona fide confirmare possum, me nihil in hoc magnae molis libro inuenisse, quod non dudum in multis aliis libris melius, dilucidius et accuratius traditum inueniatur. Hoc cum dicimus, non ita intellectum volumus, quasi hinc inde hic liber non aliquid boni contineat; hoc neque in oratione nostra ponimus, neque in cuiusquam suspicione relinqui volumus. Nam, vt ille Historiae Naturalis Conditor ait, *nullus liber tam malus est, vt non aliqua ex parte profit.* Sed hoc nobis volumus, quidquid boni in hoc libro hinc inde occurrat, id in multis aliis iam dudum plenius, accuratiusque traditum esse, adeo vt BASEDOVIVS hoc labore supersedere, Respublica literaria autem eius *Opera Elementari* facillime carere potuisset.

P. P. in illustri Moldano Ipsis Calend. Septembr. A. R. S. CIↃIↃCCLXXVI.

XX.

PROLVSIO DE RATIONE NOVI TESTAMENTI E MORIBVS ANTIQVIS ILLVSTRANDI MINVS CAVTE INSTITVTA.

In iis adiumentis, quibus instructus, ornatusque esse debet, qui partes Interpretis librorum sacrorum, quorum corpus Noui Testamenti nomine insignire solemus, suscipere, susceptasque rite agere velit, posuerim et hoc, quod nobis suppeditat rituum, morumque antiquorum cognitio, atque ea non e turbis Compendiorum riuulis hausta, sed ex ipsis monimentorum veterum fontibus limpidissimis ducta. Nam, qui hos libros sacros non oscitanter, sed cum aliqua animi aduersione legerit: saepe animaduerterit necesse est, saepe eos vel singulis verbis, vel integris loquendi formulis alludere ad vnum aliquem ritum, moremque Antiquorum, in cuius ignoratione si verseris, ne hariolando quidem assequare, quid diuinus scriptor sibi voluerit, quidue instituerit docere. Itaque viri docti, qui ab eo inde tempore, quo, ignorantiae, barbarieique tenebris discussis, bonis literis sua lux, sua veluti vita reddita est, ingenium, studiumque suum ad Nouum Testamentum non sine variae doctrinae copia illustrandum contulerunt, vti est, ita consultum putarunt, multis locis paullo obscurioribus e Veterum ritibus, moribusque, a nostris abhorrentibus, atque adeo a plerorumque intelligentia remotis,

motis, ex Antiquitate feliciter eruendis, lucem affundere. Et ſane, hac etiam Noui Teſtamenti illuſtrandi ratione CASAVBONI, GROTII, eorumque ſimiles multum laudis reportarunt: quorum veſtigia ſi ii tantum, quorum in hoc etiam literarum genere notio eſt, fuiſſent ſecuti: eſſet ſane, quod et hoc nomine cum Noui Teſtamenti interpretatione hinc inde praeclare actum putaremus. Cum autem multi, qui neque ingenio ſunt, neque doctrina cum magnis illis Viris comparandi, vel ſpe eiusdem laudis ex ea re reportandae allecti, vel cupiditate doctrinae ſuae paullo reconditioris venditandae commoti, eandem rem ſuſcipere auſi ſint: fieri non potuit, quin hoc illuſtrandi ſtudium ſaepe iis male cederet, Lectoresque non ſatis cautos, et in iudicando minus curioſos induceret in errores. Omnino haec Noui Teſtamenti e moribus antiquis illuſtrandi ratio vti multas, atque eas perquam blandas illecebras, et veluti lenocinia, vel ſubtilitatis ingenii, vel lectionis diffuſae oſtentandae, habet: ita magnam diligentiam, et cautionem requirit. Quod et res ipſa docet, et exempla multorum Virorum, quibus quidem verae eruditionis laus non deneganda, haec autem diligentia et accuratio non ſemper concedenda eſt, luculentiſſime confirmant. De qua quidem re, ad legendum, vti ſperamus, neque iniucunda, neque ad cognoſcendum plane inutili, ſollemnitate huius temporis, quo memoria illuſtris Moldani noſtri, ante hos CCXXVII. annos diuinis auſpiciis aperti et conſtituti, grata, piaque mente renouanda et celebranda eſt, breuibus exponere iuuat, atque exemplis quibusdam docere, Viros etiam doctiſſimos in ratione Noui Teſtamenti ex antiquis moribus illuſtrandi, minus caute inſtituta, ſaepe humanitus fuiſſe lapſos. In qua re verſabimur ita, vt horum Virorum errores non exagitemus, et explodamus, (hoc enim puſilli et maligni animi eſſet:) ſed eos aliis eorum multis, atque egregiis

in

in Rempublicam literariam meritis liberaliter condonemus, ſacrarumque literarum ſtudioſos hac occaſione doceamus, quam conſiderate, quam caute in hac re ſit verſandum.

Matth. VI, 9. ſqq. Optimus Seruator in praeſtantiſſima illa precandi formula, optimaque omnium precum diſciplina, inter alia nos precari iubet: *τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον.* In quo loco Viri docti, ob vocem *ἐπιούσιος*, quam ABR. SCVLTETVS, neſcio quam vere, *Theologorum et Grammaticorum carnificinam* vocat, mire deſudarunt, et in hanc rem tam copioſe diſputarunt, vt, multa non dicta eſſe, praeſtaret. Sed dixerunt tamen, non vt aliquid dicerent, ſed ne tacuiſſe viderentur. IO. CLERICVS, Vir magnae ſane, atque variae doctrinae, qui, vbi errat, cum ingenio praeclaro errat, is, igitur, CLERICVS hunc locum optime ex more veterum Romanorum poſſe illuſtrari ſibi perſuadet, qui cum in Arte Critica T. I. P. I. c. 1. tum in Notis ad Hammondum h. l. de hac re ita: *In celebri illa Dominicae Orationis petitione:* panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, *alludit Chriſtus ad morem eorum, qui pauperes alunt, praebitis quotidie in vnum diem alimentis,* allegato in eam rem loco VOPISCI in AVRELIANO c. 35. T. II. Scriptt. Hiſtor. Aug. pag. 502. Edit. Hackianae. CLERICVM praeter alios HENR. MAIVS in Obſeruatt. Sacr. P. III. p. 6. bona fide ſequitur. Et videtur ſane iſte mos huic MATTHAEI loco inſignem lucem affundere. Nam negandum non eſt, hunc morem imperatorum Romanorum temporibus obtinuiſſe. De quo, vt diſciplinae noſtrae Alumnis, omninoque harum literarum ſtudioſis aliquid operae nauemus, paucis exponamus. Scilicet Imperatoribus Romanis, e veterum monimentis edoeti ſcimus, moris fuiſſe hoc, vt vel ad auram popularem captandam, vel ad occurrendum turbis inteſtinis, ſaepe ex inopia victus con-

citatis, populo cum alia vitae tuendae adiumenta munifice ſuppeditanda, tum panes quotidie erogandos curarent. Cuius quidem liberalitatis, panes erogandi, origo haud dubie ad AVRELIANVM eſt referenda. Viri enim docti, qui huius munificentiae auctorem edunt TRAIANVM, humanitus errant, decepti quippe loco quodam IVVENALIS, minus recte intellecto, quos errantes SALMASIVS, ὁ πάνυ, loco mox citando in viam reduxit. Neque vllum apud Veteres veſtigium panis, quotidie ab vllo Imperatorum diſtributi, ante AVRELIANI tempora deprehendimus, atque adeo hic huius munificentiae auctor et princeps eſt habendus. In quam rem illuſtris VOPISCI in AVRELIANO locus eſt, paullo ante citatus, CLERICO etiam laudatus: *Memoria tenet publica, et fides hiſtorica frequentauit: Aurelianum eo tempore, quo proficiſcebatur ad bellum Orientale, bilibres coronas populo promiſiſſe, ſi victor rediret: et quum populus aureas ſperaret, neque Aurelianus aut poſſet, aut vellet, coronas eum feciſſe de panibus, qui nunc ſiliginei vocantur, et ſingulis quibusque donaſſe, ita, vt SILIGINEVM SVVM QVOTIDIE toto aeuo ſuo et vnusquisque reciperet, et poſteris ſuis dimitteret.* Hi panes quotidiani graece ἄρτοι ἡμερήσιοι, et, quoniam vnusquisque e populo ad finem vitae vsque accipiebat, διαιωνίζοντες, nec non *gradiles* dicebantur, quia, vt SALMASIVS, ὁ θαυμάσιος, coniectura perquam commendabili ductus putat, de *gradibus*, in foro conſtitutis et erectis, hi panes erogabantur. Conſule ad h. l. SALMASII Commentarium, quem in Scriptores Hiſtor. Aug. ſcriptum vere dixeris omnium graecarum, latinarumque literarum Prytaneum. Et hunc morem, panes quotidie gratuito erogandi, ab AVRELIANO introductum, eius ſucceſſores retinuiſſe, vel e Lege IV. Cod. Theodoſ. *de annona ciuica, et pane gradili* Tom. V. p. m. 241. ſqq. intelligitur, ad quam Legem IAC. GOTHO-

GOTHOFREDVS, Phoenix ille doctorum Iuris Consultorum, *πάντα περὶ πάντων* de hac re dedit. Maneat igitur huius moris, *panis quotidiani* gratuito erogati, auctor AVRELIANVS. In quo quidem a priorum Imperatorum Romanorum more paullulum receſſit. Nam populus ſuſtentabatur ille quidem eorum munificentia; non autem panibus, *quotidie* gratuito erogatis, ſed frumento tantum diſtributo: vnde frequentes ſunt in Auctoribus illorum temporum *teſſerae frumentariae.* Scilicet ab Auguſti inde temporibus populus annonam gratuitam accipiebat: et initio quidem *menſtruam* tantum, et in frumento. Auctor eius rei eſt DIONYSIVS HALICARNASSEVS Lib. IV. p. 228. Edit. Sylb. vbi tradit, quosdam ſeruos eo etiam nomine manumitti, *ἵνα τὸν δημοσίως διδόμενον σῖτον λαμβάνοντες* KATA MHNA, *καὶ εἴ τις ἄλλη παρὰ τῶν ἡγεμένων γίγνοιτο τοῖς ἐπόροις τῶν πολιτῶν φιλανθρωπία, φέρωσι τοῖς δεδωκόσι τὴν ἐλευθερίαν* *Vt acceptum frumentum MENSTRVVM, et ſi qua alia liberalitas egenis ciuibus a Principibus exhibetur, dent his, a quibus ſunt manumiſſi.* Auguſtus quidem hanc *menſtruam* annonam abrogare voluit, ſed deſiderio populi commotus conſilium mutavit. SVETONIVS in Auguſto c. 40. *Ne plebs frumentationum cauſa frequentius a negotiis vocaretur: TER in annum, quaternum menſium teſſeras dare inſtituit: ſed deſideranti veterem conſuetudinem conceſſit rurſus, vt ſui cuiusque menſis acciperet.* Quid igitur? cum auctore VOPISCO oſtenderimus, morem ſub Imperatoribus obtinuiſſe hunc, vt populo panis *quotidie* gratuito erogaretur, poteſtne ex hoc more, ex hac extraordinaria Imperatorum liberalitate haec Domini noſtri petitio, *panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, illuſtrari? Immo vero, nihil minus. Qui vero ſic? Quia temporibus Optimi Seruatoris noſtri de hoc more Romae ne auditum quidem aliquid fuerat, et nemo de eo vel ſomniando cogita-

cogitauerat. Et tamen Chriſtum illa petitione ad hunc morem alluſiſſe credamus? Quiduis potius mihi perſuaderi patiar, quam vt hoc credam. Sed dudum eſt, cum CLERICVS huius erroris ſui humani plus poenarum, quam pro humanitatis ratione, dedit P. BVRMANNO, capitali eius, et ἀσπόνδῳ aduerſario, in Praefat. ad PETRONIVM. Neque ſane, vt ingenue fatear, opus erat, de vllo Veterum more hic cogitare, cum verba τὸν ἄρτον τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον ſine eius ope commode explicari poſſint, neque vocis, ἅπαξ λεγομένης, ἐπιούσιος, tanta difficultas aut obſcuritas ſit, quin rei praeſenti conuenienter interpretationis luce illuſtrari poſſit. De qua re nobis alio et loco, et tempore forte commodior diſputandi occaſio erit.

Si quis primum ad locum Matthaei C. VIII, v. 11. ſqq. πολλοὶ ἀνακλιθήσονται μετὰ Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν. Οἱ δὲ υἱοὶ τῆς βασιλείας ἐκβληθήσονται εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον κ. τ. λ. legendum, vſus loquendi S. S. non plane ignarus, praeceptarumque opinionum veluti vinculis non impeditus, acceſſerit, facile intelliget, horum translatorum verborum ſenſum eſſe hunc: *Gentilium multos, doctrinam Euangelii prompto, fidelique animo amplexos, ſummae illius in altera illa vita felicitatis participes eſſe futuros: Iudaeos contra, quibus inprimis haec felicitas deſtinata eſſet, ob impiam ſuam in reiicienda doctrina Euangelica contumaciam, in miſeriam, atque eam extremam detruſum iri.* Nam nemo, niſi plane hoſpes et peregrinus in N. T. libris legendis, ignorat, *vna cum Abrahamo, Iſaaco et Iacobo in conuiuio accumbere menſae*, nihil aliud eſſe, quam *eadem beatitudine in aeterna illa vita frui, qua illi Patriarchae fruuntur.* Siue enim per βασιλείαν τῶν οὐρανῶν *regnum gratiae*, ſiue *regnum gloriae* intelligas: ſenſus eodem redit, cum *regnum gloriae* ſit conſequens *regni gratiae:* quamquam praeſtat interpretari de *regno gloriae*,

gloriae, cum ſermo ſit de re adhuc futura. Haec cum in dubitationem neque adduci, neque diſputando contra vanitatis conuinci poſſint: quis neget, e lege oppoſitionis per τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον nihil aliud neque poſſe, neque debere intelligi, quam *miſeriam, perniciem, ATQVE EAM extremam ſ. ſummam?* Nam haec vis eſt in repetito Articulo TO σκότος TO ἐξώτερον, ad quam Viri docti non ſemper videntur attendiſſe. Neque habebat ſane FRANKIVS, a b. WOLFIO ad h. l. citatus, quare reprehenſa magni LVTHERI noſtri interpretatione germanica, *Die Kinder des Reichs werden ausgeſtoſſen in die Finſterniſs hinaus*, ita potius reddi debuiſſe cenſeret, vt τὸ ἐξώτερον verteretur, *welches das äuſſerſte iſt.* Sed poterat bonus Vir hac nota ſua Cenſoria ſuperſedere, qui ignorauit, quid repetitio Articuli valeat, quamque grauitatem orationi addat. Iuuat in tironum, et quibus opus eſt, gratiam ex innumeris vel duo exempla addere. Verba Matth. V, 19. Ὃς ἐὰν λύσῃ μίαν TΩN ἐντολῶν τούτων TΩN ἐλαχίστων reddenda ſunt: *Si quis violauerit vnum horum praeceptorum, et EORVM QVIDEM minimorum, Wenn jemand eines dieſer Gebote, und zwar auch nur der allerkleinſten übertritt.* Ioh. III, 16. Οὕτω ἠγάπησεν ὁ Θεὸς τὸν κόσμον, ὥστε TON υἱὸν αὐτοῦ, TON μονογενῆ ἔδωκεν, quod reddendum, *vt filium ſuum, et EVM QVIDEM VNIGENITVM daret,* in quibus ſane δεινότης, et magna orationis grauitas eſt. Nam profecto immenſi, et vix vlla mente comprehendendi amoris documentum eſt, pro aliis tradere in mortem filium ſuum: multo maius autem documentum eſt, quod vnumquemque in admirationem, quin ſtuporem adeo rapiat, ſi audierimus, aliquem filium ſuum, atque eum *vnigenitum* pro aliis in mortem tradidiſſe. Vnde, quae magnitudo amoris Patris coeleſtis erga homines ſit, intelligi poteſt. Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ. Redeamus igitur

tur in viam. Scilicet vti φῶς in sacris literis omne *felicitatis* genus indicat: ita σκότος denotat omnigenam miseriam, ita vt per τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, vti alibi, ita et in hoc Matthaei loco nihil aliud intelligendum sit, quam *status infelicissimus in inferno*, longissime remotus et diuersus a *coelesti illo gaudio*, s. *summa in aeterna vita felicitate*, per conuiuii imaginem h. l. adumbrata. Et haec quidem est simpliciſſima, atque ea ex vsu loquendi S. S., certissimo interpretandi adiumento, et nunquam fallaci, ducta huius loci interpretatio, in qua plerique fere omnes acquiescere se posse existimarunt. Sed fuerunt quidam docti, qui ad hunc locum illustrandum aliquid eruditionis interioris afferre, et e variae doctrinae apparatu notitiam suam morum antiquorum ostentare vellent. Nam CLERICVS v. c. in Arte Critica T. I. P. I. c. I. vbi de moribus, seu consuetudinibus Veterum exponit, quarum ignorantia faciat, vt multa loca minus recte intelligamus, ita: *Theologi multum desudarunt ad inueniendam rationem, ob quam Christus Matth. VIII, 12. poenas malorum σκότος ἐξώτερον*, tenebras externas, *vocat. Opiniones non referam, ne breuitate instituta excedam, sed vno verbo indicabo, quid sit. Nempe, sermo est de coena, quae cum nocte sumeretur, vt nunc: nemo poterat coena excludi, quin esset* in tenebris. Et hoc quidem more antiquo inuestigato, et, vt putat, feliciter inuento, non CLERICVS solum mirifice sibi placet, adeo vt eum in Adnotatt. ad HAMMONDVM iterum iactitet; sed alios etiam in sententiam pertraxit suam. Idem CLERICVS, cum cognouisset, P. BVRMANNVM in Praefat. ad PETRONIVM de hoc more valde dubitare, et requirere, vt eius rei luculenta veterum testimonia afferantur, hunc morem contra Burmannianam dubitationem instituit confirmare in *Bibliotheca Selecta* T. XIX. p. 422. sq. Sed, si quid video, et hic non multum praestitit, satisque habuit, pro sententia sua allegare

FVLV.

FVLV. VRSINVM in Append. ad CIACCONIVM de triclinio, et LIPSIVM ad TACITI Annales, Excurſ. ad Lib. XIV. c. 2. quorum vterque, a nobis in hanc rem conſultus, nihil aliud docuit, quam quod nos ipſi liberaliter concedimus. WOLFIVS, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, in *Cur. Philol. Critic.* ad h. l. ſcribit, hanc CLERICI ſententiam pluribus ornaſſe ADAMI in *Obſeruatt. Theologico-Philologicis* p. 128. ſqq. et AMELIVM in *Dilucidatt. obſcuriſſimorum et difficillimorum S. S. locorum* P. II. p. 66. Cum hi libri mihi ad manus eſſent, cupide vtrumque conſului, ſpei plenus, me hunc *morem antiquum* iactatum luculentis Veterum teſtimoniis confirmatum eſſe inuenturum. Sed, vt de prouerbio dicitur, *carbones pro theſauro.* Nam bona fide confirmare poſſum, me ſpe mea eſſe eluſum. Et ADAMI quidem multa veterum cum Graecorum, tum Latinorum loca, acerbiſſimas per Lexica exactiones exercendo, et Indicum opem ſollicite efflagitando, vndique corraſa congeſſit, quae ad hunc morem probandum nihil faciunt. Neque aliud de AMELIO dicendum, qui nihil fere, quam verba CLERICI, bona fide repetita, attulit. Et ſic ſaepe Lectores aliorum libris, tanquam fidis ſponſoribus, citatis circumueniri ſolent, quibus illi libri ad manus non ſunt, vt eorum conſulendorum copiam habeant. Quicquid huius rei ſit: CLERICVS cum omnibus ſui ſequacibus antiquo iſto more ſuo iactato nihil effecit. Scilicet his Viris doctis non id probandum erat, Veteres ſaepe conuiuia circa veſperam inſtituiſſe, et interdum in multam noctem duxiſſe; (hoc enim etiamnum apud nos, aliosque populos ſaepe fit, adeo vt non mos, Veterum proprius, habendus ſit:) ſed hoc probandum, luculentiſſimisque Veterum teſtimoniis confirmandum erat: I.) *Conuiuia apud Veteres* noctu tantum *agitata, aut ſaltem in multam noctem fuiſſe protracta, ita, vt facibus et lampadibus ſemper opus eſſet.* II.) *Indignos conuiuas conuiuio*

viuio fuiſſe excluſos et electos. III.) *Electis neceſſario in extremis tenebris verſandum fuiſſe, ita, vt eiulatu et ſtridore dentium angerentur.* Sed de his omnibus neque CLERICVS, neque eius ſententiae fautores et ὁμόψηφοι ne cogitarunt quidem, nedum aliquid attulerint, quod fidem facere videatur. Et *primum* quod attinet: in vniverſum contendi nequit, Veteres *noctu tantum* conuiuia agitaſſe. Et Iudaeos quidem, ad quos haud dubie inprimis Seruator Optimus reſpexiſſet, ſi de hoc more cogitaſſet, conuiuia aeque circa meridiem, ac circa veſperam celebrare ſolitos fuiſſe, vel e Luc. XIV, 1. intelligi poteſt, vbi Chriſtus a Phariſaeorum principe quodam *prandio*, atque adeo circa *meridiem* exceptus dicitur. Nam hoc conuiuium ſi circa *veſperam* inſtitutum fuiſſet: nihil ſane cauſae Phariſaeis erat, quod de Sabbato violato male ſentirent. Cf. in hanc rem IO. GOTTLOB. CARPZOVIVM, τὸν μαχαιρίτην, in *Apparatu Hiſtor. Critico* ad GOODWINI MOSEN et AARONEM p. 379. ſq. Neque apud Romanos (ad Graecos enim hic Seruatorem noſtrum reſpexiſſe, ne credibile quidem eſt;) haec conſuetudo obtinuit, vt conuiuia ſemper noctu agitarent. Nam, vti nos hodie, ita illi ſaepe conuiuia *de die* inibant. Conuiuia autem *de die* agitari dicebantur, quae de *meridie* fiebant, hora quinta aut ſexta, h. e. e noſtra horas numerandi ratione hora *vndecima*, aut *duodecima* meridiana, in qua loquendi formula *dies* κατ' ἐξοχήν dicitur pro *meridie*, vt in illo dicto Ciceroniano in homines gulae et ventri deditos, *de die in diem viuere.* Interdum haec conuiuia, a meridie inita, vti et hodie, ita et apud Veteres vsque in multam noctem protrahebantur, quae conuiuia *tempeſtiua* dicta ſunt. Nam conuiuia *intempeſtiua*, vti vulgo in Editt. Minellianis, et huius furſuris aliis legitur, apud Veteres fuerunt nulla, vt dudum SALMASIVS, monſtrum illud eruditionis, docuit ad Scriptt. Hiſtor. Aug. T. II. pag. 631. ſqq. Sed quorſum haec? inquis.

Quor-

Quorsum? nempe vt intelligas, in vniuersum non esse verum, conuiuia apud Veteres *noctu tantum* fuisse agitata, quod necessario statuas, si contendere velis, ad ipsum conuiuiorum morem Christum respexisse. Neque vero ego is sum, qui neget, a Veteribus *noctu* etiam conuiuia fuisse celebrata. Sed idem ille contendo, falsum esse, quod CLERICVS ponit, *noctu* tantum fuisse agitata. Quod ad coenam, circa vesperam institui solitam attinet: homines negotiosi, et in re vel sua, vel publica occupati, duabus vel tribus adeo ante solis occasum horis eam inire solebant, ita, vt, nisi ab hominibus paullo lautioribus, aut luxuriosis agitaretur, facile ipso sole occidente, atque adeo prius, quam facibus, et lampadibus esset opus, posset finiri. Scilicet coenae apud Romanos tributa erat hora aestate *nona*, hieme *decima*, quod inter innumera alia Veterum loca docet hic MARTIALIS Lib. IV. Epigr. 8.

Sexta (hora) *quies lassis, septima finis erit.*
Sufficit in nonam nitidis octaua palaestris,
Imperat exstructos frangere nona toros.

Cf. de coenae apud Romanos tempore pluribus disputantem SALMASIVM ad Script. Histor. Augustae T. II. p. 631. sq. et ad SOLINVM pag. 456. nec non FVLV. VRSINVM in Appendice ad CIACCONIVM de Triclinio pag. 779. sqq. et LIPSIVM loco supra citato. Quemadmodum igitur non nego, conuiuia apud Romanos interdum noctu etiam fuisse agitata: ita longe absum, vt mihi persuadeam, exinde *morem* aliquem extundi posse, ad quem Seruator Optimus respexerit, cum, vti hodie etiam apud nos, ita apud eos saepe etiam circa meridiem conuiuia fuerint acta. Et hoc primum est, quod nos retinet, quo minus CLERICO, eiusque sequacibus subscribere suffragarique possimus. Quod si hoc fundamentum sententiae CLERICI concussum, subru-

tumque fuerit: alterum illud, quod ei ſuperſtructum eſt, nempe ἐκβληθήσονται εἰς τὸ σκότος, τὸ ἐξώτερον, corruat neceſſe eſt. Et ſane, quis vnquam legit, vnum aliquem conuiuam, niſi forte fuerit *muſca* h. e. paraſitus impudens, qui non vocatus conuiuio ſuperuenerat, aut blamoſus, rixoſus, iniurioſus, pugnis expeditus, et ferociter inſolens, e triclinio fuiſſe eiectum, ita, vt neceſſario in tenebris trepidaret, et fletu, ſtridoreque dentium angeretur? Neque conſequens eſt, vt, qui Triclinio excluſus, vel ex eo eiectus eſt, in tenebris verſetur, et fletu, dentiumque ſtridore concutiatur. Nam quis neget, vti apud nos hodie, ita olim apud Veteres conuiuia circa veſperam verno et aeſtiuo etiam tempore inſtituta fuiſſe, e quibus ſi quis eſſet eiectus, num tum etiam in tenebris verſatus fletu, dentiumque ſtridore concuſſus eſt? Quiduis potius, quam hoc, perſuaderi mihi patiar. Vereor igitur, vt AMELIVS l. c. p. 69. dixerit aliquid his verbis: Eiicientur in tenebras exteriores, *extra coenaculum, vbi noctem funalia vincunt, in intimas infernarum ſedium tenebras. Perſiſtit Dominus in eadem metaphora. Cum enim conuiuia noctu potiſſimum celebrarentur, addit: ibi erit fletus et ſtridor dentium, cum electi extra coenaculum verſabantur in tenebris, et in noctis frigore.* Mihi quidem Chriſtus, nulla ratione iſtius moris iactati habita, hac parabola, verbisque translatis nihil aliud dicere voluiſſe videtur, quam quod Matth. XXI, 43. dicit: ἀφῃθήσεται ἀφ' ὑμῶν ἡ βασιλεία τῦ Θεῦ καὶ δοθήσεται ἔθνει ποιῦντι τὰς καρπὰς αὐτῆς· h. e. *Vos Iudaei* contumaces *regno gratiae et gloriae excludemini: Gentiles autem, vocationi obſecuti, vitamque ea dignam agentes, illius participes fient.* Hunc ego veriſſimum huius loci ſenſum, interpretationemque ſimpliciſſimam puto. Iudicent doctiores!

In parabola illa Matth. XXII. de *nuptiali illo conuiuio* a Rege apparato, verba c. 12. ſqq. Ἑταῖρε, πῶς εἰσῆλθες

θες, ὦδε, μὴ ἔχων ἔνδυμα γάμου; et mox: Δήσαντες αὐτῦ πόδας καὶ χεῖρας, ἄρατε αὐτὸν, καὶ ἐκβάλλετε εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον· κ. τ. λ. haec, igitur, verba Lectorem paullo attentiorem retinere, suspensumque et ancipitem reddere, facileque eo perpellere possunt, vt non temere quaerat: *Nonne in suspicionem, culpamque duritiei ille conuiuii Dominus incurrit, et nonne inhumanitatis, iniustitiae, quin immanitatis adeo crimen concepit, qui conuiuam aliquem, atque eum e triuiis vocatum, et in triclinium adductum ea tantum de causa eiici, eiectumque manibus pedibusque vinctum in extremam perniciem detrudi iussit, quod veniisset male amictus?* Nam hic homo, haud dubie de coeli ruina potius, quam de vocatione illa honorifica ad conuiuium nuptiale, atque id regium, tum cogitans, atque adeo domestica veste indutus in via publica deprehensus, quomodo in eo aliquid commisisse dicendus est, quod obiurgatione, nedum poena tam exquisita esset dignum, quod non nitidioribus vestibus ornatus ad conuiuium accessit? Possit quidam aliquis ad hunc conuiuam iuste damnatum forte afferre hoc, vt dicat, huius hominis fuisse, prius, quam ad conuiuium accessisset, domum reuersum nitidiores vestes induere, sicque decentius ad nuptiales epulas venire. Quidsi vero miserrimus iste homo meliores vestes non habuit, quam quibus tunc amictus incedebat, cum a Regis famulis offendebatur? quemadmodum et hodie apud nos multi, quibus certa est supellex, diebus Dominicis, festisque, in eodem, quo aliis, amictu incedunt. Nam Lucas loco parallelo C. XIV, 23. diserte tradit, famulis iniunctum fuisse hoc, vt τὺς πτωχὺς, καὶ ἀναπήρους, καὶ χωλὺς, καὶ τυφλὺς vocatos ad conuiuium introducerent. Huius autem generis homines, prope verum non est, habuisse εἵματα ἐξημοιβά s. vestes, quae cum aliis commutarentur. Quidsi hic homo, temporis angustiis exclusus, ne potuit

quidem alias veſtes, etiamſi habuerit, induere? Neque verbum vllum in hac parabola inuenimus, quod indicet, a famulis regiis iniunctum ei fuiſſe, vt hoc faceret. Haec omnia non leuem ſuſpicionem alicui iniicere poſſint, Dominum illius conuiuii paullo durius et inclementius cum iſto conuiua ſuo egiſſe. Hanc inhumanitatis, iniuſtitiaeque ſuſpicionem Viri docti varie tollere ſtuduerunt. WOLFIVS quidem, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, in Cur. Philolog. ad h. l. ita defungitur, vt dicat: *primo, Veteres habuiſſe veſtes, ad ſolemnitates eiusmodi, et inprimis nuptiales, adhiberi ſolitas*, Lectores ſpeciatim ad DOVGTAEVM remittens. *Secundo*, vt dicat, *morem Veterum fuiſſe hunc, vt huiusmodi veſtes nuptiales ab ipſis conuiuii Dominis exhiberentur conuiuis, quod aliquatenus ex Iudic. XIV, 12. probari poſſe videatur*, laudatis in hanc rem CORNELII ADAMI Obſeruationibus ſacris. Iam, quod ad primum illud attinet, DOVGTAEVM conſului, qui aliquot Veterum locis docet, *Veteres non eodem vbique veſtis genere vſos eſſe, ſed aliam forenſem, aliam domeſticam fuiſſe: aliam in foro, aliam in triclinio induiſſe; — praeterea nuptialia veſtimenta fuiſſe.* Scilicet tale quid nemo ne coniectura quidem aſſecuturus erat, niſi DOVGTAEVS hanc rem arcanam nobis aperuiſſet. Profecto non erat, quare Vir doctus rem, omnibus ſatis notam, aliquot locis congeſtis doceret. Nam quis ignorat, et hodie plerosque fere omnes, quibus quidem eius rei facultas eſt, vario veſtimenti genere vti, et eſſe veſtes nuptiales, aut aliis diebus feſtis deſtinatas, et in arca reconditas, quas nos *Ehrenkleider* ſolemus vocare. Hac igitur ex Antiquitate ſuppeditata obſeruatiuncula huic Matthaei loco parum conſulitur. Si quid lucis huic loco affundere voluiſſet: debebat docere, omnes, atque adeo eos, qui ſumma cum paupertate conflictarentur, vario veſtimenti genere fuiſſe vſos, et peculiares quasdam, eas-

que

que nuptiales veſtes habuiſſe. De quo DOVGTAEVS ne cogitauit quidem. Sed hoc non magni momenti eſt. Paullo maiori animi aduerſione conſiderandus eſt ille a multis, et ab ipſo etiam b. WOLFIO ad h. l. iactatus mos et ritus, quo contenditur, *veſtes nuptiales ab ipſis conuiuii Dominis exhibitas fuiſſe conuiuis*, adeo, vt per iſtum conuiuam ipſum ſteterit, quo minus veſte nitidiori ornatus conuiuio intereſſet. Neque vero de hoc ritu, ſaepe illo quidem iactato, ſed vano et fictitio, in libris Virorum doctorum ſolum, ſed de ſuggeſtu ſacro etiam cognouimus exponi. Meminimus, ante XXXI. annos a quodam Sacrorum Antiſtite hanc Pericopen Euangelicam in coetu ſacro explicari, in qua inter caetera etiam docebatur, quoniam iſte conuiua nitidioribus veſtibus vti noluerit, ſua ipſius culpa contraxiſſe ſibi hoc, vt e conuiuio praeceps datus in extremam perniciem detruderetur. Nam moris apud Veteres fuiſſe, vt conuiuii Dominus conuiuis vocatis veſtes nuptiales, ex arca depromptas, ſuppeditaret: quibus quia hic mirabilis capitis homo vti noluiſſet, mirum non eſſe, quod huius contumaciae ſuae poenas daret acerbas. Aliquo tempore poſt cum huius Viri, cui ſane eruditionis laus deneganda non erat, conueniendi facultas mihi eſſet data: quaeſiui, an hic mos e monimentis Veterum probari, confirmarique poſſet? Quidni? inquit, cum eius moris luculentiſſimum documentum in Samſone Iudic. XIV, 12. habeamus. Reuerentia, Summe Reuerendo Viro debita, me retinebat, quo minus ei regererem, quod regerendum erat. Profecto, ſi hic ritus apud Veteres obtinuiſſet: Dominus conuiuii iſtum conuiuam ſuum non ſic: *heus tu! quare tam male veſtitus, nec veſte nuptiali indutus huc intraſti?* ſed haud dubie ita alloquturus erat: *heus tu! quare veſtes nuptiales, a me tibi oblatas, induere noluiſti?* Quodſi hic ritus luculentis Veterum locis probari poſſet: non ſolum Do-

minus conuiuii ab omni inhumanitatis iniuſtitiaeque culpa liberaretur, ſed omnes etiam huius parabolae partes, in *Tertio Comparationis*, quod dicunt, amiciſſime inter ſe conſpirarent. Sed vt dicam, quod res eſt: hic iactatus ritus mere fictitius eſt, et ab ingenio eorum profectus, qui Veterum locis minus curioſe lectis et conſideratis, tamen doctrinae ſuae paullo reconditioris ſpecimina edere voluerunt. Equidem, cum primum de hoc ritu aliquid vel legendo, vel fando cognoui: a XXXX. fere inde annis in legendis ſcriptoribus cum graecis, tum latinis curioſe obſeruaui, an aliquid inuenirem, quod ad illum probandum, confirmandumque facere poſſet. Sed bona fide affirmare poſſum, me nuſpiam tale quid inueniſſe, vehementerque dubito, an alius eiusmodi quid ſit inuenturus. Et ſane, quis animum inducat, vt credat, Dominum conuiuii tam inſanas pecuniarum impenſas in veſtibus magnificis in aliorum vſum comparandis feciſſe, tantoque earum apparatu inſtructum fuiſſe, vt eas conuiuii diebus conuiuis ſuis ſuppeditare poſſet? Hoc forte ne M. CRASSVS quidem, Romanorum ditiſſimus, potuiſſet, quem negaſſe CICERO (de Offic. I, 8.) tradit, *vllam ſatis magnam eſſe pecuniam ei, qui in Republica princeps eſſe velket, cuius fructibus exercitum alere non poſſet.* Et, ſi fingamus, Dominum aliquem conuiuii tam diuitem, ipſo Croeſo etiam ditiorem, tam ſplendide munificum fuiſſe, vt tot, tamque magnificas veſtes in vſum conuiuarum quorumcunque in arcula conditas haberet: fingamus quoque neceſſe eſt, eas omnes ita fuiſſe comparatas et confectas, vt corpori et ſtaturae vniuscuiusque conuiuarum, quicunque vocati eſſent, aptae eſſent, et bene ſederent. Hoc qui credere poteſt: ei nihil tam mirum videatur, cui non habeat fidem. Mihi quidem, quidquid de iſto Veterum ritu iactatur, iamdudum vanitatis fuit ſuſpectum. Et tamen Viri quidam docti non dubita-

dubitarunt huic mori confirmando et ſtabiliendo praeſidium e Iudic. XIV, 12. afferre, vbi Samſon conuiuii ſociis, aenigmatis propoſiti nodos ſoluturis, *triginta veſtes, et triginta tunicas* pollicetur. Quod ſane mirari ſubiit. Nam ex eo loco nunquam, ne machinulis quidem adhibitis, iſtum iactatum ritum extorſeris. Audiamus IOSEPHVM, de hac re exponentem, Ἀρχαιολογ. V, 8, 6. Ὀθόνας τε καὶ στολὰς, γέρας τῆς συνέσεως, κατ' ἄνδρα ἕκαστον φέρεσθαι παρ' ἐμοῦ. *Lintea et veſtes mutatorias*, (graece εἵματα ἐξημοιβὰ, et χιτῶνας ἐπημοιβὰς h. e. *quae ſaepe cum aliis permutantur, ne vſu quotidiano detritae vileſcant,*) *ſollertiae praemium, ſinguli a me accipietis.* Neque aliter in Ebraicis. Nam חֲלִפֹת בְּגָדִים, nihil aliud, quam quod diximus, ſignificant, vti etiam οἱ ὁ per ἀλασσομένας στολὰς expreſſerunt. Quid igitur? poteſtne ex hoc loco iſte Veterum mos extundi? immo vero nihil minus. Nam *primo*, illae promiſſae veſtes ne in ipſo quidem conuiuio datae ſunt, ſed tempore aliquo poſt, nedum vt ante conuiuium fuerint datae. *Secundo*, quae fuerunt illae veſtes, quas aliquo tempore poſt iſtis in aenigmate ſoluendo tam ſollertibus, felicibusque coniectoribus Samſon dedit? Nempe eae, quas quibusdam Aſcalonitis, quos Fortuna ei in via obtulerat, veluti ſpolium quoddam, detractas attulerat. Magnificas vero, et conuiuis exornandis idoneas veſtes! Sed meliora forte, et ad probandum magis apta loca attulit CORNEL. ADAMI, a b. WOLFIO in hanc rem laudatus. Hoc credant WOLFII auctoritate inducti, quibus ADAMI *Obſeruat. Theolog. Philologicae* ad manus non ſunt: ego certe nunquam credam. Nam in eo libro p. 157. ſq. ad h. l. MATTHAEI multa quidem veterum Graecorum, Latinorumque loca corraſit, quorum ne vnus quidem ad iſtum fictitium ritum Veterum quidquam facit, et ſatis habet, cum Lectorem ad DOVGTAEVM ablegare, qui (loco

ſupra a nobis adducto,) de veſtibus nuptialibus expoſuit, tum addere, quam *elegantem* vocat, hanc HAMMONDI adnotationem: *Videntur veſtes* (nitidae) *adeo fuiſſe neceſſariae ad ineundum conuiuium, vt, qui iis carerent, licet inuitati, ingreſſu arcerentur, vel inter conuiuas remanere non poſſent.* Sed illud, *videntur veſtes* (nitidae) *neceſſariae fuiſſe*, nauci eſt. Nam hic diſputatio eſt non de eo, quod *videatur neceſſarium fuiſſe*, ſed de hoc, *an veſtes nuptiales a conuiuii Domino conuiuis male veſtitis ante ipſum conuiuium fuerint oblatae?* Hic Rhodus: hic ſaltandum erat. ADAMI l. c. diſſentit hic a CLERICO, quem alibi bona fide ſequi ſolet. Quod ejectionem illius, inquit, qui veſte nuptiali non erat indutus, attinet, Doctiſſimus Clericus nodum non ſoluit, ſed ſcindit. *Non crediderim*, (ſcribit CLERICVS,) *colligi poſſe ex parabola, ſi quis non ſatis nitide indutus veniſſet ad conuiuium vocatus, ſolitum fuiſſe eiici. Quis enim erga hominem notum et vocatum tam inhumanus fuiſſet? Parabolae non ſunt ita vrgendae, quaſi quae in iis narrantur, omnia ſoleant fieri.* Si CLERICVS vnquam alibi, hic certe ὀρθοποδεῖ. Iudicio autem ADAMI non ſatisfecit, qui his CLERICI verbis allatis ſubiicit: *Sed non opus eſt hoc gladio. Eleganter notauit Hammondus:* (cuius adnotatio quam *elegans* ſit, paullo ante vidimus;) *Videntur veſtes adeo neceſſariae fuiſſe, vt — — remanere non poſſent.* Et tamen HAMMONDVS hac *eleganti* adnotatione ſua huic moroſo iudici non ſatisfecit, cum addat: *A quo tamen hac in parte recedendum putem, neque adeo de inuitatis, quam quidem de paraſitis hunc locum intelligendum eſſe.* Tuam fidem, Lector! quid eſt φλυαρεῖν, ſi non hoc eſt? Didiciſtine ex his ADAMI, mediocris ſane Compilatoris, verbis ritum illum Veterum, *quo Dominus conuiuii magnificas conuiuis ſuis veſtes offerre ſolebat?* Immo vero, inquies, his lectis indoctior ſum, quam antea fui. Et

ego

ego ſum. Et tamen Viri docti ſaepe ſic agere ſolent, qui, cum labore alicuius rei probandae ſuperſedere volunt, Lectores ad alios libros ablegant, quibus conſultis, te tua opinione deceptum eſſe intelligis. Sed quomodo, inquis, in hac Parabola *Tertium Comparationis* eruendum eſt ita, vt omnis iniuſtitiae ſuſpicio et culpa a Domino conuiuii amoueatur? Nempe ita, vt non ad iactatum illum morem Veterum, in tota Antiquitate aeque minus, ac hodie apud Getas et Garamantas inueniendum, decurras, ſed ad illud, quod GLASSIVS noſter in vere aureo illo, omnibusque ſacrarum literarum ſtudioſis diligentiſſime commendando, Philologiae Sacrae Opere Lib. II. P. I. Tr. II. S. V. Can. V. iamdudum nos docuit, exemplisque confirmauit: *In Parabolis*, inquit, *non opus eſt, nimia cura in ſingulis verbis anxium eſſe, neque in ſingulis partibus adaptatio ad rem ſpiritualem nimis ἀκριβῶς quaerenda eſt.* Et alio loco: *Parabola ſ. ſimilitudo non eſt trahenda vltra Comparationis tertium.* Neque vero haec GLASSII noſtri, Viri incomparabilis, primi obſeruatio eſt, ſed dudum ante facta a CHRYSOSTOMO, qui in Homilia LXV. in Cap. XIX. MATTHAEI p. m. 367. ita: Οὐ χρὴ πάντα τὰ ἐν παραβολαῖς κατὰ λέξιν περιεργάζεσθαι, ἀλλὰ τὸν σκοπὸν μαθόντας, δι' ὃν συνετέθη, τοῦτον δρέπεσθαι, καὶ μηδὲν πολυπραγμονεῖν περαιτέρω *In parabolis non oportet nimia in ſingulis verbis cura perangi: ſed, quum quid per parabolam intendat* (Chriſtus) *didicerimus: inde vtilitate collecta, nihil vlterius anxio conatu eſt inueſtigandum.* Quicum amiciſſime conſpirat EVSTATHIVS in Homeri Ἰλιαδ. β'. v. 87. p. 176. Edit. Rom. vbi, cum de parabolis in vniuerſum accurate exponit, inter alia tradit hoc, quod huic loco noſtro perquam conſentaneum eſt: Ὀλιγάκις παραβολὴ ὅλη δι' ὅλων ἐφαρμόττει τῷ πράγματι *Rara per omnia parabola rei comparatae conuenit.* Et hanc regulam Viri docti omnes, qui quidem

in parabolis, magis rite explicando, quam ingenioſe argutando illuſtrandis ſunt verſati, ſequendam ſibi putarunt. Et PETAVIVS quidem (in Dogmat. Theol. T. I. Lib. VII. p. 305. ſqq.) occaſione Parabolae MATTHAEI XX, 1. ſqq. dicit, *in eius explicatione non omnia curioſe eſſe ſcrutanda*, cuius verba b. WOLFIVS ipſe ibi laudauit, quorum ſi et hic memor fuiſſet: non ſane DOVGTAEVM, ADAMI, aliosque pro fictitio iſto Veterum more probando erat allegaturus.

Paullus cum a falſis fratribus hinc inde falſae doctrinae ſuſpectus redditus, eoque nomine exagitatus eſſet, quod in quibusdam locis legem Moſaicam praedicaret, carnisque circumcidendae neceſſitatem iniungeret, alibi autem id vehementer improbaret, grauiſſimeque interdiceret, neque adeo in muneris ſui Apoſtolici adminiſtratione ſibi conſtaret, inque doctrina Euangelica tradenda δίψυχος et δίγλωσσος eſſet, in ſui ipſius defenſionem Galat. VI, 17. dicit hoc: *Quod reliquum eſt, nemo mihi moleſtus ſit.* Et quare? ἐγὼ γὰρ τὰ στίγματα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματί μου βαστάζω. Hic vero vox στιγμάτων Interpretibus largum ſemen, largam ſegetem ſuppeditauit, de *notis* apud Veteres *inuri* ſolitis diſputandi, et ex hoc more antiquo hunc locum Paullinum illuſtrandi. Sed in ratione ipſa, ex illo Veterum more verba Paullina illuſtrandi, diuerſimode agunt, inque ſententias maxime diſcrepantes diſtrahuntur. Quas quidem afferre, nec iuuat, nec vacat: cui legere volupe eſt, is conſulat b. WOLFIVM in Cur. Philol. ad h. l. et quos ibi laudat. In tanto autem ſententiarum diuortio, plerique fere tamen in eo conſentiunt, vt putent, PAVLLVM voce στιγμάτων ad *notas*, ſeruis inuſtas, reſpexiſſe, de quibus praeter alios multos conſulatur STEWECHIVS ad VEGETII Lib. II. p. 111. ſqq. de re militari. Sed Viri docti, qui de *notis inuſtis* hic cogitarunt,

runt, non viderunt, se iniuriam facere PAVLLO, eiusque fidei et integritati, in munere Apostolatus fungendo, luculentissime probatae. Nam de more Veterum cum aliis malae notae hominibus, eiusmodi nota ignominiosa, tum delatoribus et calumniatoribus de Lege *Remmia* litera K (*Calumniator*) inurebatur, vt, hac contumeliosa nota conspecta, quiuis ab istis hominibus, omnium bipedum nequissimis, sibi cauere posset. De his calumniatoribus, qui rauci de foro causidici erant, CICERO (pro Rosc. Amerin. c. 20.) ita: *Si hos* (iudices) *bene noui, literam illam* (K), *cui vos eo vsque inimici estis, vt etiam eas* (literas) *omnes oderitis, ita vehementer ad caput adfigent, vt postea neminem alium, nisi fortunam vestram accusare possitis.* Quodsi haec Lex hodie adhuc vim suam, auctoritatemque obtineret: bone Deus! quot nobis eiusmodi homines *literati*, h. e. ista litera K notati et insignes occurrerent? Sed *Lex Remmia* hodie dormit, hacque dormiente viri illi boni, quasi re bene gesta, dormiunt etiam in vtramque secure. Sit illis, sopita etiam et dormiente conscientia, dulcis somnus! Apud ipsos Gentiles adeo isti delatores et calumniatores, pessimum sane, humanaeque societati maxime pestiferum genus hominum, omnium virorum proborum odio Vatiniano infestabantur, neque vlla fere re bonus quisque ciuium magis, quam poenis, delatori inflictis, laetabatur: ipsique Imperatores sui esse putabant, grauissimis poenis istorum calumniatorum maledicam, et malitiose mendacem linguam seueriſſime castigatam coërcere. SVETONIO auctore DOMITIANVS (in eius Vita c. 9.) *calumnias magna calumniantium poena repressit: ferebaturque vox eius: Princeps, qui DELATORES non castigat, irritat.* Et PLINIVS in Panegyrico c. 34. sq. laudes Traiani cum ex aliis fontibus, tum ex hoc ducit, quod delatores et calumniatores exquisitissimis, atque iis contumeliosissimis coërcuit poe-

nis,

nis, cum inter alia haec: *Nihil gratius, nihil seculo dignius, quam quod contigit desuper intueri DELATORVM supina ora, retortasque ceruices. Agnoscebamus, et fruebamur, quum* (delatores) *velut piaculares publicae solicitudinis victimae super sanguinem noxiorum ad lenta supplicia, grauioresque poenas ducerentur.* Lege sequentia. Inprimis vero seruis eiusmodi notae inurebantur: sed quibus? in vniuersum omnibus, atque adeo fidis, Dominoque suo vere deditis? immo vero non nisi *fugitiuis*, aut alia quadam nequitia infamibus. Quod quidem fiebat ea de causa, vt et eiusmodi seruus nequam, hac nota insignis, summaque ignominia affectus, ab vnoquoque facile agnosci, et quiuis admoneri posset, vt ab isto sceleratissimo sibi caueret. Vnde apud CICERONEM (Officior. II, 7.) *barbarus compunctius notis* Threiciis, de *seruo fugitiuo*, cui στίγμα inustum est. Eiusmodi serui Graecis dicuntur στιγματίαι et στιγῶνες. Vid. ALBERTIVS, aliique Viri docti ad HESYCHIVM v. Στιγών. Eiusmodi seruus, notis compunctus, PLAVTO Cas. 2, 6, 49. per iocum dicitur *literatus*. Nam, vt CAELIVS RHODIGINVS Antiq. Lectr. Lib. IV. c. 31. et LIPSIVS Electt. 2, 15. docent, serui scelerati et malefici fronti, saepe etiam toti faciei literae, interdum etiam plura verba inscribebantur, quae crimen, causamque huius notae infamis continerent: v. c. *Caue a fure: Caue a fugitiuo.* Saepe etiam plurium verborum, quia versuum adeo illa inscriptio fuit. Inscribendi autem has *notas* ratio fuit haec, vt primo literae inurerentur ferro candenti: quo facto atramentum infunderetur, vt eo magis literae eminerent, essentque ad legendum faciliores. Parum igitur Viri docti PAVLLI honori, fideique in muneris demandati administratione consulunt, qui facta comparatione inter seruos *fugitiuos*, et PAVLLVM, qui sane fuit Domini sui Iesu Christi seruus, siue potius minister longe fidelissimus, hunc locum ex illo

Anti-

Antiquorum more interpretari, et illustrare conantur. Longe alia igitur ratione hic locus Paullinus illustrandus est: quod vt recte fiat: relictis omnibus videndum est, quid τὰ στίγματα τῦ Κυρίυ Ἰησῦ Χριστῦ notent. Scilicet τὰ στίγματα τῦ Κ. Ἰ. Χρ. proprie sunt *notae vulnerum Christi in manibus, pedibus et latere*, quae vulnera acceperat in cruce, et vocantur τὰ στίγματα τῦ Χριστῦ h. e. *afflictiones Christi*, quod aliis locis per παθήματα Χριστῦ nec non ὁ σταυρὸς Χριστῦ exprimitur. In hoc autem loco PAVLLI τὰ στίγματα τῦ Χριστῦ sunt *molestiae, aerumnae et afflictiones, quas* PAVLLVS *huc vsque propter Christum, eiusque doctrinam praedicandam perpessus erat, et adhuc perpetiebatur.* Optime Scholia graeca OECVMENII ad h. l. τὰ στίγματα τῦ Χριστῦ exponunt per τὰς πληγὰς, τὰ τραύματα, τὰ διὰ τὸν Κύριον καὶ τὸ κήρυγμα. Et ad vocem βαστάζω Scholion CHRYSOSTOMI est hoc: Ὥσπερ τὶς ἐπὶ τροπαίοις μέγα φρονῶν, ἢ σημείοις βασιλικοῖς, εἰ καὶ τῦτο πάλιν ὄνειδος εἶναι δοκεῖ. Caeterum τὰ στίγματα τῦ Χριστῦ, *afflictiones propter Christum*, dictum est e loquendi Graecorum more paullo exquisitiore. Sic 2 Corinth. I, 5. παθήματα τῦ Χριστῦ sunt *aerumnae, molestiae, afflictiones, quas quis propter Christum, eiusque doctrinam sustinet.* Sic apud LYSIAM Orat. c. Alcibiad. p. 110. Edit. TAYLORI τιμωρίαι τῶν Θεῶν non sunt *poenae Deorum*, sed poenae OB violatos Deos. Apud eundem Orat. c. Eratosthen. p. 198. τῶν ἀδικημάτων ὀργὴ est *poena OB maleficia.* Hunc Graecorum morem loquendi imitatus CICERO (Orat. pro Rosc. Amer. c. 24.) dixit: *poenas parentum* h. e. quas quis sustinet PROPTER *interfectos parentes.* Neque aliter pro Coelio c. 29. *Reipublicae poenas* h. e. *quas quis perpetitur PROPTER Rempublicam laesam.* Sensus igitur huius loci Paullini est: *Nemo mihi in posterum ob inconstantiam in doctrina de lege Caerimoniali tradita*

tradita quidquam moleſtiarum creet. Nam ego iam ſatis moleſtiarum, afflictionumque perpeſſus ſum, et adhuc perpetior ob Chriſtum, eiusque doctrinam ſincere traditam. Poterant igitur Viri docti labore, τὰ στίγματα τῦ Χριστῦ e more Veterum, ſeruis fugitiuis notas inurendi, ſuperſedere. Aeque minus, ac ego, ritum aliquem in his Paullinis verbis inuenit CAR. GOTTLOB HOFMANNVS, ὁ μαχαιρίτης, in Commentatione *de Antiquitatibus in ſacro Codice fruſtra quaeſitis* p. 14. ſqq. Anguſti fines, quibus haec Proluſio includenda eſt, prohibent, quo minus plura addamus. Iudicium autem MOSHEMII de hoc, omnia ex Antiquitatibus interpretandi, morbo facere non poſſumus, quin ex Eius Obſeruatt. ſacr. p. 59. ſubiungamus: *Omnium aegerrime iis ignoſco, qui, ſi facta quaedam occurrunt, quorum aliqua cum aliorum populorum moribus cognatio eſt, aut ſi alia, vel leviſſima ſeſe obtulerit occaſio, omnes excutiunt ſacculos, et quidquid infinita ſuppeditare poteſt lectio, ſine mora effundunt.*

P. P. in Illuſtri Moldano Ipſis Calend. Septembr. A. R. S. CIↃ IↃCC LXXVII.